HISTORIÆ PERVANÆ
ORDINIS EREMITARVM S. P. AVGVSTINI
LIBRI OCTODECIM

Non tantùm rebus ibi per Augustinianos egregiè gestis, ac præclaris præceptis exemplisq; vitæ sæcularis non minùs quàm Religiosæ, sed ubere insuper & amœnâ veteris novæq; Peruviæ notitiâ mirificè referti, tractatur enim de origine Peruanorum, eorum moribus, regimine, Religione, qualitatibus terræ, de eorum subiectione per Hispanos, ac de Hispanorum bellis civilibus similibusque rebus quàm plurimis, quarum breviarium Index exhibet.

AVCTORE
R.do & Eximio P. M. IOACHIMO BRVLIO sacræ Theologiæ Doctore, Ordinis Eremitarum S. P. AVGVSTINI per Provinciam Coloniensem seu Belgicam Priore Provinciali.







Apud GVILIELMVM LESTEENIVM via vulgo Hooghstraet dicta, sub Pellicano aureo. Anno 1652.

Cum gratia & Privilegio.



ILLVSTRISSIMO AC REVERENDISSIMO

DOMINO

D. FABIO CHISIO

EPISCOPO NERITONENSI,

Ac Sanctissimi Domini Nostri Innocentii, divinâ providentiâ Papæ Decimi, Prælato domestico & Assistenti, ejusdemque ac Sanctæ Sedis ad tractum Rheni aliasq; inferioris Germaniæ partes cum potestate Legati de latere Nuntio, atque ad pacem Universalem Legato. &c.

Ill^me. ac R^me. Domine,



Veniunt ad Te hæ nostræ lucubrationes intercisis sæpè horis ac temporibus scriptæ (uni etenim rei vacare nō permitrimur ex quo nomen dedimus Religioni ad proximorum commoda profectus & solatium se destinanti) ideóque tam ex hac causa quàm propria nostra incapacitate impolitæ, præsertim si illius se præsentent judicio, quod totus Orbis non æstimare tantùm didicit sed & vereri. Tot scilicet præcones ab eo recessisse intelligimus, quot in præsentiam admitti meruerunt. Et quis non accessit? Innumeros illuc negotia necessitasque traxerunt, dùm non uni loco nomine & authoritate Summorum Pontificum præsidere jussus es, ac interesse solemnissimo Monasteriensi conventui, ubi de pace universali Orbis Christiani fuit deliberatum. Ibi patuit manifestè tuus pro Catholica Religione zelus & pro tuendis Ecclesiæ juribus constantia. Ibi confirmata Tibi integritatis laus, dùm ab opulentissimorum munerum à Regibus Principibusque ultrò oblatorum contactu animum manusque servasti immunes, illâ tamen apud omnes opinione relictâ, ut nullus suarum partium fiduciá apud Te imminutam arbitraretur. Ibi ea oracula prodierunt, quæ in admirationem necessaria tractantes rapuerunt, admiratio publica ra alios rursus ad conveniendum pellexit, neminem incredibilis benignitas vestra exclusit. Hæc me, quem judiciorum vestrorum perspicacitas gravitasque terrere potuissent, invitat. Solet illa benevolis oculis intueri, non ea tantùm quæ magna sunt &

 excellentia,

excellentia, sed exigua quoque abjectaque, Dei imitatione, qui elephantem & mutem, aquilam & culicem æquali providentiâ curat, non minor in his, non in illis major; nec patitur specierum in unam coalitione Vniversi pulcritudinem, quam in earum multiplicitate disposuit, interire, pulcrumque illi est omne, licet aliàs exiguum, quidquid constitutis à se naturæ terminis continetur. Ita & in Te comparatum esse scimus, qui uti Summorum Pontificum Sanctitatem, Cardinalium Eminentiam, Præsulum dignitatem, Imperatorum & Regum Majestatem, Principumque Excellentiam dignè æstimare nosti; ita, nullâ Tui-ipsius dissimilitudine, non dedignaris Religiosorum paupertatem, quamdiu ipsi extra professi status angustias humilitatemque non prorumpunt. Hâc fiduciâ ea, quæ de Confratribus meis in Peruvia pro Ecclesia Dei, animarum salute, ac Rege Catholico laborantibus aliquando collegi, ausus fui nomini vestro inscribere, istis terminis contentus quos mihi Religio mea præscripsit. Meum certè erat eorum labores & fructus legere, virtutes intueri, admirari magnanimitatem constantiamque in perferendis aut perfringendis difficultatibus, quæcumque sive pro Deo sive pro Rege offerrentur, ut nihil extra professionis meæ rationem facere me arbitrer dùm hæc literarū monumentis consigno, quamquàm pro dignitate stilo non assequar factorum ab ipsis excellentiam.

Iam calamum nostrum illuc deflexisse video, ut ex propinquo animadvertam aliam non displicentiæ causam ex similitudine, quæ mater esse amoris adfectusque solet, ortam. Omnes enim, quæ in hoc scripto in aliis prædicantur virtutes, facto es assecutus. Etenim non Præsulis tantùm sed & perfecti Religiosi vitam copiosè in Te expressisti, transfundisque in totam familiam ac mundum, ut ego majori Te veritate prædicare possem Præsulum ac Religiosorum ideam, quàm Tu audires modestiâ, quæ me de singulis dicentem virtutibus non audiret patienter, ideoque imprudentiæ esset eam velle scribendo irritare.

Quare prolixâ earum recitatione omissâ debitum potius nostrum fatebor, ut hoc modo ab inscriptionis temeritate me simul & ingratitudinis nota liberem. Debitor omnis ad satisfactionem obstringitur, quam si ex condigno præstare non potest, quis eum eximat pro ea parte quâ potest? Experientiâ porrò notum est solam debiti confessionem creditoribus aliquando non minùs gratam fuisse, quàm plenam persolutionem, æstimatione non ab ipsa satisfactione, sed amplo ejus desiderio sumptâ. In debitis esse Ordinem meum, meamque Provinciam video, video & satisfaciendi impotentiam. Ideoque, Magnanime Præsul, permitte tuâ indulgentiâ, ut satisfaciendi voluntas, magna quidem, sed quam nullo insigni testimonio probare possumus, aliquo conatu temeritatis ingratitudinisque vitia à nobis amoliatur; hoc uno contenti erimus, reputabimusque, his amotis, suave omne, quod restabit, obligationis vinculum.

Ne

Ne verò confinxisse potiùs debitum quàm de vero recitasse videamur, recepit Ordo noster è Chisiana familia ab annis retrò trecentis *B. Ioannem Chisium* ita moribus post inceptam vitam monasticam incorruptum, ut non tantùm purus Spiritus ad Cælites evolarit, sed & relictum ab eo corpus receptam anteà fragrantiam plenissimè lateque explicarit. (*a*) Ea quoq; est familiæ vestræ erga Ordinem Augustinianum propensio, ut pluribus in locis terrenarum exuviarum in eorum Ecclesiis elegerit quietem, marmorea erexerit altaria, volueritque semper aliquem esse in *Chisiis* qui nomen ferret Augustini. (*b*)

(*a*) In vita *B. Ioannis Chisii* per me imprimi curata anno 1641.

(*b*) De magnificentia convivii, quo *Augustinus Chisius* excepit Leonem Papam X. & Cardinales vide in epistola dedicatoria ejuidem libelli.

Verùm ne vetera ac plura addam, gratâ omnium sæculorum memoriâ Provincia hæc nostra Coloniensis celebrabit judicium, quo longas difficilesque de Discretis ac duobus Capitulis disputationes, ex Sacræ Congregationis commissione tam prudenter ac pacificè terminasti, ut & illi, contra quos pronuntiabatur, in Te confidentiam non amiserint, nullæque patuerint querelis rimæ. Ideoque debita nostra vota sunt, ut Deus Te longis annis Ecclesiæ suæ servet incolumem. Antuerpiæ X. Kalendas Augusti. 1651.

Ill^me. ac R^me. Domine

Ill^mæ. ac R^mæ. D. V.

Humillimus ac obligatissimus Servus

Fr. IOACHIMUS BRULIUS Augustinianus.

AD LECTOREM.



MICE LECTOR, *pauca te scire volo: 1. Me locorum situm aliquando per longitudinis sæpius per latitudinis gradus descripsisse. Est porro longitudo alicujus loci, arcus Æquatoris terrestris comprehensus inter duos semi-meridianos ab uno polo ad alterum traductos, quorũ unus transit per excelsum montem* Pico de Tuede *dictum in Tremerissa insula Canariarum una, alter per locum propositum. Numeratur longitudo ab Occidente in Orientem donec redeatur ad eundem semi-meridianum per gradus trecentos sexaginta. Latitudo est arcus ejusmodi semi-meridiani inter Æquatorem & locum de quo quæritur. Numeratur latitudo ab Æquatore versus alterutrum polum per gradus nonaginta, diciturq; Septemtrionalis in locis qui ab Æquatore recedunt versus Septemtrionem, & Australis in locis quæ ab eo tendunt in meridiem.*

2. *Quod quando dicitur* Hispanam avaritiam &c, *me tali locutione non velle taxare nationem, sed primos conquisitores, quorum plurimi illo vitio facti erant Peruanis odibiles. sicut factum fuisse per omnes nationes, quæ terras aliquas subjecerunt, ex veteribus nouisq; historiis facile est deducere.*

3. *Me ita scribere nostrorum inter Infideles Peruanos labores & fructus, ut nullatenus velim aliorum Ordinum gloriæ quidquam derogatum.* Vide lib. 4. cap. 6. num. 1.

4. *Me ob necessariorum negotiorum concursum non potuisse esse impressioni præsentem, adeoq; irrepsisse plurima errata, magno meo dolore, quem lenies, sicut & laborem tuum, si præcipua ante lectionem corrigas ex adiecta ad calcem libri erratorum tabula; leviora peritiâ tuâ: omnia verò æqui boniq; consulas.*

CEN-

CENSVRA.

HISTORIA hæc Perŭana octodecim libris comprehensa, quam Reverendus admodum P. M. IOACHIMVS BRVLIVS Ordinis Eremitarum S. Augustini in Belgio secundùm Provincialis ex variis fide dignis Scriptoribus collegit & elegante stylo adornavit, quia magnalia Dei, præsertim per Religiosos dicti Ordinis novo Orbi novissimis hisce temporibus exhibita ob oculos ponit, dignissima est, quæ ad maiorem Dei gloriam & dicti Ordinis commendationem, prælo data publici juris fiat. Ita censui Lovanii 21. Maij 1650.

Fr. MICHAEL PALVDANVS *Ord. Eremit. S^ti. Augustini Apostolicus Librorum Censor.*

APPROBATIO.

QVÆ de rebus Perŭanis ac felicissimis FF. Eremitarum S. P. Augustini in ea regione prædicationis successibus octodecim libris complexus est Adm. R^dus. atque Eximius P. M. IOACHIMVS BRVLIVS S. T. D. ac eiusdem Ordinis Provinciæ Coloniensis secundùm Provincialis, perlegi; nec quidquam in iis deprehendi, quod aut fidei Catholicę sinceritati, aut morum probitati advertetur: quin potiùs pleraque hujusmodi, quæ summam Dei bonitatem tandem ignotæ illius gentis miserentis, & Ecclesiæ suæ terminos etiam nostris temporibus quaquaversus proferentis, plurimùm commendant, uti & primorum illorum Peruviæ Apostolorum fidem, religionem, zelum, atque infractam laboribus persecutionibusq; constantiam. Quamobrem prelo ea longè dignissima censeo: quò non nostræ tantùm religionis hominum sed cujusvis alterius Ordinis statusque serviat piæ doctæque curiositati. Actum Distii in Conuentu nostro Ord: Eremit. S.P. N. Augustini 23. Octobris 1649.

F. IOANNES CRYTERIVS S. T. L. *ejusdem Ordinis ac voti.*

PRI-

SVMMA PRIVILEGII.



HILIPPVS Dei gratiâ Hispaniarum & Indiarum Rex Catholicus, Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, Brabantiæ &c. Diplomate suo sanxit ne quis *Historiam Perüanam Ordinis Eremitarum S. Patris Augustini, Auctore R. Ad.* P. IOACHIMO BRVLIO *S. T. Doctore & Provinciali Ordinis Eremitarum S. Augustini in Provincia Coloniensi seu Belgica*, conscriptam, præter Auctoris voluntatem nullo modo imprimat, aut alibi terrarum locorumve excusam in has Germaniæ Provincias inferat venalemve exponat. Qui secus faxit, confiscatione librorum & aliâ gravi pœnâ mulctabitur, uti latiùs patet in literis datis Bruxellæ 21. Iunii Anno 1651.

Signat.

De Witte.

HISTO-



HISTORIAE PERVANAE ORDINIS EREMITARVM S. P. AVGVSTINI,

LIBER PRIMVS.

De origine gentis, moribus, regimine, religione, & qualitatibus terræ.

CAPVT I.

De origine gentis.

1. SCRIPTVRVS Peruviæ, monarchiæ olim potentissimæ ditissimæque, per Hispanos subiectionem, &, quod nostrũ in hoc opere maximè est institutum, Augustinianorum in instruenda Christiano dogmate natione labores, operæ precium me facturum arbitror, si priùs, quæ genti sit origo, qui fuerint mores, administratio, religio, quæ terræ qualitates, tùm si quæ his vicina sunt, exequar. Et de origine quidem, ipsius-met gentis opinionem, nostræ præmittam.

2. Narrabant vetustiores Indi fuisse totam illam terram plurimis, antequàm ad Ingarum imperium redigeretur, annis, populo frequentissimam, quos ingens ruptis aut superatis maris littoribus cataclysmus altissimè super terrã se effundens, hauserit: hoc quidem discrimine, quòd vallium, maximè *Xauxa* & *Chiquito*, incolæ asseuerarent nonnullos supremarum cauernarum altitudine seruatos, suis rursum generationibus populi multitudinẽ reduxisse: Montani verò omnes prorsus, præter sex rati (a) impositos, aquis fuisse absumptos asserant. Conuenit rursum inter illos, corruptis omnes moribus flagitiosissimè vixisse, nudosque, nisi quòd pauci togulà (b) se cooperirent; spirarum autem capitis, quibus se Perüani etiamnum distinguunt, eandem fuisse varietatem; incertis sedibus, Arabum aut Tartarorum in modum, cateruatim fuisse vagatos: aliquos tamen speluncas occupasse, aut altissimorum montium, exstructis ibi munitionibus, cacumina, indeque profusos in agros eruptionibus solitos fuisse

(a) nomen *ratis* propriè est accipiendum, Hispanicè, *balsa*.

(b) ropetas pequenas.

crudelibus obuios tormentis interimere, cæsorum vxores in valla adductas Diis suis sacrificare, humano non magis sanguini quam arietum, aliarumque pecudum benignos; eò barbariores quod omnia rationis repagula perfregissent, extremo, non sæuitiæ, sed furoris exemplo.

3. Tam feris autem populis superuenisse *Zapanam*, hominem fortissimum, qui multis, cruentis diuturnisque prælijs tandem illos superauit. Illi autem cum nullis quàm mulieribus longius acriusque fuisse bellum in Prouincia de *Cañas* quæ inter *Canches* & *Callao* interiacet: vbi se, extructis egregia arte munitionibus, diu quidem atque masculis animis defenderunt, hâc tamen fortunæ iniquitate, vt non tantùm vincerentur, sed ne nomina quidem heroïnarum superessent. Addunt insuper fuisse in Insulis *Titicaca* in *Collao* homines barbatos candidosque, qui cum è valle *Coquimbo* excessissent, Centurionem quemdam, cui *Cara* nomen erat, occupatâ insulâ, valleque, Barbatos omnes trucidasse: aëris tamē temperie regionisque fertilitate factum fuisse, vt breui fuerit populosissima, Regulis certè tyrannide vbique subiectos, opprimentibus.

4. Simili maiorum traditione aiunt accidisse olim, quòd longo tempore nullus ipsis Sol videretur: multis tamen votis precationibusque à Diis obtinuisse, vt ex lacu *Titicaca*, &c, quæ in eo est, insula oriretur, apparuisseque ad plagam meridionalem hominem candidum, ingentis quidem sed venerabilis formæ, eiusque potentiæ, vt montes solo nutu deprimeret, eleuaret valles, fontesque è silice ac rupibus eliceret, quem rerum omnium principium & Solis patrem credebant, appellabantque, quod hominibus & animalibus nō tantùm esse, sed multa insuper beneficia contulisset: cum verò ad Septemtrionem declinando certam viuendi omnibus in transitu nationibus dedisse formam, atque admirabili comitate amorisque indiciis, morum bonitatem atque mutuam charitatem commendasse, cui vsque ad vltima Ingarum tempora nomen *Ticeuiracocha* perseuerauit, in Prouincia Collao *Tuapaca*, alibi *Arnauâ* dictus, cui plurima non modò simulachra sed & templa, quibus & in quibus sacrificabant, erexerant.

5. Referunt tandem sibi à maioribus dictū, alium quemdā hominem illis visum superiori non absimilem, qui infirmos curabat, cæcisque restituebat visum, quem cum in Prouincia de *Cañas* stulto furore perciti lapidare niterentur, illū flexis genibus atque elatis in cælum manibus diuinum patrocinium inuocasse; nec defuisse innocatum, igne subitò de cælo descendente, cuius conspectu tanto omnes terrore percellerentur, vt conscij detestatique præteritam immanitatem, cuius causâ tam sæuo se discrimini vicinos esse fatebantur, magnis eiulatibus eidem supplicarent, vt suâ prece periculo eriperentur; factúsque ab eo precibus mox ignem cessasse, saxorum dumtaxat adustione memoriâ periculi liberationisque transmissâ: nam vsque modò nullius prorsus ponderis, licet ingentia, esse dicuntur. Eundem hinc ad mare concessisse, conscendisseque strato super illud pallio, nec posteà ab illis visum, nomine tamen *Viracocha* (quod est idem ac spuma maris) quo illum appellauerunt, superstise; quem posteà erecto in municipio de *Cacha* templo venerati sunt. An verò hinc deducatur aliquos ex Christi Apostolis in nouum illum mundum penetrasse, ac disseminasse nouas Euangelij leges, alibi videndum est.

6. Nunc autem vt nostro ac Christiano more loquamur, mundum illum nonum atque adeò Peruviam, ante generale diluuium fuisse ab hominibus habitatum, nullus addubito: nam etsi à mare vno ac fœminâ vnâ totum humanum genus sumpserit exordium, longissimum tamen, quod inter mundi incunabula

cunabula atque hunc, de quo loquimur, cataclismum intercurrit tempus, quod annos mille & sexcentos excedit, (a) sufficientissimum fuit, vt totum, quantus est, mundum aliosque, si fuissent, sobolis numerositate, benedictione iussuque diuino, replerent, subijcerentque. (b) Nam si in Ægypto corporibus hominum non ita integris vegetisque, atque priscorum ante inundationem patrum erant, annorum spatio non amplius CCXV. per LXX. hominum fœcunditatem processerint ad sexcenta millia virorum armatorum non comprehenso numero fœminarum & quibus ætas etat minor viginti annis: quis non videat tanto temporis excessu id quod dicimus, euenisse?

(a) Interfuerunt enim 1656.

(b) Gen. 46. cap. S. P. Aug. lib. 15. de Ciuitat cap. 8.

7. Vt necesse non sit veritatem hanc aliis, nostrâ quidem sententiâ, infirmioribus stabilire argumentis, à nauis inuentæ differentia, & repertorum ossium immani magnitudine, quod nonnulli faciunt, desumptis. P. Petrus certè Simon Prouinciæ Præfectus in suo, quem de Terræ-firmæ subiectione (c) conscripsit, libro, solidam æstimat inhabitati ante diluuium noui mundi probationem, quod in portu Callao, qui Limensis est aliquantùm à ciuitate remotus, dum primi ibi auri minas effoderent Hispani, inuenta sit nauis prorsus ab iis, quarum modò vsus est discrepans ingentique terræ mole conrecta, quam air illuc deiectam dum totus omninò Orbis aquis absorberetur Hanc tamen probationem P.M. Antonius de la Calancha in Peruvia natus, educatusque, atque Ordinem Augustinianum professus, curiosus Historiæ Perüanæ ex authenticis, vt asseuerat, monumentis scriptor, cuius sæpe in sequentibus memorem esse oportebit, illa inter alias ratione confutat, (d) quod neque fuerint, neque sint in dicto portu vllius metalli venæ. Neque firmiùs probant propositum ingentis magnitudinis ossa aut corpora sex vlnas longa, quæ reperta fuisse quidam (e) tradunt, voluntque hæc nullorum, quam qui ante diluuium vixerunt, gigantum esse potuisse: *quasi verò corpora hominum modum nostrum longè excedentia non etiam nostris temporibus nata fint. Nonne ante paucos annos cum Romanæ Vrbis, quod à Gothis factum est, appropinquaret excidium, Romæ fuit fœmina cum suo patre & sua matre, quæ corpore quodam modo gigantæo longè cæteris præmineret? Ad quam visendam mirabilis fiebat vsquequaque concursus.* (f)

(c) Conquista de Terre-firme.

(d) lib. 1. cap. 6. num. 3

(e) Visitatores Idololatriæ, P. Paulus Ioseph.

(f) S. P. Augustinus lib. 15. de ciuitat. cap. 23.

8. Post diluuium nouum istum mundum habitatum fuisse nimis quàm certum est, in quo primi, qui eum detexerunt, myriades inuenerunt hominum, cum quibus longa difficiliaque bella, Hispani maximè, habuerunt, neque etiamnùm omnes domuerunt. Sed quomodo, & ex qua Noemi stirpe illuc penetrârunt? incerta quidem res est, nec facile est irreprehensibilem statuere sententiam; vero-similius tamen per Tartariam illuc peruenisse, atque ex Iapheti progenie quæ longâ dilatatione (g) Septemtrionem & in eo Tartariam occupauit, quæ à nouo mundo non nisi exiguis fretis secernitur. Nec dissimiles habent Indi isti, maximè Chileni, à Tartaris mores Religionemque: nullas vtrique domos habent pagosue: incertis terris vagantur. Alios Tartarorum mores curiosior lector apud Ortelium (h) inueniet, quos veteribus Peruviæ populis iudicet conuenisse.

(g) Dilatet Deus Iaphet. Gen. 9.

(h) In tabula de Tartaria.

9. Verùm vti Tartarorum aliarumque gentium, ita & Perüanorum consuetudines barbaras sequentium temporum ingenia, commercia, & Ingarum leges emendârunt. Ingarum certè primus, *Manco-Capac* dictus, non minori ingenii acumine quàm magnitudine animi præditus eos ex syluis & antris ferarum instar viuentes in pagos, municipia, ciuitatesque congregauit ac distinxit, condiditque leges, quæ non tantùm adeò laudatam veterum Græcorum sapientiam non desiderarent sed superarent: putentque plurimi nullas vspiam gentium leges fuisse naturali rationi confor-

miores, nisi quantùm Sacrorum Codicum institutis fuerunt emendatæ. Nec constitutæ tantùm leges erant, sed, quod benè constitutarum pondus est & munimentum, obseruabantur religiosissimè, ex quo summa Ingarum veneratio in populis nascebatur.

10. Et has quidem leges dæmones tolerabant vt tantò magis cultui suo in Idolis haberent obnoxios. Atque erant sanè oraculorum non modò curiosi sed obseruantissimi, Deorum hæc non dæmonum, quos execrabantur, responsa reputantes. Diuinis quia honos ingens habebatur, ingens erat & eorum numerus; nec minor, quàm apud alias gentes fuisse legimus, varietas, augures, aruspices, astrologi, genethliaci, venefici.

11. Qui certum definire tempus, quo primi homines in novum illum mundum primò penetrârunt, nituntur, curiosiùs, meâ opinione, quâ securiùs agere videntur: quâ enim ratione id stabiliant? Non desuerunt tamen, qui annum, quo illuc homines permearunt, adsignare non dubitarunt post diluuium ducentesimum septuagesimum quartum.

CAPVT II.

De Perüanorum moribus.

I. OMNIVM gentium propagatio ex maris fœminæq; cômixtione processit: hæc vt licita sit matrimonia fecerunt, quorum varij apud diuersas nationes ritus fuerunt, cærimoniæque. In Peruvia sponsus ad sponsæ ædes deferebat, ponebatque calceum; ex lana, si virgo esset; si corrupta, ex iuncis; quo facto constabat matrimonium. Illud cum sorore contrahere soli licebat Ingæ: quin, eam vt acciperet, lege regni sanciebatur, aut si soror deesset, fœminam aliam illustrem; hæc sola *Coya* quasi Domina seu Regina dicebatur. Cæteræ, quæ aliquando non erant pauciores septingentis, ad voluptatem potiùs quàm ad familiæ propagationem seruiebant, sedulâ nihilominùs frequentique vigiliâ custoditæ. Inga *Guainacâua* tamen permisit vt & nobiles sororibus coniungi possent: cæteris primus & solus erat gradus prohibitus. Erat & alius in Peruvia matrimoniorũ ritus. Conuentione de contrahendis nuptiis factâ, in qua primæ semper partes Ingæ debebantur, qui cuilibet vnam pluresque, &, quas volebat, vxores dabat, deputabatque quæ inter illas esset præcipua, sponsus sponsaque duos dies à sale, carne, axi (quod apud ipsos maximè vsitatum est condimenti genus) & vino illius regionis abstinentes ieiunabant. Iis exactis conueniebant, atque alterâ luce sponsa cum pronuba aliisque mulieribus ad fontem extra ciuitatem ad hoc dedicatum pergebat humeris portans cantharum aquæ, ex illa vinum patriæ, quod non multum absimile est Germanorum Belgarumque cereuisiæ, conficiebat, quod deinde post assidentis sponsi humeros positum in alia vasa effundebat, ac singula prægustando sponso offerebat. Connubio ita contracto sponsæ parentes nouis nuptis offerebant supellectilem exigui quidem precii sed genti vsitatam, & quæ necessitati non luxui seruiret, pocula, ollas paropsides, & quædam eius generis alia. Tum sponsus datæ in vxorẽ filiæ beneficio obligatus, si non maius quàm parẽtibus filii, certè par socero socruique obsequium deferebat. Ingarum filiis, ne potentiæ inuitamento nouis rebus studerent, nulla vnquam terrarum dominia adsignabantur. Ingæ si legitimus esset ex vtroque parente frater, hic filio in successione imperij præferebatur: post hunc prioris filius sequebatur: quod etiam in Curacarum seu Principum successione obseruari Gentis mos erat. Incontinentia seuerissi-

ueriſſimè, adulteria & inceſtus inter aſcendentes & deſcendentes in recta linea morte mulctabantur. Nullus Inga hæreditarem domus aut ſupellectilis, alicuiuſue alterius rei, quæ ad prædeceſſorem pertinuerat, adibat, omnibus illis pōpæ funebri, adoratoriis & familiæ ſuſtentationi annotatis. Incredibilem theſaurorum in Peruvia magnitudinem faciebat ſtudium Regum Curacarumque, vt opulentiam vincerent maiorum, laborantium. Diadema, quod ex plumis erat confectum, Ingæ in fronte geſtabant, quod Equites in tempora ſupra aures declinabant dum in die coronationis Regis ſacrificia offerrentur, inter quæ barbarum illud intercurrebat. Summus Sacerdos cum collegis ſexennem arripiens puerum ad ſtatuam Viracochæ in hunc modum precabatur. *Iſtum tibi, Domine, offerimus, vt nos in pace conſerues, in bellis opituleris, Domini noſtri Inga maieſtatem imperiumque cuſtodias, ac prudentiam, quâ nos gubernet, concedas.* Ingas non tantùm ingenti veneratione colebant, ſed inſuper pœnarum ſeueritate cauebant, ne quis facilè contrà eos proditionem moliretur.

2. Adminiſtratorum Regni egregia ſubordinatio erat. Omnes autem eâ integritate iniunctum munus exercebant, vt neque iuſtitiam alterarer fauor, neque beneficia emerent. Ab aliquo vel ſolum maizii manipulum accepiſſe, piaculum erat. Officia, etiamſi gentis genio omnes plurimùm deſiderarent, nullus ambibat. Ne otio populus eneruaretur, aut in tumultus, dùm nihil ageret, ſe animaret, complanandis & ſternendis ſilice per longiſſima ſpatia viis, ædificandis templis, & ad vias hoſpitiis, aliiſue laboribus Ingarum mandato & Gubernatorum diligentiâ perpetuò occupabatur. Dum Regnum aliquod Prouinciaque Ingarum Imperio adjiciebatur, indigenarum præcipuos in alias, eiuſdem tamen temperiei, terras trausferebant, aliis probatæ erga Regem fidei aliundè in illorum locum aduocatis, quo & rebellionis tollerent periculum, ediſcerentque Religionem, Politicamque Cuzcenſem noviter ſubiugati. Tranſlatis agri non minores, quàm in patria poſſederant, adſignabantur, dabaturque in ſementem maizium, pecuſque quod educare docebantur. Et quia non ignorabant Ingæ quàm fortibus, ſecretis licet, vinculis patria omnes teneat alligatos, quamq; aſperum ſit ab ea auelli, humanis verbis, impenſis honoribus, beneficiis, immunitatibus, priuilegiis exilii difficultates ſolabantur. Illis autem *Mitimaes* nomen erat, quibus fidelioribus multa in regno, multa in bello credebantur, vt œconomia aulæ, ærarium, vectigalia. Nobiles autem Equiteſque, qui ad Legati, Gubernatoris, Centurionis munera adſumebantur, *Orejones* dicebantur. Ingâ aliquo è viuis excedente doctioribus viris cōmittebatur, vt verſibus & cantilenis heroica eius facta celebrarent, exque ab omnibus memoriæ mandarentur & cantarentur in locis publicis in laudem eius ſempiternam: Ignaui ne memoriam ſupereſſe volebant.

3. Faſtos ſuos nullis libris ad poſteros tranſmittebant aut conſeruabant bibliothecis, ſed faſciculis filorum laneorum variis nodis coloribuſque diſtinctorum, quos *Quipos* appellabant, nam quod nos nodum, iſti ſuâ linguâ *quipu* dicunt, modo certè apud nos non minus inſolito quàm apud illos certo. His ad parietes ſuſpenſis ordinariſque, domum integram refertā habebant, vſu non multùm diſſimili ab eo quo nos libros in bibliothecis collocamus. Per hos *quipos* hiſtorias, leges, cærimonias, computus, cęteraq; omnia negotia non minori infallibilitate, quàm nos ſcripturâ, in memoriam revocabant, conſtitutis ſtipendio Notariis, quibus id muneris demandabatur, *Quipo-Camayos* à gēte dictis, qui ſeu priuilegiorum & honorum magnitudine inuitati, ſeu pœnarum acerbitate deterriti, curas omnes ſtudiaq; ſua conferebant ne errarēt.

A veritate siquidem aberrasse, aut, quod per *quipos* sciendum fuit, ignorasse, morte, quæ mox infallibili lege inferebatur, luebant. Ac veluti nos viginti quatuor litterarum variè sibi invicem coniunctarum numero innumerabiles alias res significamus; ita illi coloribus nodisque variè sibi implicitis. Vt inuentæ sint Indæ quæ non minùs feliciter atque cum minimarum etiam circumstantiarum explicatione illis *quipis* totius vitæ peccata complexæ sint, quàm faceret Europeus aliquis scripto.

4. Omnes in vniuersum Perüani à teneris annis cursu se plurimùm exercebant, consequebanturque assiduo vsu eam agilitatem, vt absque fatigatione in arduos montes eniterentur, exiguoque tempore magna conficerent itinera. Horum operâ citissimè, quidquid vspiam scitu dignū, aut ad vsum commodum erat, Ingæ consequebantur. Nam ad singula sesqui-milliaria eorum iussu constructa erant duo velut mapalia, in quibus quatuor ex vicinis pagis viri collocabantur, mutabanturque quolibet mense. Qui cum de manu ad manus sarcinulas suas atque nuntia traderent, magnâ celeritate omnia ferebantur; & cum Cuzcum centum à mari absit miliaribus, duorum non amplius dierum spatio recentes pisces Ingæ portabantur: nam die vno naturali quinquaginta omninò milliaria cursores isti conficiebant, qui *Chasquis* communiter vocabantur.

5. Et quamquàm Ingarum latissimum esset imperium, quippe ad bis mille se leucas extendebat, nullâ tamen difficultate subditos regebant: nam singulis decem, decurio; singulis centum, centurio; mille, tribunus aliquis; decem millibus alius; singulis Prouinciis aliquis ex sanguine regio præerat Gubernator, quorum vnusquisque exactissimam reddere rationem sibi commissorū iubebatur. Si quam de nouo Prouinciam subiugassent, eam trifariàm partiebantur. Prima pars templis sacrificiisque deputabatur: secunda Ingæ, quam populus alacer colebat nullâ aliâ mercede, quàm quod sumptibus regiis, dum in ea laborabat, aleretur: tertia populo ipsi, ita tamen vt nullus quidquam in ea possideret proprij, nisi speciali Ingæ beneficio id aliquando nobilioribus aliquibus aut benè de se vel imperio meritis concederetur, quod tamen isti nec alienare, nec transmittere poterant ad hæredes. Quotannis cuilibet, habitâ maioris, minorisue familię ratione, terrę certâ mensurâ adsignabantur, quæ ab omni prorsus tributo erant immunes. Tempore sterilitatis ex horreis regiis, quæ semper abundabant, grana pro vniuscuiusque necessitate depromebantur. Similis erat pecoris venationisque distributio: lege cautum erat nullam ex his femellam mactare aut sacrificare. Si scabies aliquam occupasset, ne contagij diffusione aliæ inficerentur, viuam defodiebant. Lana item, quam nerent texerentque, distribuebatur, rigidâ diligentis operæ exactione: quæ supererat, in deposito seruabatur. Ingarum, quamquàm nullam maiorum hæreditatem adirent, maxima opulentia ex subditorum seruitute erat, quâ, prout libitum erat, seu ad maiestatem, seu vtilitatem, seu delectationem vtebantur: subditi autem magnâ eam alacritate exhibebant, ordinis, quo cuncta administrabantur, decore illecti.

6. In tota Peruvia idem vestimenti genus est, indusium laneum strictum, absque manicis & collari, feminis ad talos vsque, viris ad suras propendens, cui phi palliolum gossipinum vlnam & mediam latum superiniiciunt: capitum tegumenta plurimùm variant, omnisque ab illis distinctio est, vt difficilè non sit ex illis iudicare, cuius quis Prouinciæ sit; lege scilicet, quam religiosè seruant, cautum est, ne quis patrium redimiculum, etsi in aliam transeat Prouinciam, commutet. Redimicula hæc fasciolæ sunt tornatiles, aliæ simplices, aliæ versicolores. Lectis

non

non vtuntur;mollissimè,cũ in stramine,decumbũt. Sordidi sunt intersesque,nec vnquã domos euerrunt. Has humiles habent ex cespitibus, quas montani stramine, in vallibus carice tegũt. Victus admodum frugalis est, & is ferè quẽ primis mundi & felicibus sæculis Poëtæ adscribunt, herbæ cùm axi (ordinario apud illam gentem condimento) coctæ, & panis ex maizio, carnis siccæ modicissimum, quã non nisi de vespera in vesperam reficiuntur, neque singuli vltra vnciam sumunt, sordidâ certè auaritiâ aut miseriâ genti innatâ: nam si comedere alienâ quadrâ detur, vnus duas abliguriet libras: visumque nonnunquàm est infirmos comestione recentis ad saturitatem carnis, subitò conualuisse. Eò vsquè tamen miseri sunt, vt ne extremæ quidem infirmitati gallinam unam aut pullum, etiamsi haberent centum, audeant immolare: quin & ouis in tantâ necessitate parcũt. Vinum ex maizio, ferè in modum cereuisiæ nostræ, coquunt, neque vllâ ex re majus acciperent nutrimentum si temperantiâ cohiberent excedendi libidinem. Est insuper gentis genius immisericors, ingratus, timidus, pusillanimis, fugiens laborum, plusque vnus Castellanus absoluet operis quàm tres Indi. Quare Præfectorum sollicitudine sedulò ad laborandum cogendi sunt, si Reip. velint consultum: aliàs in otium pôtationesque immodicas declinãt, quibus cùm sanitatẽ obruant, & domesticas facultates exhauriant, remoram prætereà conversioni suæ injiciunt ferè insuperabilem, propter nefanda incestus, idololatriæ aliaque plurima, quæ tunc committunt, quibusque consuetudine velut illigantur, peccata.

7. Tot tamen vitiis scintillæ non modicæ bonæ mentis interlucent tàquam quædam primævæ conditionis vestigia. Artes mechanicas, legere, scribere, cantare, pulsare organa, musica quæcumque tractare instrumenta insigni docilitate facilè assequuntur. Nulli ibi vulgò sartores, sutores, textores; quilibet enim, quantum familiæ necesse est, ista facere didicit: quilibet insuper suas exstruere domos & agros excolere, ut propter hæc operarios non conducant. In obsequium tamen Caziquatum & Ingarum pictores, aurifices, cælatores, figulos, & textores invenias excellentes. Mirabile est quantâ mole & pulchritudine Deorum delubra & Principum palatia erexerint, nullâ aliâ lapidum inter se compage quam aptâ collocatione, absque calcis alteriusve bituminis connexione; maximè cùm nec ferrum ibi fuerit nec chalybs, sed solum cuprum; petræ autem durissimæ maximæque, quas nullis machinis, sed viribus & multitudine loboratium in alta ædificia efferebant. In hac tamen fabricandi dexteritate, lapideos exstruere pontes aut arcus non tantùm ignorarunt, sed pro miraculo habuerunt, dum primò ab Europæis erectos viderunt. Accidit siquidem ut cùm perfecto ponte fulcra Castellani remouerent, ipsi fugâ ruinæ sibi subducendum arbitrarentur. Verùm cùm constare arcuatam fornicem & in ea ambulare Castellanos viderunt, *dignum*, inquiebat quidam Caziqua, *est istis nos seruire cùm Solis esse filios manifestè constet*.

8. Antequàm amplissimæ illæ terræ in vnũ Ingarum imperium coalescerent, Prouinciis *Caziquæ*(a) seu *Curacæ*(b) cum suprema authoritate imperitabant, qui licet à subditis duram exigerent seruitutem personalem, agrorum tamen terrarumque verum illis dominium concesserant, quod posteà Ingarum potentia & mandatum in eum, quem diximus, modum confudit, sed reduxerunt in subjugatam monarchiam Hispani, quamquàm non sine nonnullis in initio litibus, dum quidam terras, quas ante Ingarum imperium possederant, repeterent, alij nouissimâ Præfectorum adsignatione se tuerentur; placuitque, ad

(a) Caziquez.
(b) Curacas.

ad præſcindendam exortarum exoticiturarumq; litium multitudinem, vt poſtremi poſſeſſores veteribus præferentur. Caziquæ cùm ſubditos ad labores ſeverè pro ſe vrgerent, ipſi aut potationibus aut patriis luſibus tempus conſumebant, modeſtiores poſteà temperatioreſque facti legibus Ingarum, & Viſitatoribus ab iis miſſis, qui populum contrà Caziquarum concuſſiones tuebantur.

CAPVT III.

Modus caſtigandi delicta in Peruvia.

1. DELICTA ſolùs Inga in locis, in quibus erat, iudicabat puniebatque. Delinquens carceri tradebatur, cũ in conſpectum Ingæ adductus coram teſtes audiebatur, à quibus ſi convinceretur, pœna ſecundum qualitatem delinquentis & delicti mandato Ingæ irrogabatur.

2. Si quis alterum ſpolij cauſa occidiſſet, morte, poſt illata priùs in carcere tormenta, mulctabatur. Si quis proditoriè occidiſſet, publicè pœnâ mortis luebat etiam perſona illuſtris. Eandem pœnam ſubibat, qui per veneficia & incantationes occidiſſet, cum prolibus, famulis, totaque familia, eò quod experientiâ conſtaret omnes illeitis pactis eſſe obnoxios. Caziqua etiam qui ſibi ſubditum abſque Ingæ conſenſu occidiſſet, ſaxo humeris impoſito (quæ pœna ignominioſiſſima habebatur) primâ vice caſtigabatur: ſi reinciderec, morte piabat, niſi potentibus precibus eriperetur: ſtatus tamen amiſſio infallibilis erat. Vxorem in adulterio deprehenſam impunè maritus occidebat; ſi ex cholera aut odio, reus erat mortis, quæ mox inferebatur, niſi plurimùm Reip. vtilis vita eius credita fuiſſet. Vxor, quæ maritum occidiſſet, pedibus publico in loco ſuſpenſa expectare venientem tardè mortem longis cruciatibus iubebatur, neque quis auſus fuiſſet vilum pendenti ſolatium adferre. Mulier prægnans, quæ abortum procuraſſet, ſeu qui ad abortiendum auxilium dediſſent, capitali ſententiæ ſubiacebant. Inter litigantium ſi quis occideretur, ante omnia inquirebatur, vter litigio cauſſam dediſſet: hæc ſi ab occiſo proveniſſet, occiſor levi pœnâ noxam expiabat, morte autem, ſi ſecùs; aut proſcriptione in *Andes*, qui ſunt montes continuâ abſque vallibus ſerie producti, vbi cum aëris inſalubritate, & laboribus conflictando miſeram vitam agere iubebantur. Mutilans præter pœnam delicto debitam, quæ maior erat minorve pro data non datave altercationis cauſa, cogebatur alterum alere ſuis ſumptibus: quibus ſi impar eſſet, ex regio ærario ſupplebatur, augebatur tamen in delinquentem caſtigatio. Lædens abſque mutilatione pœnâ puniebatur arbitrariâ: eademque erat punitio ignominiam irrogantis.

3. Fur exilio in *Andes* mulctabatur. Qui in hoc vitium incidiſſet neceſſitate compulſus, reprehenſus monebatur manuum labore neceſſitatem evitare, cum comminatione iniiciendi, ſi reincidiſſet, in humeros ſaxi. Qui iter faciens maizii ſpicas ex neceſſitate præcidiſſet, innoxius habebatur, niſi id in Regis ſegete feciſſet, quod erat capitale. Qui aquam, quibus agri irrigabantur, ab alienis ad ſuos ante conſtitutum tempus derivaſſet, pœnæ arbitrariæ ſubiacebat, vti & ligna è montibus auferens, lignis tamen priùs reſtitutis. Si Indus ſarcinam portans, eam domino non conſignaſſet, ſolvere compellebatur pagus, municipiũve, ondè erat oriundus, cuius erat de ſuorum fidelitate reſpondere: nec tamen ipſe Indus

ſupplicium

supplicium furto debitum evadebat. Qui in loco prohibito absque licẽtia venabatur, afficiebatur ignominiâ saxi humeris impositi: eandem pro prima vice subibat qui agrorum limites transtulisset, aut terras aliis assignatas invasisset: sed repetenti delictum mors irrogabatur. Capitale item erat pontem aliquem ex malitia incendisse. Pontes Indi olim nullos ex petra aut ligno habebant, sed ex intertextis invicem juncis, qui validis funibus ex utraque ripa tensis injiciebantur. Qui causa fuisset conflagrationis alienarum ædium, ad totius damni compensationem tenebatur. Armentum alienæ segeti nocens, noxæ dabatur. Si quis hospitiorum ad vias dispositorum, quæ Indi *Tambo* appellant, obsequio deputatus itinerantis reculas abstulisset, prima à Caziqua castigatio expectebatur: quam deinde ille in subditos transfundebat, legibus justè culparum commissarum punitionem exigentibus ab illis, quorum sollicitudine prævideri & caveri debebant ne committerentur.

4. Qui virginem illustris familiæ stupro violasset, capitali sententiâ luebat: qui nullâ nobilitate insignem, citra mortem, nisi idem aliàs commisisset, puniebatur: qui mulierem cælibem non virginem, ignominiosâ saxi gestatione. Qui filiam, ipsâ quidem consentiente sed invito Patre, rapuisset, poterat filiam pater castigare: ac Inga apprehendi utrumque jubebat, & dedecus saxi sustinere, separabatque: nulli enim sine Ingæ consensu uxorem ducere permissum erat, qui, quam volebat, cuilibet conjugem dabat, atque uni etiam plures, maximè nobilioribus: quæ prima dabatur, præcipua uxor habebatur. Adultera, etiamsi nobilis, morte afficiebatur, quòd dicerent non factum fuisse, nisi illa consensisset, adulterium. Eâdem pœnâ mulctabatur adulterans cum fœmina illustri; aliàs, citra mortem: Fornicationis crimen exercentes, mares fœminæque, capitali sententiâ luebant. Parere aut uterum gestare ante nuptias, probrosissimum habebatur. Quapropter si quæ ex illicito coïtu concepisset, satagebat aut in ipso ventre fœtum extinguere ac prohibere nasci, aut parere secretissimè, partumque pannis involutum in publicas plateas abjicere, ubi eum armentorum ungulæ conculcarent, aut discerperent bestiæ. Huic tam barbaræ crudelitati ut obviaret Inga, in muro extrui curavit locum concavum eâ altitudine, ut impositus in eum fœtus esse posset ab omni bestiarum injuria immunis, publicarique præconis voce, ut, quotquot furtivo concubitu nascerentur proles, illuc deferrentur, comminatione mortis in eas quæ secùs fecissent. Illatas ipse, nullâ factâ de inferentibus inquisitione, per deputatos ad hoc homines, qui quotidiè eum locum perscrutabantur, efferri, & suis sumptibus mandabat educari, adultis seu in agricultura, seu militia, seu in ædibus, aut alia quaquam in re usurus. Inventus in domo aliena cum filia, ad querelas Patris, arbitrio Ingæ castigabatur. Leno aut lena pro prima vice publicè vapulabat, perseverans in infami ministerio, occidebatur.

5. Indus Caziquæ suo inobediens primâ vice arbitrio Ingæ; secundâ, saxi ignominiâ; tertiâ, morte puniebatur. Qui cultum Ingæ Principibusve, qui more gentis maximus est, non exhibuisset, carceri in longum tempus mancipabatur, atque si alicui alteri culpæ inveniebatur obnoxius, mortem non evadebat. Castigabatur publicè ab ipsis parentibus proles inobediens.

6. Caziqua, qui, constitutis diebus, publicis sui municipii commessationibus non interfuisset, aut suâ incuriâ pœnarumque neglectu furta, immunditias, aliaque in Remp. scelera

fcelera iruere permifiſſet, arbitrio primùm Ingæ, poſteà officii privatione plectebatur. Caziqua moriturus filium natu majorem, ſi exercendo officio par eſſet; ſin minùs, ſecundum ſibi ſucceſſorem; ſi capaces filii deeſſent, digniorem à ſe atque capacem nominabat. Si incapacitas dumtaxat ex filiorum ætate erat, donec adoleſceret gubernaturus, conſtitutus à Patre Gubernator Rempub. adminiſtrabat. Qui muneribus illectus aliàve aliquâ causâ perverſus aut ſcelera diſſimulaſset, aut partibus juſtitiam non adminiſtraſset, præter pœnâ quam illi Inga arbitrio ſuo inferebat, inhabilis erat ad omne in poſterum ſimile officium. Si defectus juſtitiæ in re notabili accidiſset, occidebatur.

7. Pigrum, aut de die dormientem fuſtigabant, aut irrogabant ignominiam ſaxi. Mendacem, & falsò jurantem ſemel iterùmve nullâ emendatione caſtigatum publicâ plectebant morte. Pupillorum tutor frater ætate maximus, lege gentis neſcio an conſuetudine, conſtituebatur: hic ſi tutelæ incapax eſset, conſanguineorum proximior ſuccedebat: non omnis tamen à parentibus poſſeſſa hæreditas ad filios tranſibat, ſed attributâ cuilibet proli eâ portione quæ ad ſuſtentationem debitam Magiſtraribus aut Caziquis conveniens videbatur; reliqua ad Rempub. redibat, penes quam omnium agrorum terrarumque proprium erat dominium. Sed his rursùm, cùm adultâ ætate familiam inſtituiſſent auxiſſentve, Caziquæ deputatione hæreditas augebatur. Mitimaus, qui aſſignatum ſibi locum deſeruiſſet, primâ vice arbitrariè, ſecundâ capitaliter plectebatur. Omnibus idem ferè fuiſse veſtimenti genus, ante diximus (a), toramque differentiam in capitum faſciolis exſtitiſse, quibus una Provincia ab alia diſcernebatur. Patriam autem faſciolam qui mutaſset, duplicis prævaricationis, contra Ingam ſcilicet & Provinciam, cujus faſciolam ſumpſiſſet, reus habebatur: quapropter ab hac (b) communi clamore accuſabatur, ab illo (c) ſeveriſſimè puniebatur. Qui domum, in qua Virgines Soli ſacræ, velut quædam Peruviæ Veſtales, quas *Mamaconas* appellabant, morabantur, violaſset, pedibus in altùm ſuſpenſis in tardam mortem, nullâ ſpe veniæ, compellebatur: eâdem pœnâ ſeveritateque ad Mamaconam, quæ alterum in domum vel ad complexum carnalem admiſiſset, tranſeunte. Refert tamen Garçilaſsus Inga tàm ſollicitè ab omnibus illis cultam caſtitatem, ut inferendi ſupplicii nullam umquam dederint cauſam.

(a) cap. 2. num. 6.

(b) Provincia.

(c) Inga.

CAPVT IV.

De Religione.



DÆMON appetentiæ divinæ ſimilitudinis reus, atque ob eam cælo pulſus, peſſimæ voluntatis obduratione, atque ignorantiâ intellectus humani, liberique arbitrii infirmitate abutens, inſolitis quibuſdam operationibus & voluptatis illecebris animis ſe miſerorum mortalium pro Numine aliquo inſinuat, debitamque uni Deo venerationem ſacrilegâ rapinâ expoſcit. Quam à Petüanis conſecutus erat in templorum (guacas ipſi dicunt) magnificentia divitiiſque. 1.

2. Præter plurima, unum erat in qualibet Provincia præcipuum. Verùm duo fuerunt in tota Peruvia celeberrima: primum *Pachacâmac* uno à civitate Limenſi verſus Auſtrum miliari remotum (d) de quo plura libro ſexto dicturi ſumus

(d) Antonius de Herrera decade 5. lib. 4 cap. 4. ponit quatuor miliaria ſeu leucas, ſed magis credendum P. Antonio *de La Calancha*, qui diu ibi mæ habitavit.

Alterum

Alterum in urbe Cuzeensi maximum opulentissimumque Soli sacrum (eo loco ubi nunc est Monasteriū Dominicanorum) in quod Ingæ omnium Provinciarum subjugatarum Deos transtulerant, eos quasi obsides fidelitatis populorum habituri. Quibus, ne venerationis neglectu indignati Provincias ab Ingarum obsequio ad rebellionem diverterent, & singulis erat attributum altare, & sacrificiis solitis sumptuosissimè litabatur. Præcipuum tamen in eo erat Solis ex auro purissimo simulachrum, in quod cùm orientis solis radij plenissimè injicerentur, fulgore suo alterum Solem referre videbatur, atque ob id diuinis etiam honoribus ab Ingis colebatur. Erat in eodem ex puro puto auro mēsa Soli dedicata, quam in Cuzei spoliatione raptam, unâ nocte Mancius Sierra de Leguizamo Centurio, qui rapuerat, ludendo amisit. Vnde in proverbium & risum abiit, *qui Solem ludendo perdidit, antequam oriretur.* (a)

(a) *juega el sol antes que salga.*

3. Supremus tamen Deus, & quem Soli ipsi præferebant, *Pachacâma* habebatur, dictus ab ipsis Dominus & Creator omnium invisibilis, admirabilis, aliisque similibus nominibus à veritate Catholica non abhorrentibus. Quapropter non difficile fuit primis Euangelij præconibus mundum hunc universum ab uno fuisse Deo conditum atque gubernari, barbaræ genti persuadere. Præter hunc autem nullum esse alium Deum non æquali facilitate ab eorum, maximè verò senum, animis poterat eradicari. Observatu nonnulli dignissimum putant tria esse in Peruvia Solis simulachra, atque his nominibus dicta, *Apointi, Chuciinti, Intiquaoqui*, quæ latinè reddita idem sunt, ac *Pater seu Dominus Sol; filius Sol, frater Sol:* Ajunt itē in *Chucuisaca* vulgatum fuisse idoli *Tangatanga* cultum, creditosque genti in uno tres fuisse, & in tribus unum, manifestâ sanctissimæ Trinitatis, ut Hispani interpretantur, à dæmone imitatione, quæ confutat imò ridet Garçilassus Inga è Peruvia in Hispaniam puer abductus ibique ad Christianam fidem perductus. Inter Chinensia certè idola legi apud R. P. M. Ioannem Gonçales de Mendoça (b) Augustinianum suæ sanctitatis Pœnitentiarium, unum fuisse non magis figurâ insolitum quàm veneratione notissimum. Pingunt illud ut ex humeris ejusdem corporis tria exurgant capita mutuo in se intuitu defixa, quâ pictura significari Chinenses ajunt tribus istis non esse nisi unum velle & unum nolle; atque, quod uni placet, placere omnibus, & quod displicet uni, omnibus esse contrarium. Quo judicarunt Christiani in Chinam illati apud cæcam infidelitatem sacrosanctæ Individuæque Trinitatis mysterium adumbrari.

(b) libro dicto, *Historia de las cosas mas notables, ritos y costumbres del grand Reyno de la China*, 1. parte lib. 2. cap 1.

4. Vt in Peruviam redeam, præter *Pachacâmac* & Solem etiam Tonitru velut Dèum colebant. Arbitrabantur autem esse hominem quemdam in cælo fundam clauamque manibus gestantem, in cujus potestate sit pluere, grandinare, ningere, tonare, tùm facere, quidquid tecta Philosophia docet ex diversis aëris impressionibus generari. Huic varia sacrificia, nonnumquam etiam parvulos, non minùs quàm Soli, offerebant.

5. Venerabantur insuper divinis honoribus quidquid in natura excellens aut insolitum ab ipsis putabatur, ut lunam, Phosphorum Pleïdas, Mare, Terram, Iridem, quam inter duos colubros transversim illam claudentes, regia esse voluerant insignia. Diversis stellis varia officia operationesque attribuebant, illam ex omnibus, cujus maximè indigebant, præcipuo honore colentes. Pastores constellationem Lyræ, quam arietem multicolorem arbitrabantur, ut pecudum suarum gregem custodiret: Alii stellam, cui potestatem esse credebant in serpentes, ne ab iis læderentur: Alii aliam contra tygrides, ursos, leones. Persuasumq;

genti erat nullum esse animal aut avem sub cælo, cui non alia similis esset in cælo. Modus adorandi erat extensis manibus, apertis iterumque eum sonitu compressis labiis, ac tùm petendo quod cuilibet placebat. *Pachacâmac* velut præcipuum habebant, ad quem alios Deos tamquam intercessores dirigebant.

6. Neque hic stetit multiplicandorum Numinum pruritus, cùm in eorum numerum intruserint fôtes, pilas, rupes, ingentia saxa, cacumina montium, tygrides, vrsos, leones, serpentes. Non procul *Cajamalca* interiectus inter petrosos montes collis arenosus, quod hoc mirum ipsis visum esset, Numinis obtinuit venerationem. Iter facientes ad intersectiones viarum & in tumulos terrarum projiciebant detritos calceos, plumas, cocam mansam, aut lapillum aliquem in oblationem, quâ & transitum & nouas ad profectionem vires implorabant. Non minus arguta quam lepida fuit Ingæ *Viracocha* qui primus putatur *Pachacamaco* supremum omnium dominium tribuisse, collectio. Hic etenim, in frequenti Orejonum conventu, *Cum necesse sit*, inquiebat, *ad Dei maiestatem magnâ cum constantiâ ac quiete cuncta moderari, Solē arbitror, qui perpetuo motu discurrit, Deum esse non posse.* Deducto, ut arbitror, à moribus hominum argumento, inter quos quantò quisque ampliùs ab infima plebe ad animi magnitudinem discedit, tantò tranquilliùs se cæteraque gubernat.

7. Hostiæ, quarum in sacrificiis Perüanis vsus esse solebat, erant, Coca herba plurimùm apud ipsos æstimata, maizium, plumæ versicolores, gemmæ, conchæ marinæ, aurum argentumque in varias animalium plumas elaboratum, vestes preciosæ, fragrantia ligna, sevum incensum, *cuyes*, animalculi genus nostratibus cuniculis non absimile, arietes. Et hæ quidem hostiæ offerebantur ad obtinendam vel conseruandam sanitatem, euadenda pericula, bonorum temporalium consecutionem, habebaturque in eis non segniter ratio temporis, numeri, colorum. Dum cremabantur pro thure Cocarū fiscellæ in ignem injiciebantur sub certa vocum pronuntiatione. Ad bella processuri aues sylvestres in ignem ex spinis immittentes, cor insuper nigris arietibus famelicis extrahebant, orabantque, vt, quemadmodum istud, quod manibus cor tenebant, sine viribus erat, ita Numina redderent imbelles inimicorum animos. Tùm ex forma cordis, boni malive successus futuri auguria capiebant. Ne Inga veneno inficeretur canes nigros, *apurucos* dictos, præmisso vsque ad stellarum exortum ieiunio, immolabant, diurnam abstinentiam nocturnâ commessatione, Maurorum instar, compensantes. Sed, quod omnem humanitatem excedit, etiam pueros, maximè quos nec ætas quatuor annis minores, nec decem fecerat maiores, sacrificabant, crudeles certè victimas, & contra quas ipsa pugnat natura. Offerebant autem illas aut pro Ingarum sanitate, aut victoria consequenda: atque in eorum coronatione ducentos, quos nonnumquam suffocatos sepeliebant, nonnūquam iugulabant, tenello eorum sanguine Sacerdotibus se ab una ad alteram aurem illinentibus. Quin neque, dum præcipuus aliquis Indus ægrotabat, sacrarum Soli Virginum Mamaconarum vitæ parcebatur. In Patrum item infirmitatibus filios immolare more gentis receptum erat: item, idque minùs barbarè, pecudum segetumque omnium primitias. Messe tamen finitâ eumque ad nouam sementem injiciendam agros essent excultori si tempus contrarium, aut intra annum magnam aliquam sensissent aduersitatem, placanda rursum idola parvulorum cruore morteque ebantur. Omnia autem sacrificia iis cærimoniis perficiebant, quæ non differrent à gestibus delirorum.

8. Perüanorum opinione nullæ, nisi

nisi ob peccata, aduersitates irruebant. Has avertere satagebant sacrificiis & peccatorum vocali confessione, quæ in multis non admodùm ab vsitatâ inter Catholicos discrepabat. Erant scilicet deputati confessores, atque inter illos subordinatio quædam potestatis, vt necesse esset certa aliqua peccata ad maiorem referre: obligabanturque omnes nonnullis limitationibus ad secretum. Pœnitentias iniungebant. In quibusdam Prouinciis magni criminis reus habebatur, qui volens peccatum aliquod in confessione siluisset. In ægritudine etiam insignive aliquâ difficultate ad confessionem velut ad remedium recurrere mos illis erat. Confitebantur porrò homicidia extra bellum facta, furta, adulteria, veneficia, incantationes, venerationis erga idola neglectum, Regi detraxisse aut fuisse inobedientem: nulla autem peccata interna. Inga soli Soli confitebatur. Si ante patrem filius discessisset è vita, patris criminibus tribuebant.

9. Annum in duodecim menses cum festorum assignatione, & singulorum mensium nominibus distributum habebant; eum à Ianuario incipere soliti, nisi postquàm Ingæ cuidam placuit Decembrem anno principium dare, quem *Capracaime* id est, solemnitatem diuitem seu præcipuam, appellabant. Solemnitati autem *Ytû* nomen erat: hanc, nisi necessitatis tempore, non celebrabant. Celebrabant autem huncin modum: Duos dies à mulieribus se continebant, abstinebantque sale, axi, vino. Conveniebant deinde in unum locum, à quo externum atque animal omne abesse religionis ritibus jubebatur; vestimentum omnibus festivum erat, neque feruiens alium in vsum. In processione procedebant capitibus coopertis atq; in silentio, solis tympanis sonantibus, hoc ritu diem noctemque occupando. Tum genio indulgebant tripudiisque per dies duos noctesque totidem, læti, ut dicebant, suas fuisse orationes Diis gratas. Præter hanc solemnitatem alias habebant omninò plurimas, quas omnes referre tædium potius quam recreationem esset allaturum. Admodùm tamen fallor, nisi gratum lectori sit futurum alterius tripudii potiùs quam festiuitatis modum cognoscere.

10. Festiuitas fit tamen, ad quam se jeiunio genti usitato, id est, abstinentiâ à sale, axi, carne, pisce, solis herbis *Tuyos* dictis contenti, præparabant, & quam, more crudeli, paruulorum sanguine cruentabant. Sacerdos sacrificium oblaturus aliquot dierum secessu, intereà cæteris lætandi spatium dabat. Congregabantur ex confinio bis, ter, quaterve mille in municipium, in quo ædes erant Domini principalis *Atunayraca* quod est, *magnus Dominus* dicti. Huius exemplo confidentis justuque, sui municipii honorabiliores, ordine ab antiquitate familiarum desumpto, assidebant lateraliter sibi inuicem juncti. Idem eodemque modo cæteri, vicinorum municipiorum Domini faciebant, seriè assidentium ad medium nonnumquàm miliare continuatâ: lege tamen obseruatâ, ut inter duos Dominos primogenitus consisteret, virgam nigram oblongam crassamque duos digitos manu gestans, atque optimâ ditissimaque vestimenta indutus, & ornatus gemmis preciosioribus, ac faciem diuersis coloribus pictus, qui nullâ loci mutatione aut requie saltabat. Idemque omnes cæterorum Dominorum primogeniti faciebant. Ex aduerso alii eorumdem confiniorum simili serie considebant, spatio ac velut plateâ pedes latâ quadraginta inter utrosque relictâ. Post quemlibet autem virum seu huius seu alterius seriei vxores erant, famuli, ac pocula *chicha*, quod illorum est vinum, plena. Iuxta tertium quemque secundæ seriei fœmina quædam principalis consistebat egregiè ornata, quæ tympanum pulsabat Castellanis non absimile, ad cuius sonitum omnes illius late-

ris viri albas vestes nitidasque ac preciosas, ex quarum fimbriis tintinnabula exigua dependebant, induti, habentesque in capitis vertice atque sub mento semilunulas seu aureas seu argenteas, atque in brachiis ad cubitum usque in modum velut periscelidum laminas argenti affabrè elaboratas, unde ingens emicabat fulgor, manibus seinvicem complexi surgentes tripudiabant tantâ gestuum pedumque concordiâ, ut visu mirabile esset in tam longâ saltantium lineâ neminem aut tardiùs aut citiùs pedem promovisse; atque ita juncti procedebant donec à considentibus ex adverso, quinque aut sex dumtaxat pedibus abessent. Inde retrorsùm, ut nunquàm ab aliis vultus averterent, rursus abeuntes saltando ad sua sedilia revertebantur. Tum, cùm considendo aliquantulum bibissent, eodem modo tripudium repetebant. Dùm bibebatur, primogeniti, quos ab altera parte saltare diximus, sedebant. Posteà familiæ maximè antiquæ primogenitus consurgens sociatusque ducentis aut trecentis, qui illi serviebant, Indis sacculos concinnissimè factos & *Coca* referens gestantibus, singulis Dominis singulos saccos offerebat; ac dehinc cæcis, pauperibus, parasitis. Quam oblationem deinde omnes alii primogeniti, ordine familiarum servato, faciebant; oblationibus factis ad pocula revertentes. Intereà adesse jubebantur puerperæ omnes cum parvulis in cunis, quas pro modo gentis superbè exornabant, jacentibus, matribus post filiorum cunas stantibus, ad quarum arbitrium prolibus per homines ad id constitutos nomina indebantur, annotabaturque beneficio *quiporum* cuius familiæ aut oppidi essent, cuique subiecti. Hâc cærimoniâ finitâ vocabantur viduæ honoratiores, quæ vix audito nuntio, ita in ritum paratæ erant, ex ædibus magnâ pompâ omnique sobole comitante procedebant vestes defunctorum maritorum manibus præferentes, togam arctam sed longam ab humeris deorsùm, cui ad pectus pannum alterum brevem in testimonium luctus cruentatum injiciebant, in dutæ, expansis in largum capillis. His advenientibus omnes Primates assurgebant, nec priùs quàm viduæ sedissent, considebant. Atque in hunc modum hisque actionibus ac multis sacrificiis festivitas ad septimum usque diem protendebatur, post quem in montes, in quibus ut plurimùm idolorum oratoria habebant, conscendebant solemnitatem conclusuri.

11. Vltra *Andes*, quos diximus esse montes absque vallibus continuâ serie productos, quique totam Peruviam in longum pervadunt, Indi habitabant, *de Coca* dicti. Hi neque Solem adorabant aut Lunam vel quidquam istis inferius, sed aliquem, quem omnibus istis dicebant multò esse superiorem: querebanturque Ingarum potentiâ & mandato Indis necessitatem iniectam Solem Lunamque adorandi; neque ulli alii faciliùs fidem Christianam susceperunt. Sepulturas habent in modum turrium elevatas, easque ad domorum suarum portas egregiâ arte elaboratas: inhumanrur ligato femore corporeque complicato sedentes. Solis agros laboraturi & saturi soli vadunt primores albis insignibus, & fasciis ex humeris pendentibus, non absimiliter gestamini ministrorum apud nos altaris. Ædificia, maximè in satis, habent magna; visuque admirabile est quanto ordine hæreditates ab invicem distinguantur, quantaque pulchritudine & industriâ lapides ædificiorum, ut ne aciculæ apicem interjicias, sine bitumine aut calce coaptentur.

CA-

CAPVT V.

An Perüanis non fuerit annunciatum Euangelium paulò post Christi mortem.



1. INGENS peccati pœna est, si neque vulnus voluntati inflictum virtute cœlesti sanetur, neque tenebræ intellectus radio lucis divinæ dissipentur; quam quidem pœnam merito peccati originalis totius humani generis damnatæ massæ inferre potuisset justus judex, nisi misericordiâ justitiam superante plurimos sanasset & eripuisset misericors Pater, nullo justitiæ illorum merito, sed solâ eius benignissimâ voluntate, quos vult eligente, neque ullo Iudæorum præ Græcis, aut Asiaticorum præ Europæis aut Africanis aut Novi mundi indigenis privilegio. Ajunt tamen mysterio non caruisse Christum è cruce suspensum fuisse facie in Occidentem; in Orientem tergo obverso, quasi illos populos aspiceret, quibus secretissimo judicio decrevisset liberaliùs impendere suam misericordiam & diuturniùs conservare. Verùm quis & hîc consiliarius ejus fuit? Christi tamen promissione debuit per totum mundum Euangelica lex prædicari. *Et prædicabitur hoc Euangelium regni in universo orbe, in testimonium omnibus gentibus, & tunc veniet consummatio.* (a) Atque ita, Christo in cælum assumpto, factum fuisse S. Marcus refert, *Illi autem profecti prædicaverunt ubiq. Domino cooperante & sermonem confirmante sequentibus signis.* (b) Quando autem & per quem ista Euangelii annunciatio in Peruviam fit perlata, infallibilibus licèt argumentis, confirmare non possumus; ex utroque tamen Sacræ Scripturæ testimonio non obscurè colligimus Apostolorum aliquem in novum illum mundum penetrasse fidemque prædicasse, inventis ejus prædicationis post quindecim sæculorum lapsum manifestis adhuc vestigiis.

(a) Matt 24.

(b) Marci ultimo.

2. Neque arbitretur quisquam Christi promissionem non alium, quàm mundi finem, terminum Euangelii prædicationi præfixisse, illâ ductus ratione, quòd post eam venturam dicat consummationē, quam non de fine mundi, sed Hierosolimæ infœlici destructione per Titum & Vespasianum futura non Sacer modò ipse indicat contextus, sed sanctissimi insuper gravissimique Authores (c) interpretantur. Hanc urbis omnium pulcherrimæ destructionem cùm accidisse constet anno post Christi mortem quadragesimo, non erunt anni quos Euangelii sui prædicationi Christus destinavit, ultra eum numerum extendendi. Vt non temerè Euthimius (d) dixerit, *Viginti annis aut ad summum triginta ad omnes oras orbis Euangelium transcurrit.* Et certè S. Marcus verbis suprà allatis nullā post Christi ascensionem in prædicatione Euangelii concedit dilationem, Apostolosque munus & labores, quòd *ubiq.* prædicaverint, non dubitanter adscribit. Marcum autem Euangelicam historiam scripsisse post mortem Christi anno duodecimo docet indefessus scriptor Cæsar Baronius. (e) Dicant alii ad veritatem euangelicorum verborum satis esse quòd in partium mundi aliquibus præcipuisque locis Euangelium sit annunciatum, nos ex hoc concludemus non debuisse mediam mundi partem ab hac Dei misericordia, quâ omnes jussit doceri gentes, (f) & prædicari Euangelium omni, quæ per universum mundum est, creaturæ (g) excludi.

(c) S. Gregorius Papa in c. 14. Ioan. Chrysost. hom. 76 super Matth. Euthimius Theoph. super cap. 24 Matth.

(d) ubi supra.

(e) Ad annum Christi 45.

(f) Matth. 28.

(g) Marci 16.

3. Illius autem prædicationis non uno in loco novi mundi perstitisse reliquias prætérquàm quòd ex his quæ alibi (h) dicturi sumus, non ob-

(h) lib. 7. cap. 1. maximè n. 7. & seqq.

obſcurè colligatur, aliis tamen indiciis, populorumque traditionibus hìc confirmare ſatagemus, vt conſter Deum non adeò fuiſſe illarum gentium obliviosum, atq; nonnulli volunt eſſe injurii.

4. Apoſtolum aliquem aut Diſcipulum Chriſti in Inſulis de Varlovenro Euangelium annunciaſſe indigenis perſuaſum adhuc manebat, dum à Columno primùm deregerentur, ex quorum animis nondùm Satan totam Chriſtianam fidem eradere potuerat. Credebant enim in unum Deum infinitum, inviſibilem, omnipotentem, quem eorum majores duobus nominibus *Iocauna* & *Huamaonocon* appellârunt: Atque hunc Deum habuiſſe matrem. Qui ſunt duo primi veræ fidei articuli. Ita ſcribit Petrus Martyr primus illarum Inſularum Epiſcopus & hiſtoriographus, relatus ab P. M. Antonio de Calancha Auguſtiniano. (*a*)

(a) Lib. 1. hiſtoriæ Perüanæ ca. 1. num. 1.

5. In Cumana vicina terra, inter idola ſua crucem adorabant magnâ interni erga eam adfectus oſtentatione, quâ ſe & contra nocturnas dæmonum illuſiones ac ſpectra defendebant, & imponebant prolibus recens natis. Credebant inſuper animæ immortalitatem. *Gomara 3. par. cap.* 83.

6. Cum in inſulam de *Cozumel* non longe à *Tucatán* novæ Hiſpaniæ terrâ, Ferdinandus Cortés primùm appuliſſet, vidit in areæ ſpatioſæ muro lapideo circumdatæ medio Crucem decem palmos altam, quā cùm pro Deo pluviæ haberent, ferventibus ad eam precibus & proceſſionibus ſiccitatis tempore recurrebant; idque non incaſſùm, ſeu divinâ virtute plantatum ab Apoſtolo ſalutiferum lignum conceſſis ſubitò aquis honorante; ſeu operatione dæmonum ſatagentium, ut, quam doloſè inter Numina deputari fecerant, cruci, iſtis velut prodigiis divinos honores conciliarent, auctâ deceptionis malitiâ ſecundi erroris adjectione. Eratque hic locus omnium Inſulanorum velut ſacrarium, cum nullum eſſet aut oppidum aut pagus qui in eo altare & idolum (inter quæ plurimæ erant cruces ſeu ex ligno, ſeu ære, quas etiam ſepulcris imponebant) non haberet. (*b*)

(b) Gomar. 2. par cap. 15. Iuſtus Lipſius lib. 3. de cruce.

7. Priuſquam Provincias de *Tucatán* Hiſpani ſubjugarent, multis annis quidam illarum Sacerdos *Chilancalcat* dictus in oppido *Atini*, quod illarum Provinciarum præcipuum erat, vaticinando, ſeu privilegio Sacerdoribus conceſſo (*c*) ſeu ſpeciali inſpiratione, prout Sybillis datam pleríque confirentur, prædixerat; venturum aliquando populum barbarum candidumque, qui pro vexillis ſignum crucis, ad quam idolorum ſuorū poteſtas tremeret & Oracula obmureſcerent, efferret, totamque terram ſuo ſubjiceret imperio; jubebatque Vates ut in pace, cum veniret, ab indigenis reciperetur. (*d*)

(c) Ioannis 11. 51.

(d) Ioannes Torquemada 3. par. ſuæ hiſtoriæ lib. 15. cap. 49.

8. In vico porròque maris pacifici (quod *del Sur* Hiſpani dixerunt) *Guatulco* nomine populi *Chontales* erant, qui non modò traditione majorum, ſed inſuper picturis, quarum pro literis in nova Hiſpania uſus erat, credebant crucem quamdam, quæ ipſis ſummæ veuerationi erat, à ſancto viro Thoma fuiſſe collocatam, cujus imaginem nomenq; rupes ſibi inſculpta conſervabat, memoriamque ad poſteros vicus ejus nomine appellatus trajiciebat, ita referente P. Gregorio Garçia. (*e*) Qui addit hanc eandem eſſe crucē, quam in *Guatulco* hæreticus inſignisque pirata Franciſcus Dracus in cineres per ignem redigere poſteà conatus fuit, impio eius iteratoque (quippe qui cum videret eam flammâ non corripi, pice naphthâque oblitam tridui igne tentavit) conatu, cæleſti virtute, eluſo. Iſta nunc *Guaxaca*, quò eam Præſul Ioannes de Cervantes tranſtulit, multitudine prodigiorum venerabilis eſt. In Provincia de *Zapoteca* in vico *Quichapa* dicto, biblia ſolis figuris primam rerum creationem, Annunciationis myſterium, Beatam Virginem Indæ habi-

(e) lib. 5. cap. 5.

habitu, plurimaque alia Christianæ fidei documenta repræsentantibus notata, inventa fuisse, eaque multis annorum centuriis à majoribus ad posteros transiisse P. Stephanus de Salaçar primò Augustinianus deinde Carthusianus author est. Adfirmat certè in quadam apologia zelosissimus P. Bartholomæus de las Casas ex ordine Dominicanorum Chiapæ Antistes sedulâ informatione factâ constare Indorum confessione antiquissimis temporibus illis annunciata fuisse Sanctissimam Trinitatem, Virginis partum, passionem Christi per præcones tunicis integrum usque ad talos corpus tegentibus, & semi-calceis (sandalias vulgus vocat) indutos, gestantesque barbas largas.

9. Hos autem Euangelii in novo mundo præcones fuisse S. Apostolum Thomam atque alium, cuius nomen gentieit incognitum, Discipulum, non tantùm stabilitur ex S. Ioanne Chrysostomo (a) quem citat Angelicus Doctor (b) *Thomas* (ajunt) *infirmior enim erat & infidelior aliis, postea omnibus fortior factus est & irreprehensibilis, qui solus terrarum orbem percurrit, & in mediis plebibus volvebatur volentibus eum interficere*: verùm etiam ex ipsorum archiviis in *quipos* distributis, ex continuato Thomæ nomine, ex pedum corporisque diversis rupibus impressâ formâ usque ad tempus ingressus Hispanorum permanente perpetuo gentis cultu celebratâ & prodigiis frequentatâ: ex barbarorum canticis non barbarè sanè compositis: ex traditione & concordi omnium illius mundi populorum testimonio: prout amplis monumentis Brasiliensium, Peraguayensium (c) seu fluvii argentei accolarum, (d) Petüanorum maximè Cuzcensium, Quitensium, Mexicanorumque allatis confirmat P. M. Antonius de la Calancha, serius, suâ confessione, omnium inquisitor, (e) ad quem curiosum lectorem remitto, si tamen de nominis continuatione paucula perstrinxero.

(a) hom. 61.
(b) In sua catena in Ioannem cap. 21.
(c) Peraguay.
(d) Rio de la Plata.
(e) lib. 2 suæ historiæ Peruanæ cap. 2. 3. 4.

10. In *Brasilia* Thomæ nomen perpetuò perseveravit: In *Peraguay* additis nonnullis literis *Payçume* dicunt, ut eâdem voce & nomen exprimerent Apostoli mutato T. in ç, usu illis gentibus communi; & titulum æstimationemque, quibus illum venerabantur; *Pay* quippe appellabant quidquid divinum, potens, sapiensque reputabant: ut *Payçume* idem illis esset quod nobis, *potens sapiensque Thomas*. Tenetque in hodiernum usque diem consuetudo ut *Payçumes* appellentur non modò, qui ab illis, qui Apostoli Thomæ doctrinam susceperant, geniti esse creduntur, sed omnes etiam Catholici Sacerdotes, velut similis cū Thoma potestatis scientięq́; cum suorum idolorum flamines nuncupent *Moanes*. Alibi *Tume* vel etiam *Tunume* appellatio frequens est, mutatione pronuntiationis literæ O. in N. non inusitatâ. Evenit autem postea non tàm temporis lapsu, quàm fraudulentâ dæmonū suggestione, ut honorem, quem maximum suis prædicatoribus debitè impenderant, in divinum sacrilegè commutarent, testarenturque ipsa nominum prolatione priori non admodùm absimili, nam eorum alterum *Tunupa*, id est, egregiè sapientem, Dominum ac Creatorem dixerunt; alterum autem *Taapac*, id est, Creatoris filium.

CAPVT VI.

De veneficis, auspicibus, & sortilegis.



HORVM in Peruvia infinita propemodum multitudo erat, colebanturque maximis honoribus tanquam Diis suis chariores, & quorum interventu eorum oracula postulabant. Præcipuè verò Ingis gratum erat quoddam Lamiorum genus, qui eâ, quam volebant, figurâ seu per terram, seu per aëra maximâ celeritate ferebantur, nuntiabantque prœlia, rebelliones, 1.

 tumul-

rum multas velitationes, eiusdémq; generis plurima, eodem, quo confligerant, die; licet trecentarum & ampliùs leucarum distantia intercederet.

2. Familiarissimi autem & ubique obvii erant, qui res furto ablatas mõstrarent, redderentque, qui profecturis, si quid in via faustum illis infaustumve accideret, prædicerent. Nec priùs interrogantibus respondissent, quàm in locis secretis obscurísque, nonnunquàm etiam prævii diei ebrietate præparati (apti talibus mysteriis mystæ) dæmonum oracula poposcissent: hæc reddebantur ut vox quidẽ, sonitúsq; respondentium audiretur, nulla tamen eorũ figura ostẽderetur.

3. Mille erant cæremoniarum & sacrificiorum species, quibus pro obtinendis responsis idolis suis immolabant: nullibi tamen, quàm ubi opulentia, potentiaque erat maior, frequentiores. Quippe cum dæmonum cultus non nisi aut à spe consequendorum bonorum, aut, idque vel maximè, inferendorum malorum metu proficisceretur, fiebat, ut ille ibi, ubi hæc maximè sperabantur timebanturque, esset maximus. Spes autem, metúsque vehementiores magnarum fortunarum assectæ esse solent. Cum porrò Cuzci imperii potentiæque Peruanæ esset sedes, erat etiam ibidẽ magnificentissimus idolorum cultus. Incredibile dictu est, fuisse in unâ hac urbe templa seu *guacas*, adoratoriaque suprà trecenta.

4. Illatâ tandem salutiferâ Christi Servatoris Cruce, ac Sanctissimo Iesu nomine publicato, tenebrosa hæc oracula aut prorsus eiecta, aut in speluncas ac cavernas desertorum montium redacta sunt, magnâ non magis indigenarum admiratione, quàm emolumento, quòd conspicuâ idolorum suorum impotentiâ, faciliùs eius se jugo legibúsque subjicerent, cujus vel solo nomine, vel vexillo terrerentur pellerenturq;, quorum supremam hactenus potestatem fuerant venerati, ut alibi opportunior dicendi erit occasio.

CAPVT VII.

De situ, excellentia, aliisque qualitatibus Peruviæ.



NOMINIS *Perù* occasionem, latissimósque eius terminos infrà (a) dicemus, propriè tamen Peruvia dicitur quidquid à civitate *Pasto* ad Provinciam usq; Chilen per gradus amplius viginti sex interjacet, uno siquidem gradu aliquotque minutis Pastũ ab Æquinoctiali versus Septemtrionem recedit, reliquis in Austrũ ultra Tropicum Capricorni excurrit, eoq; solùm, quo excurrit, extra zonam torridam est, maxima autem pars eâ comprehenditur, ideoq; propter perpetuum solis æstum veterum opinione inhabitabilis censeri deberet, nisi frigore flantis semper Africi temperaretur, qui ubi abest, ut in quibusdam vallibus citra montes sitis, calor nimiùm excedit. Montes frigidissimi sunt, & multâ, ut plurimùm, nive cooperti. In sola ergo planicie, quæ inæquali latitudine (b) iuxta mare Pacificum per totam Peruviam protenditur, grata hæc & aliis mundi partibus incognita, Africi beneficio reperies est, hieme æstateque propemodùm æqualis, cùm nec ipsi dies ampliùs quàm duarum horarum differentiâ discrepent, ut longissimus, Sole in Capricorni Tropico existente, sit tredecim horarum, undecim verò cum Sol Tropicum Cancri percurrit. Qui sub Æquinoctiali sunt perpetuam habent dierum noctiumque æqualitatem. Sicut & planities ab Occidente terminatur mari Pacifico, ita ab Oriente altissimis montibus, qui à Septemtrione in Austrũ continuis jugis porriguntur quos *Andes* vocant. Ver illis est quod Europæis autumnus, & æstas quod hiems, quamquã in planitie 1.

(a) lib. 2. cap. 1. nu. 1. & 2.

(b) alibi viginti miliarium alibi quindecim aut etiam paucorum.

tie habitanribus nulla ſir tam aſpera hiems ut corporibus ſit moleſta.

2. Mare, quod torum Occidentale Petuviæ latus radir, Pacificum appellarur, nrpore paucioribus minoribuſque rempeſtaribus, quàm alia, obnoxium. Piſcibus abundar omnisgeneris, quos vereris mundi Oceanus aur ſinus adminiſtrant. Pari illos abundantiâ fluvii, torrentes & lacus producunr. Non procul Argyropoli ſcaturit fluvius ibi *Pilcomayo* dictus, poſteà Argenteus (a) mulriſque fluviis auctus in mare Sepremrrionale oſtio rriginta leucas Hiſpaoicas larois exonerar, qui poſt fluvium Amazonum nulli rotius orbis terrarum flumini magoirudine cedit. De huius fluminis nonnullis brachiis *siete corrientes & rio Bermejo* dictis iſtud oarranr ſcriprores, lapſas in eâ arbores aut arborum ramos in lapides converri eiuſdem nti fuerant figuræ, iſtius autem duritiei ut iis concuſſis veluti ex ſilicibus igneę exiliant ſcintillæ. Si parre arboris in aquas lapsâ reliqua in litore jaceat, iſta lapidis naturam induer, in hac formâ ligni permanenre, ut mirâ jucunditate viſa fuerint bacula alternantibus ligni lapidiſque ſpeciebus hâc arre cõfecta. Eandem virrutem in quadam eius parte fluvio Marañon, & cuidam prope Cuzcum ſcaturigini rribuunt.

(a) *Rio de la plata.*

3. Rem mirandam inſolentiâ ſuâ offuſcabunt quæ ex Auctoribus ſubnectam. In valle *Chilo* non procul *Quito* foos eſt cuius aqua ad voces humanas moverur & inſtar bullientis exilit, &, ſi alriores dentur diuturnioreſque, ſpumat ſupraque, latera ſe effundit, illis aliàs cubito depreſſior. Ceſſantibus autem vocibus ad priſtinam quietem & depreſſionem ſe reducit.

4. In *Chile* ioter *Atacama* & *Copiapò*, fluvius quidam Sole oriente fluere incipit, occidente deſinit. In Prouincia verò de *Guailas* in monte *Pira* fons *Puquio* geoti dictus noctu fluit, viciniſque abundantiſſimè aquas ſufficit, diu ſtat ne unâ quidem guttâ ſtillans. In *Chile* rurſus in exigua valle *Petegueleu* torrẽs lapides fert prorſus ſtupendos, omnes ſcilicet perfectiſſimæ Crucis formâ pollicis magnitudine inſignitos. Color nonnullis jaſpidis eſt, aliis alabaſtriiis, aliis ebeni. Atque quod mirabilius eſt, fractorum lapidum etiam minutiſſimæ partes quocumque modo aut larere ruptæ eiuſdem crucis ſpeciem perfectè exhibent, adeoque vulgare eſt in *Chile* Catholicis has cruces roſariis affixas deferre. Vide de his prolixè P. M. Antonium de la Calancha (b)

(b) lib 1 *de la Coronica de S. Augustin en el Peru* cap. 8. num. 4. 5. 6.

5. Aquarum calidarum ſalubriũque thermas ſingulæ pænè habent Provinciæ. Sal nullibi eſt aur copioſius aut melius, quoddam ex mari quoddam ex fluviis genitum. Auri argentique copiâ & bonirare, cæteras Orbis partes longè excedir, cujus rei argumenta erunt quæ de Ingarum opulentia, luxu (c) lytro *Atagualpa*, quæ de *Potoſia* & *Chuquiſaca* montibus (d) alibique dicemus. Sunt iſtorum merallorum fodinæ plurimæ, ac novæ indies dereguntur, pluresque adhuc montes ſuâ abundantia operariorum paucirarem & divitum avaritiam irrident. (e) Tanta Europæorum Regum, Rerump. ac ciuitatum porentia, arriorum ac templorum fulgor, ſcriniorum pondera, ubi quam in Novo Orbe, maximeque Peruvia nata? Revolvantur rationes pręcedentium ſæculorum & proximè elapſi ac moderoi, conſtabir indubiè præſentibus ruſticorum ſummis veteres nobilium ſuperari. Neque interim deſunt Peruanis cupri, plumbi, ſtanni, & ferri mineralia. Smaragdorum ea prope Portum-veterem (f) eſt copia ut integræ regioni nomen dederit. (g) Magnes in variis Peruviæ locis frequens eſt optimuſq;. Lapidem *bezar* duo animalia *vicuñas* & *guanacos*, hoc verveci, iſtud capræ ſilveſtri magnitudine par, fœcũdiſſimè producunr. Fert prætereà plures Peruvia lapides ſanguinis, urinæ, ventris, lactis vitiis medẽtes. Admirandam rupis cuiuſdã virtutem dicemus cũ ad Provinciã *de los Conchucos* venerimus. (h)

(c) hoc lib. cap 8 nu. 3. 7. & 14. lib. 2. cap. 5. num. 7. 9. & 10.

(d) lib. 16. cap 4.

(e) P. M. Antonius de la Calancha lib. 1. cap. 8. num. 3.

(f) *Puerto viejo.*

(g) *Provincia de las Esmeraldas.*

(h) lib. 8. cap. 2.

6. Sicut aëris temperie ita & fertilitate alias mundi partes excedit, omnium fructuum, leguminum, & frumentorum feracissima, quamquam nullâ unquàm pluviâ in planitie irrigetur. In plurimis partibus ex uno frumenti modio centum colligunt, in Arica trecentos prodigiosâ fœcunditate. Nullum ex Hispania fructûs, frumenti, arboris, herbæve genus defertur, quod non lætissimè proveniat; multa tamen, sunt quæ in in Hispaniam ex Peruvia translata non crescunt. Omni anni tempore fructus habet recentes, quos cum planitie collegeris, laborantes fructibus videbis in Andium radicibus arbores quorũ rursum maturitatem vicissitudine suâ planitiei arbores sequuntur. Vino, oleo, saccaro abundat. Ex solis acinis terræ immissis multas vites produxit.

7. Eâdem facilitate peregrini flores cujuscumque generis proveniunt, Cariophylli nullâ sollicitudine omni anni tempore. Patrios autem flores quosdam habet planè singulares. Vnus est lilio non absimilis sed triplo major, qui noctu se expandit, diffunditque ad quinquaginta passus fragrantissimum odorem. In Trujilli planitie alius nascitur quo nihil formosius natura formare posset. Imò fasciculus potiùs florum est à natura ad oblectamentum compositus, in quo viginti sunt trigintave flores, omnes colore à se mutuò distincti, Aulici Paradisi florem appellant. Verùm si in illo ad recreationem natura lusit, in sequenti quandam à Christianis venerationem reposcit, in quo omnia Dominicæ Passionis instrumenta formavit, tres clavos, columnam, arundinem, funes, flagella, coronam, spongiam, lanceam, vulnera denique ipsa numero quinque. Magnitudine duos regales æquat. Fructus ejus parvo pomo non absimilis colorem violaceum formosissimè ostentat. Flos, fructusque sumpti non minùs quàm piper mordent & ad deliquium animi magnâ molestiâ inclinant, ne in isto quidem à similitudine Passionis Christi abeuntes: in vino tamen sanguinis vitia curant. Indi illum *Cururunca* & *Machacaquainavi*, quod generali linguâ colubri oculum significat, vocant. Præcedenti similis est alius *Petpic* Indis, *Puchepuche* Hispanis dictus, duplo major, tamen & colore nonnihil discrepans. Fructus ejus dulcis est, quem Indi comedunt. Nec minùs mirabilis est arbor exigua parvisque foliis in Provincia *Cajatãbo* & in vico Sancti Matthæi Limæ vicino proveniens. Florem producit cæruleum, & ex eo fructum perfectæ eruci simillimum.

8. In cæmiterio cujusdam sacelli *Guamangâ* quatuordecim leucis distantis, arbor excrevit quinque habens altitudinis ulnas, formam perfectæ crucis.

9. In Provincia *de los Charcas* arbor procerissima parva folia, sed fructum palmæ magnitudine producit. Hic apertus multas tenuissimas telas, instar foliorum alicujus libri complicatas exhibet, quas, si separes, invenies in qualibet cordis perfectam figuram, in ipso autem corde crucis effigiem.

10. Hæc in fontibus, silicibus, floribus, arboribus paradoxa, sequatur aliud in Caillomæ (a) fodinis inventum ab Indo, qui, cùm anno M. DC XXXI pridie Inventionis sanctæ Crucis, altitudinem quinquaginta cubitorũ ex mõte hactenus istâ profunditate intacto, effodere argentum tentat, lapidem concussit fregitque, in quo velut in Calvariæ monte tres cruces apparuerunt eo artificio insculptæ, ut perfecti aurifabri diligentiam superare possint. Maxima, palmâ non minor, titulum auricularis digiti latitudine, sed sine ullis literis suprapositum habebat: in alterius vertice clavus cõspiciebatur perfectissimè; tertiæ brachiũ Indus in nihil quàm in opus suum intentus, ignarusque tàm ingentis ibi latentis sacramenti, fregerat.

(a) Caillomæ.

11. Referunt citra montes de Cha-

Chachapoyas & apud *Bracomoros* arbores esse, quarum præcisi rami lucem effundunt, ut ad eam noctu legi literæ commodè possint, quæ eâ proportione, quâ rami siccantur, decrescit.

12. Plura de similibus, de multitudine & varietate pecorum avium, aromatũ herbarum saluriferarum vide Antonium *de la Calancha (a)* De genio gentis infrà quædã libabo. *(b)*

(a) lib. 1. cap. 9 (b) lib. 6. cap. 1. num. 10.

CAPVT VIII.

De Ingis seu Regibus Peruviæ.



FAMILIARE fuit gentiliũ Rebusp. ac Principibus initia sua genusque à Diis deducere, seu innatâ ex protoplastorum peccato divinæ similitudinis appetentiâ, seu astuto consilio, ut ex progenitorum divinitate maximam sui venerationem, timoremque populo sibi subdito ac finitimis iniicerent. Idem in Peruvia Ingæ Orejonesque fecerunt, fabulâ, utpore ignotâ, hîc non omittẽdâ, ne quis meritò desideret ea, quæ sibi initia finxerit Monarchia olim maxima ordinatissimaque.

(c) cap. 2.

2. Præter commenta suprà (c) à me posita, etiam apud Perüanos obvium fuit in *Pacaritambo*, id est domo generationis nõ procul à loco, ubi nunc Cuzcum est, apparuisse tres viros fœminasque totidem; illos dictos *Ayarache*, *Aranca*, & *Ajarmango*; has *Mamacola*, *Mamacona* & *Mamaragua*: omnes verò indusiolo sine collari & manicis, ac palliolo, more quidem gentis, sed splendidissimis maximeque elaboratis vestitos. *Ayarache* insuper in manibus fuisse fundam auream atque in ea lapidem, quâ montes pro arbitrio vel in cælum extolleret, vel deficeret in ima. Communi autem trium conventu statutum fuisse in *Pacaritambo* ut civitatem nouam conderent, coloniamq; deducerent. Quod cùm indigenarum auxilio non difficulter essent consecuti, æmulatione potentiæ *Ayarache*, ac invidiâ individuâ magnarum rerum comite duo posteriores concitati fraudibus trahere in ruinam, quem superare posse viribus desperabant, aggressi sunt, rogaveruntque ut in speluncam seu vasis alicujus preciosi, seu Solis parentis adorandi causâ descenderet. Verùm, ut nulli faciliùs, quàm magni rectique animi, dolis sunt obnoxii, cùm ille rogantibus confidenter obsequitur, nimiæ mox fiduciæ ludibrium magis quàm pœnas sensit, ore quidem speluncæ ingentibus saxis per æmulos advolutis obsepto, ipso verò *Ayarache* intùs dejectione concussioneque montium potentiam invidiâ superiorem monstrante, & paulò pòst conspicuo in aëre sublimi alis magnis versicoloribusque. Ad cujus insolitum inopinatumque conspectum cùm contremuissent, *Ponite*, inquit Ayarache, *metum, præludia sunt hæc & documenta imperii Ingarum quod se quaquaversum latissimè extendet: vos cedite Fatis, urbisq; Tamboquiro quam cepistis* (nam & hanc condere concluso in spelunca Ayarache cœperant) *fundamentis desertis, in valle, quam magis declivem cernitis, aliam condite, Cuzcum nomine, maximi imperii sedem futuram. Erit in ea olim templum Soli parenti sacrum non magis opere admirandum, quàm gentium omnium sacrificiis & veneratione celeberrimum. Fiet etiam ut me quidem in ea, quam videtis, forma ad montem, cui ex me nomen Guanacâvre* (nam & ita appellabatur) *indetus, abscedentem erectis altaribus & oblatis sacrificiis sitis adoraturi, vestro tamen potiùs quàm meo emolumento. Istis enim honoribus provocatus novæ quidem Urbi fælix incrementum, magnificentiam, ac potentiam conciliabo: vobis autem in præliis prosperitatem victoriamq; sum largiturus. Terroris, quem inimicis vestrâ estis virtute incussuri, hoc erit signum,*

gnum, si aures, ut me fecisse videtû, vestras perforetis.

3. Talia dicentis aures perforatas aureisque muranulis ornatas videre visi sunt, positoque metu promiserunt se, quidquid mandasset, sedulò executuros. Tùm ad montem, qui usquemodò *Guanacâvre* vocatur, fuitque genti semper sacer habitus, profecti, & eundum *Ayarache* denuò conspicati, ab eo accipere plumam, seu, ut alii, tenuissimam telam ad aures usque descendentem coloris purpurei (a) jussi sūt, diadema Ingarū futuram. Hocajunt Orejones suæ esse institutionis initium, eademque Ingarum, quæ *Ayarache* fuêre vestimēta. Hæc cum *Ayarache* fuisset elocutus, tam ipse quàm *Aranca* in saxa, humanâ tamē figurâ permanente, conversi sunt. *Ayarmango* autem cum mulieribus novæ civitatis Cuzci jactis fundamentis, *Mangocapa*, quod est, Dominus ac Princeps dives, seu propriâ ambitione, seu adulatione populi est appellatus, habitusque primus Inga. Præclarum valdè opus urbem condere, multò præclarius conditam constituere, longè verò præclarissimum institutam rectè gubernare: quæ omnia egregiè præstitit *Mangocapa*, nulli aliarum uspiàm gentium Principi in hoc secundus. Nam, ut nullum est vinculum Religione fortius, neque quidquam ad alliciendos animos porentius benignitate humanitateque, his eùm ille excelleret, factum, ut multi ultrò se ejus subjicerent imperio; alii fœderarentur: atque ita viribus auctus cæteros aut superabat, aut terrebat. Ajunt eum ultra bis mille leucas imperium extendisse, accumulasseque solum plus divitiarum, quàm omnibus simul supperat Europæ, Africæ & Asiæ Regibus. Docuit has gubernandi artes sedulò proles suas, quas ex una istarum trium mulierum omninò quatuor susceperat, filios tres, unamque filiam *Achiolo* dictam: quibus matrimonio collocatis, ipse admodùm senex fatis concessit, eo certè felix, quod vel post tam diuturnum imperium, atque in ætate jam inutili, quæ tædiosam reddere gubernationem solent, à suis finitimisque desideraretur, ut superesset.

(a) Borla.

Inga primus.

4. Patri successit filius natu maximus paterni non magis imperii quam virtutum hæres *Chinchiroca* seu *Ingaroca* dictus, quibus, cùm patris manibus solemnissimâ pompâ parentasset, administrationem regni aggressus, brevi illud latissimè extendit. Ita sæpè faciliùs invitantur populi, aut ducuntur, quàm vincantur. Hic pœnam mortis constituit otiosis, seu otii malis seu genio gentis in illud proclivi provocatus. Sterilem deinde urbi vicinam vallem comportatâ ex Andibus terrâ fœcundam reddidit. Cultum Deorum, quem pater præcipuum *Pachacamaco* (b) tamquam mundi creatori, (c) deinde Soli, atque hujus sorori Lunæ exhiberi jusserat, celebriorem reddidit, ut allecti longè latèque populi non jam velut ad spectacula, sed divinarum cærimoniarum rudimenta concurrerent. Oblatam à quodam potentissimo filiam de consilio Orejonum, quibus dilatandi imperii opportuna hæc occasio videbatur, duxit, sorore, quàm patriâ lege (d) sibi jungere tenebatur, neglectâ. Adeò omnis, contrà quam prorogādi militat spes regni, futilis lex est. Sororem inter virgines Soli sacras in templo *Caracauche* conclusit. Auctusque imperio & opulentiâ è vivis excessit relictis filiis filiabusque non paucis. Creditus autem à subditis fuit propter insignem ejus pietatem inter cælites fuisse relatus.

Inga secundus.

(b) Pachacamac.

(c) lib. 6. cap. 1. num. 3.

(d) Sup. cap. 1. num. 1.

5. Post quem regni administrationem suscepit. *Lloqui Tupangi* superioris ex principali uxore, quam contrà regni leges duxisse eum diximus, filius, Maxima sumpruosissimaque exstruxit ædificia. Socerum in Civitatem Cuzco, attributâ illi parte ejus Occidentaliori, & imperii societatem invitavit. Ab inimicis victus captusque præ doloris magnitudine sanguinem lacrimasse refertur,

Inga Tertius.

fertur, ob id *Yacarguaque*, quod est, planctus sanguineus, à nonnullis dictus. Huic cum adultâ jam ætate proles deesset, plurimis in *Caracanche, Guanecavre*, & *Tamboquiro* alibique sacrificiis litatum fuit, datumque oraculũ, nasciturum ei filium. Natus *Maitacapa* est appellatus, cui, cùm eo admodùm adhuc juvene moreretur, Administratores duos attribuit, regio diademate, donec adolesceret, in templo *Curacanche* deposito. Mortem ejus non tantùm, sicut præcedentium, planxerunt, sed plurimę fœminæ, famulique barbarâ immanitate prosecuti sunt, seipsos trucidantes ut in cælum citò transferrentur, ibi scilicet viventi servituri. Crines autem, quod alterum erat obsequii amorisque testimonium, radebant plurimi.

Inga quartus. 6. Adultus *Maitacapa* ad gubernacula accessit. Hic, cùm sororem non haberet, matrimonio sibi alterius nobilis filiam *Manaca Guapatas* nomine, copulavit. Referunt nonnulli huic Ingæ, cùm *Viracotha* se appellari voluisset, à subditis, quòd illud Dii nomen esset, fuisse contradictum, quos, quia in somnis sibi Viracocham apparuisse mandasseque, ut nomen illud sibi imponeret, publicè pronunciavit, placavit. Adeò divinitatis æmulatio, quam singuli appetunt, semper multitudini displicuit. *Charcas* finitimasque *Potosio* terras subjugavit. Simulacra idolorum aurea, plurimaque ad eorum ministerium ex auro argentoque vasa curavit. Opibus immensis auctus est. Civitatis unam partem nũquam cum aliis concordem domuit, extinxitque, seditiosorum bonis in alios distributis. Cùm in *Condesuyos* exercitum copiosum pararet, ipse inter vivos esse desiit, quem tamquam divinum aliquid in templo collocavit sequens eum in imperio filius *Capac Yupangui*.

Inga quintus. 7. *Condesuyi* verò morte Regis intellectâ, arma exercitumque, quæ, ut contra patrem se tuerentur, paraverant, ultrò etiam filio, antequàm imperii diadema capesseret, intulerunt, opes, quæ in coronatione Ingarum maximæ esse solent, rapturi, majoribus certè animis quam meliori fortunâ. Nam hæc pro Principe stetit, qui ovans reversus coronationis solemnitatem, quam hostis turbare tentaverat, novæ ex victoria lætitiæ adjectione mirum in modum auxit, ut nec ab hominum immolatione, barbarâ crudelitate, temperaretur. *Condesuyi* autem dedecoris impatientes reparatis viribus rursus belli aleam tentare statuunt, involantque non minori quidem, quàm antea, impetu, sed nec successu fortunatiori, amissis in conflictu sex millibus. Inga victoriâ non segniter usus totam mox *Condesuyorum* Provinciam subegit, eò etiam laudabilior, quòd parcendum sanguini, ac abstinendum à vastandis agris oppidisque duxerit, solâ victoriæ gloriâ contentus. Provinciâ pacatâ, legibusque ordinatâ Cuzcum revertens, virgines aliquot, eas in templo Solis in Mamaconatũ numero collocaturus, secum abduxit. Tùm ingens suæ habitationi palatium exstruere adorsus est. Famâ autem crescentis tam magnis incrementis imperii, benignitatis Ingarum & in cultu divino magnificentiæ ad alias nationes perlatâ, eas excivit ut muneribus illorum gratiam præoccuparent. Præ cæteris *Andaguailarum* illustris legatio fuit, cui etiam augustiùs seu donorum largitione, seu verbis Inga respondit. Familiæ *Inacapanacae* infitiõ dedit. Statuam ingentis ponderis ex auro, atque ex eodem metallo, quo portaretur, ferculum fecit. quæ, aliaque multa pro litro *Atahualpa* tyranni in *Cajamalca* à Francisco Pizarro capti postea delata sunt. Corpus ejus, cùm ab Hispanis aliquot pòst sæculis S. Blasii Parochia Cuzci fundaretur, planè integrum, parùmque à vivo distans inventum, jubente Marchione de Cañete Præfecte, Licentiatus Polus cum aliis duorum Ingarum exuviis Limam, ut omnis idololatriæ materia praeriperetur, misit.

misit. Don. Philippus *Caritopa* hujus Ingæ pronepos asseruisse fertur thesauros ab illo relictos fuisse innumerabiles. Cui non difficulter assentior, fuit quippe hic Inga, si P. M. Antonio de la Calancha (a) indagatori antiquitatum Perüanarum maximè sedulo credimus, avarissimus, quique jusserat ut cum mortuis Indis omnes eorum facultates, quas deinde furtim, vitio planè ignobili, auferebat, sepelirentur.

(a) lib. 1. cap. 15. num 4.

6. Inga. 8. Superioris filius *Ingareque* seu *Incaroca* (quem nonnulli *Topaynpangui* dicunt) fuit hæresque regni. Fertur, cùm in coronatione autes ei more gentis perforarentur, præ doloris, quem sensit, magnitudine ex urbe in montem *Chaca* dictum secessisse, jussisseque *Nicacotác* sororem suam ac conjugem aliasque mulieres sequi, ac doloris tempore adesse: atque, cùm nullus urbem rivus irrigaret, fusis ad *Viracocham*, Solem, *Guanacâvre*, Ingasque majores suos precibus petiisse, ut sibi aperirent, quibus modis artibusque ingens illud beneficium civitati posset conferri: Inter has, cùm subitum tonitru omnibus metum incussisset, ipsum etiam Ingam in terram, ante sinistrâ in eam incubante, ac copiosè sanguinem fundente, corruisse, auditumque sub ea murmur currentium aquarum, quas effosâ terrâ repertas in civitatem, magno illius non magis ornamento quàm utilitate, derivavit, oblatis in testimonium gratitudinis innumeris sacrificiis, cum Deorum potentiâ ingens illud beneficium fuisse collatum non dubitaret. Cæso etiam in *Pomatambo* hoste, summâ cum victis clementiâ usus, non minùs hujus fortitudinis triumpho gloriosus urbem ingressus est, Indis principalioribus magno eum numero custodiæ ergô obsepientibus, bipennes gestantibus aureas argenteasque. Idola item ex auro fecit. Sobolem masculam cum copiosam haberet, caruit filiabus. Quare filius ejus natu maximus *Tupangui* alterius nobilis natam in matrimonium sumere

7. Inga.

coactus fuit, cui *Mamachiquiac* nomen erat.

9. Hic antequam post patris mortem regni administrationem adiret, corpus paternum, more maiorum, in proprio sacello collocavit, illato illuc thesauro, quàm in ullius antehac Ingæ sepulturam fuerat illatum, copiosiore. Numerus item virorum mulierumque seipsos occidentium, ut Ingæ in altera melioriqúe vita obsequerentur, nunquam hactenus visus fuerat æqualis. Invaluerat apud barbaros opinio nunquam mori animas, sed in altero mundo convenire lætas, atque pergræcari: inde nascebatur consuetudo vt egregiè corpus vestirent ornarentque, ac fœminas famulosque chariores familiarioresque vivos secum desodi curarent; qui cum eo numero essent, ut omnes unum non caperet sepulchrum, plerique, ne seriùs Domino suo in altero mundo adessent, effossâ in agris hortisque, quos maximè in deliciis defunctus habuerat, terrâ sese obruebant, atque fœminæ, quò velociùs hinc excederet, neque effodiendo terram morarentur, propriis se crinibus strangulabant, arbitrantes hoc amoris testimonio chariores adventuras, aut, dum anima illâc defuncti obambularet, deducendas. Accidit aliquando, ut, cum *Acoya* vallis *Xauxæ* Regulus sepeliretur, quidã ejus famulus ad Castellanos fugeret, ne vivus in sepulchro Domini obrueretur. Hæc cum de animabus crederent morientium, corporum tamen resurrectionem ignorabant, putabant nihilominùs si hæc nuda vel sine cibo fuissent derelicta, animas frigus famemque fuisse toleraturas. Quare vestimenta ad sepulchrum, potum, cibumque annuè, ut necessitatibus animæ subvenirent, deferebant, quem errorem ex doctrina Ecclesiæ correxerunt, didiceruntque cibum, potum, vestesque non defunctorum animabus, quas solus Deus post hanc vitam sustentat, sed pauperum adferri indigentiæ. Porrò ut ad Ingam *Tupangui* redeamus, ille acceptis

acceptis nunciis populum de *Atuncolla* bellum apparare, & ipse, ut eorum superbos conatus præveniret, militem scripsit. *Condesuyi* autem reputantes quàm sint insidiosæ Regũ animis crebræ victoriæ arridensque perpetuò fortuna, statuunt Ingam trucidare, ne, si ovãs ex bello rediisset, omnes se traheret in servitutem. Cum ergò educẽdo exercitui instaret Inga, ab uno conjuratorum ex popina accurrente, fuste in capite ictus, accursu deinde aliorum cum plurimis suorum oppressus est, tantâ in urbe Cuzcensi exortâ inde trepidatione, ut cives de ea deserenda cogitarent; verùm citiùs *Condesuyi* ab ea excesserunt subito tonitru, fulgure, procellâque perculsi. Necis infelicitatẽ auxit, quòd exiguus funeri ejus honos sit habitus, nullumque, qui succederet, reliquerit filiũ.

10. Tùm verò parùm absuit quin in Remp. nascens adhuc imperium transiisset, multorum sententiis eâ regiminis formâ, si plures sapientes gubernarent, comprobatâ. Orejonibus hunc in modum à se invicem divisis mulier quædam inopinatè intercurrens, *Vt quid*, inquit, *Viracochã, virum egregium probumq́, Ingam non constituitis?* Quo dicto aufugit poculis aliquot vino patrio plenis in medio eorum relictis: quam rem Orejones, ut est natio illa in augutiis & divinationibus plurimùm superstitiosa, mysterio deputantes, unanimi consensu, *Viracocham* quæsiverunt. Repertus fuit jejuniis se exercens; quod ipsum secunda fausti augurii apud illos pars fuit. Raptum ergò
8. Inga. solitis coronariis titibus Ingam receperunt, fuitq; in eorum numero octavus. Qui mox in Provincias imperium detrectantes movit, diuturno ad meridiem usque conflictu tandem rebelles, multis eorum cæsis, captis pluribus, superavit. Victis fortuna magis quàm animus defuit, quẽ nec ipsa quidem clades obruere potuit. Nam cum ex fuga rursus coaluissent, supplices ante Ingam prostrati, unus eorum in hunc modum orasse fertur. *Non te, Inga, recẽs ex nobis relata victoria extollat: fatis agimur, hæc tibi Regibusq́ Cuzcensibus si terrarum imperium addixerunt, nobis certè non eripuerunt defendendæ libertatis, in qua nati sumus, & quam hæreditariam à Majoribus accepimus, jus animosq́. Subditi ergò cùm tibi esse hodie non detrectemus, abesse tamen ab imperio servitutem jube, iræ moderare, & mandato tuo ab ulterioribus cædibus tela cessent.* Quo finiente elato clamore cæteri idem precari videbantur. Supplicibus comiter Inga respondit, *Damnum, quod ex cruento vobis prælio obvenit, peccato vestro debetis, non iracundiæ meæ. Rebelles qui castigare omittit, non sibi modò sed toti nocet imperio. Hoc à me, si potentem, Deorũ munere, imò si Regem noveratis, expectare sine regii nominis injuria nõ poteratis. Sed & nunc vicisse Regi satis est. Quæ vestra erant, victos, jurisdictionemq́ ipsam Caziquæ vestro restituo. Tributum tamẽ solvetis, & duo palatia, in urbe unum, alterum in agris nostrâ designatione exstruetis, habebitisq́ Provinciæ, securitatis potiùs quàm terroris ergô, Præfectum.* Misso deinde ad *Caytomarcacos* (a) Legato, benignè, ut illius se imperio subjicerẽt, adducere conatus est. Qui cùm ingloriè ab iis atque cum improperio Ingæ, quem quia tam facilè illos attrahendos esset arbitratus, stolidum appellârãt, esset habitus, Legato audito Inga totus in vindictã efferbuit, statimq; illuc, cum quo erat, exercitũ duxit. Ingens flumen (b) cujus ripam *Caytomarcaci* occupârãt, prohibebat ne ad manũ venirent. Fundis tamen ex utraq; ripa consistens miles invicẽ ac magnis clamoribus impetebat. Nõctu verò Inga aureâ suâ fundâ ardẽtem lapidẽ in alterã partẽ excussit, qui in stramineũ tectũ delapsus domum incendit, admirãtibus ad tam subitas flãmas, quarũ causam nesciebant, hostibus. Quibus, *vidi*, inquit vetula quędã, *ferri per aëra lapidẽ ignitum, ac in ædes illas incidere.* Nec pluribus opus erat apud gentem auguriis nimis-quàm deditam, ut crederent Cælites à se, quod Ingæ resisterent, pœnas exposcere. Quare prodigio, ut putabant, moniti, nullo sacrificio præmisso, nullo consulto oraculo (quæ studiosissimè adhibere solent

(a) Caytomarcac Provincia.

(b) Hoc flumen Yucay dictum omnes putant.

in gratiam ab Inga recipi postularũt, qui omnibus hactenus Regibus obstiterant. Ita falsâ sæpè opinione fortissimi magis quàm viribus vincuntur, sibi-ipsis gravissimi inimici. Supplices benignè ab Inga admissi sunt; atque ad majus fœderis robur eorum Caziquæ nobilissimam Cuzcensem fœminam conjugem dedit. Tùm quidē & aliæ Provinciæ missis legatis Regi se subjecerunt. Intereà verò dum Inga in cõstingenda *Caytamarcacorum* audacia distrahitur; *Acapaco*, quem superioris Ingæ germanum fuisse ajunt, indignè ferens se fuisse in electione Ingæ neglectum, fretus absentiæ Regis occasione, nexus etiam nonnullorum Orejonum favore occupandi regni spem animũque sumpsit. Conventuque cum sociis conjurationis habito, Præfectũ civitatis à Viracocha relictum, in templo Solis sacrificiis intentum, eique adstantes amicos facto impetu nullâ sacri loci ratione habitâ obtruncant, nequidquam Sacerdotibus & Virginibus *Mamaconis* obluctantibus, detestantibusq; improbum sacrilegium. Concurrũt ad seditionis famam quamplurimi, at cùm, quem sequeretur, incerta hæreret multitudo, tyrannus civitate potitus est, uxores etiam Viracochæ, quæ Cuzci remãserant, barbarâ inhumanitate trucidavit. Verùm cùm Regiũ sibi diadema imponere pararet, ab iis, quorum ope tam impiè crudeliterq; fuerat grassatus, désertus, sumpto veneno seipsum occidit: mariti exemplum uxores sobolesque secutæ sunt. Inga, cum in urbem revertisset, sacrificiisque Solis templũ expiasset severissimum à rebellibus supplicium sumpsit, tyranni aliorumque conjuratorũ, qui ciciderant, corporibus in agris feris objectis, & cõplicibus occidi jussis. Cùm verò *Capanac* & *Cari*, ille *Atuncolla*, (a) hic *Chucuyti* (b) Regulus æmulatione potentiæ cruentis se bellis infestarent, singuli missis legatis Ingæ gratiã præoccupare conabantur: hic cõsulto oraculo *Cari* adjunctus est. *Capanac* re intellectâ, antequam Ingæ suppetiæ advenissent, *Cari* copias cædere maturavit: Cui non minùs animosè, non expectato Ingæ subsidio, obviam progressus, acri prælio inito *Cari* victoriam reportavit. Numerus hinc inde cæsorum fuisse dicitur triginta millium, in eo & *Capanac* fuit. *Cari* victor *Chucuytum*, ut advenienti Ingæ occurreret, festinavit, gratior Ingæ futurus si nondum vicisset. Cum namq; hic utroque esset potentior, eorum provincias, postquàm mutuis se bellis attrivissent, specie auxilii suo adjicere imperio, studio potentibus familiari, destinârat. Victoriam tamen *Cari* ostensione magis quàm verâ lætitiâ est gratulatus. Datâ etiam *Cari* in matrimonium filiâ, æternoque fœdere, barbaro ritu, stabilito, plurimis item regionibus vel in amicitiã, vel subjectionem receptis, Cuzcum, ut studio novandarum rerum occurreret, propetavit. Vbi, quod *Yrco* filius ejus natu maximus iners esset plurimisque Rege indignis vitiis obnoxius, in conventu Orejonum, eo excluso, alterum filium *Tupangui*, Regni hęredem instituere & publicare tentavit. Quod cùm non esset consecutus, studio privatæ quietæque vitæ in vallem de *Yucay* & *Xaquixaguana* secessit, *Yrco* filio ad sceptrum accedere permisso.

(a) Atuncolla.
(b) Chucuyto.

11. Hujus breve, ingloriũm, ac infelix imperiũ fuit, ut propterea nec in canticis, quæ in laudem Ingarum componere mos est gentis, memoria sit, nec Ingæ locum apud nonnullos scriptores inveniat. Legitimus tamē & consuetâ regni successione, & diadematis ritu soliro impositione fuit. Præter quæ nihil omninò habuit regium. Libidini ita indulsit, ut præter germanam conjugem suam, aluerit pellicum greges, feraturque à *Mamaconarum* (quas fuisse virgines Soli sacras alibi diximus) stupro non abstinuisse. Sub ipsa Regni auspicia *Chanches* moto in *Chuas* bello, illos subjecerunt, quin & majorem *Andabailarum*, qui apud illos fortissimi habebantur, partem. Et, ut insolens semper prosperitas est, de occupando Cuz- 11. Inga.

do Cuzco, consiliū captant. Ibi præ-
da ingens esset futura, ibi captiva
eorum libertas liberanda. Et, ne co-
natus difficilis putaretur, Rex Cuz-
ci Veneri magis quam Marti adsue-
tum corpus animumque habebat.
Factis igitur in *Apurima* sacrifi-
ciis primis castris in *Acorumba*, se-
quentibus ad ipsam urbem Cuz-
cum pervenerunt, neque Rege,
neque Patre ejus *Viracochâ* quid-
quam contra imminentes hostes
movente.

12. Orejones præsentis periculi
magnitudine & populi consterna-
tione admoniti, Ingæ fratris *Tupãgui*
dicto summum imperium deferunt,
militem magnâ festinatione scribũt,
premiis, quotquot possunt, in urbem
invitant. Intereà nec *Chancas* segni-
ter agunt, & militẽ in imminentem
urbi collem *Carmenga* promovent.
Ibi occurrentibus hosti Cuzcensi-
bus toto die variâ fortunâ pugnatũ
fuit. *Hastaguaraca* autem *Chancarum*
dux, ferocis magniq; animi vir, jam
inter dedecora reputans, nõ vicisse,
prælium reparat, quod non nisi cum
extremâ *Chancarũ* clade, à qua solus
se *Hastaguaraca* cum quingentis sub-
duxit, finitum est. Liberatâ fortiter
10. Inga ab hostibus urbe, *Tupangui* diadema
Regni petivit, & licet *Vrco* Ingâ
multùm obnitente, obtinuit. Quin
& *Coya* (ita appellari principalem
(a) cap. 2. num. 1. Ingæ uxórem alibi diximus(a)) spre-
to imbelli marito & fratre, ad alte-
rum novis nuptiis accessit. *Tupangui*
mortuorum pro civitatis defensio-
ne manibus solemniter parentavit,
extructâque ingenti domo velut
sepulchro detractas mortuis hosti-
bus pelles, atque stramine cineri-
busque fartas in ea collocari fecit,
variis omnes formis, nonnullis ven-
trem velut tympanum pulsantibus,
aliis inflantibus fistulas, aliis fun-
das vibrantibus, &c. quas à se visas
Petrus Carrasco & Ioannes de Pan-
corbo ex primis Hispanorum, qui
Cuzcum intrârunt, asseruerunt. In-
ga, cùm *Condesuyis* inferre bellum
decrevisset, *Hastaguaraca* Chanca-
rum Ducis in superioribus præliis
virtutem admiratus, eum sibi socia-
vit. Tùm factis sacrificiis eo appa-
ratu & pompâ ad bellum, quali Ma-
jorum hactenus nullus, processit.
Sellâ gestabatur aureâ insertis gem-
mis, aulicorum numerus solito ma-
jor, seu Ingæ mandato, seu propriâ
adulatione è viis, per quas Inga erat
transiturus, lapillos omnes, stramen
paleas ac similia impedimenta vel
sordes studiosissimè removebant,
appellabantque Dominum poten-
tissimum, Solis filium, omnium Mo-
narcham. *Curambacanos* (b) in tran- (b) Curambac Provincia.
situ vicit. Ab *Andaguaylensibus* (c)
solemnissimè receptus est. Ibi con- (c) Andaguaylas.
silio cum Orejonibus habito, quos
primò impeteret, an *Guamancanos*,
(d) *Xauxanos*, (e) *Soras*, an *Lucanos*, (d) Guamanca.
decreta in *Soras* expeditio est. Mis- (e) Xauxa.
sis tamen legatis prius offerre pa-
cem placuit; quam cùm respuissent,
victi gratiam petere coacti sunt, sed
clementer habiti. Tùm divisis co-
piis diversis eodem tempore bellum
intulit. *Hastaguaraca Collao*, alii *Chu-
cuito* & *Condesuyo* subjugarunt. Ipse
Curambacanorum reliquias, quæ ad
fluvium *Bilcas* se in collem receperant
munierantque, obsidione cin-
xit, fameque compulit ad deditio-
nem. Ita multis undique victo-
riis gloriosus, triumphans urbem
ingressus est. Quare magnam à po-
pulo venerationem consecutus,
eam mirum in modum auxit ju-
stitiæ, quam administravit, ri-
gore. Nullus faciem ejus intue-
ri, nullus ad eum sine sarcina,
licet levi, ingredi fuisset ausus.
Nulli gemmam portare, aut por-
tari sellâ permittebatur. Sancivit
ne aurum, quod semel in urbem
esset illatum, rursum efferretur:
ut omnes imperii ditiones linguâ
Cuzcensi uterentur. *Mitimaes* (f) (f) vide cap. 2. nu. 2.
primus instituit. Cursorum itinera
domosque (g) ordinavit. Provin- (g) ibid. num. 4.
ciis Præfectos imposuit. *Mamaco-
narum* ædes egregiè amplivit, &
multis cubiculis distinxit, in qui-
bus non *Mamacona* modò, sed

aliæ etiam Regiæ mulieres tenuissimam lanam nendo & texendo occupabantur; Ita nocivum omni omnino sexui statuique, verissimo judicio, otium reputabatur. Templum, quod in *Caracanche* celebre erat, attributis Provinciis & donariis locupletavit. Solis templum augustissimum Cuzci ea in area, ubi nunc Dominicanorum est Monasterium, incœpit, impositâ Provinciis curâ onereque ut viginti hominum millia ad opus mitterenrur, itatisque dierû intervallis mutarentur. Aliud item Soli templum & palatium in insula lacus *Titicaca* (patet hic in longum leucas quinque suprà triginta, in latum quindecim) maxima erexit. Multis prætereà belli domique rebus egregiè gestis, cùm novum contra rebelles *Collaones* (a) bellum esset suscipiendum, ipse ætate jam gravis, advocato Snmmo Sacerdote & Orejonum præcipuis, recitato belli momento ætatisque jam declivis incommodis, oravit ut regni onus ipsorum bonâ gratiâ liceret in filium *Topa* (alii Tupac scribunt) *Tupangui*, cujus animi magnitudinem non uno in bello ipsi admirati essent & laudassent, declinare.

(a) Collao Provincia.

11. Inga. 13. Admissus ad Imperium *Topa* Collaones clementiæ recitatione ad obsequium, sed frustrà, reducere conatus, bello compulit, plurimosque eorum, ut separatione vires præcideret, Cuzcnm atque in alias Provincias, substitutis in eorum locum *Mitimais*, transtulit, ut jam non tantùm homines sed nec patria illi timori esse posset. Sed & ne Cuzci eorum indebita multitudo turbarum quidpiam moliretur, ne ultra mille simul in urbe essent, sancivit, observavitque rigorosissimè. Redux in urbem in signum adgratulationis & gaudii plurimis sacrificiis idolis litatum fuit, maxima item tripudia & convivia passim celebratâ. Ipse verò intereà inchoatum Solis templum promovere satagebat. Attamen ingens animi vigor floridaque juventus duobus recentibus victoriæ & applausus populi stimulis provocata quiescere novum Ingam aut antiquis imperii terminis contentum vivere non sinebant. Scripto ergo ducentorum supra eos, quibus commeatus erat cura, millium militum exercitu, aut potentiæ terrore aut armorum potentiâ dilatare regnum, Provinciasque etiam difficitas subjugare illi propositû erat. Prima profectio in *Bombon, Tayo*, fuit, qui nomine Regum Cuzcensium & numero militum consternati oblatam pacem receperunt. Quorum exemplum mox secuta est *Apurima*, aliæque Provinciæ permultæ, quas etiam ultrò beneficiis accumulabat. Ferociùs, atque pro tuenda libertate constantius *Chachapoyis* ac *Bracamoris* cùm esset ingenium, apud illos (b) vitæ, atque hos (c) honoris periculum, in fugam compulsus adiit: sed tandem diligentiâ suâ locorum difficultatibus superatis utrumque populum subjecit. *Guancabambam*, *Cajalayam Vacan*, finitimasque terras gente bellis assuetâ infestas non sine ingenti labore superavit. Nec facilior de *Cañaris* (ubi ei *Guaynacapa* filius nascebatur) victoria fuit. *Ticicambe*, *Cayacambe*, *Purâres*, non belli gloriâ sed profectionis continuatione locum in hac historiâ meruerunt. *Tacunga* fortissimè restitit, tandem tamen viribus impar, cessit. Inde *Tito* (quod Hispani *Quito* dixerunt) pervenit. Provincias omnes, etiam post cruenta prœlia, summâ clementiâ, virtute Regibus dignâ, sed in quâ Cuzcenses excelluerunt, accepit; illis *Mitimaes* imposuit; Solem ut adorarent, Cuzcensi̇ loquerētur linguâ & moribus viverēt, mādavit. *Quito* missis legatis Solis suorumque Deorum cultum & vivendi mores ad Portum usque Veterem (d) extendere conatus, expertus est nullam esse fortunam tam excelsam, cui non exiguæ res possint illudere. Nam cæsosâ barbaris legatos quâqnam certis nnntiis comperisset, non judicavit ulciscendæ injuriæ obstinatè esse insistendum, ne divisum

(b) Chachapoyas.
(c) Bracamoros.
(d) Porto viejo.

divisum exercitum pluribus, quàm uno tempore par esse posset, hostibus redderet obnoxium. Relicto autem *Chalco Maita* veteri insigniq; belli duce *Quiti* Gubernatore, ad valles inter Andes ac mare insigni longitudine projectas exercitum deflexit; ac primùm *Tumbez* pacificè potitus, alibi fortiter sibi resistentes invenit, alios humanitate ac astu religioso (a) attraxit. Ad templum autem Pachacamacense (b) cujus videndi desiderio jampridem tenebatur, cùm pervenisset, fertur eum idolo ibidem celeberrimo locutus quæsiisse, quarum-nam rerum sacrificiis delectaretur maxime, eum responsum esset, hominum oviumque, illis copiosè oblatis Cuzcum reversus est. Tres deinde annos cæteris vallibus subjugandis impendit. Tandem exercitu trecentorum millium Chilenses fortissimos novi mundi populos & numquam satis domitos superavit. Opus autem maximè regium & cui nullum simile aliæ administrant historiæ, perfecit, vias nimirum duas Quito per Cuzcum Chilen usque per distantiam ampliùs mille & ducentarum leucarum; unam in vallibus, elevatis hinc inde ex terra munitionibus cinctam: alteram in montibus complanatis ex lapidibus arte junctis. Mortuum diu ac plurimùm Peruvia luxit; multæ cum illo mulieres famulique sepulti, & simul auri millio.

(a) lib. 6. cap. 1. num. 2.
(b) ibid. num. 4.

12. Inga. 14. *Guaynacâva* seu, ut alii pronuntiant, *Guaynacapac* regnum auspicatus, & patris hortatu exemplisque, & insito ingenio ad res magnas ferebatur: matris tamen *Mamoocllo* dictæ, prudentis magnanimæque fœminæ, consiliis, quoad illa vixit, Cuzco non est egressus. Sororem *Chimbo Ocello* patriis institutis uxorem duxit. Sacrificiis Deorumque cultui deditus plurimis ubique sacrificiis litavit, palatium domumque Solis, quam alii incœperant, strenuè promovit. Aurum argentumque variis in locis erui & Cuzcum deferri jussit. Missis in varias Provincias, qui de Præfectorum vita inquirerent, eas quietiores securioresque reddidit. Exercitum variis vicibus eduxit & reduxit. In Chilen ultra patrios terminos multis laboribus angustiisque per terras invias nivibusque horrentes imperium produxit. Cum ducentis hominum millibus *Quitum* contendens, non tantùm Provincias, maximè *Chachapoyas* & *Bracamoros*, quæ avitæ libertatis amore, jugum Cuzcense excusserant, ad obsequium compulit; sed usque *Guayaquil* & Portum-Veterem Patre certè fœliciùs, & flumen *Angasmayô* imperium explicavit. Ab *Otavalis* (c) & *Quiyapipis* (d) bis in fugam compulsus, cum legatorum benignè eos ad subjectionem exhortantium missione non tantùm non profecisset, sed insuper ludibrio esset habitus, tot dedecoribus provocatus, cùm ipse naturâ, quàm cæteri Reges Cuzcenses fuerant, ad iram esset concitatior, ad ultionem injuriarum, auctis plurimùm copiis, se præparavit. Ancipitibus aliquoties velitationibus cõgressus, cùm summa rei ad prælium devenisset, in eo, cæsâ hostium ingenti multitudine, victor fuit. Sed crudelitas in captivos (quos omnes occidi ac in flumen, cujus aqua sanguineum colorem induit, præcipitari jussit) exercita multùm victoriæ gloriam fœdavit: maximè cum & filius ostenso fluvio parentum sanguine manante insultasse feratur; fluvio certè in memoriam crudelitatis *Yaguarcocha*, quod est, lacus sanguinis, nomen mansit. Eodem, quo hæc agebantur, anno, Franciscus Pizarrus navigio suo, quo primùm gens barbara & barbaris hactenùs numquam visa vehebatur, *Tumbez* litora radebat. Verùm grassans passim Quiti & in confinibus lues, quæ & ipsum invasit & extinxit Regem, & mox secutum inter duos hujus filios *Guascarem* & *Atahualpam* bellum, Christianiùs dixero, divina Providentia tenebris Peruanis lucem fidei Catholicæ immittere infinitâ suâ bonitate

(c) Otavalo, Provincia.
(d) Quiyapipo, Provincia.

disponens, causa fuis, ut de repellendis exteris, qui finem Monarchiæ, quæ quingentos plùs minùs annos duraverat, essent imposituri, seriò non cogitaretur. Moriturus *Guaynacâva* convocatos exercitus Duces, Guascarem velut legitimum magni imperii hæredem ut amarent, venerarentur, que, & obedirēt, sollicitè rogavit, constituto *Collatopâ* patruo, qui regnum; donec Guascar adolesceret, administraret. Mortui cadaver Cuzcum delatū insigni pompâ funebri honoratum fuit, utpote qui supra omnes majores suos amaretur. Numerus se in ejus gratiam occidentium dicitur fuisse quatuor millium. Sobolem reliquit copiosam, nam filii nepotesque supra trecentos computabantur, incredibili propemodùm fœcunditate: magis etiam fidem, nisi in Peruvia, terrâ auri omnium in mundo fertilissimâ, essemus, excederet ingens, quam scriptores (a) referunt, thesaurorum ejus magnitudo. Non edebatur in ejus palatio, non coquebatur nisi in auro vel argento. In conclavi statuæ erant velut gigantææ ex auro: figuræ item quæ non tantùm similitudine, sed & magnitudine exprimerent omnia, quotquot Peruvia producit, animantia, aves, arbores, herbas, pisces. Erant insuper ex auro funes, sacci, cistæ, & projecti neglectim acervi velut lignorum mox comburendorum. Nihilque in regno erat cujus imaginem auro non expressisset. Ferunt præterea in quadam insula prope *Punam*, quò laxandi animi causâ divertebat, hortum illi fuisse in areolas curiosâ manu distinctum, cujus flores arboresque erant ex auro argentoque puro puto; portento luxus regii non alibi audito, non tamen in Peruvia, terra metallorum supra omnes mundi regiones fœcundissimâ, incredibili.

(a) *Pedro de Cieça, francisco Lopez de Gomara relati ab Antonio de la Calancha.* lib. 3. cap 15.

13. Inga. 15. Post *Guaynacavam* filius ejus *Guascar* regni magis diadema sumpsit quàm regnavit, impiâ patrui *Collatopa* desertione, ac infami fratris *Atahualpa* rebellione & parricidio infelix. Quippe, cum solitis apud gentem ritibus diadema sumpsisset, mox *Quitum* misit qui uxores thesaurosque patris *Guaynacâvæ* & simul relictum ab eo exercitum Cuzcum adduxerent. Verùm *Atahualpa* regno inhians, illectus præterea regionis Quitensis formositate fertilitateque, tùm occasione longissimæ à Cuzco distantiæ fretus, statuit aut regnum totum, si fortuna faveret, invadere, aut, si insatiabili ejus ambitioni non responderet, bonam ejus, illamque, in qua tum erat, partem occupare. Neutrum poterat nisi priùs Ducum exercitus animos occupasset. Illos sollicitare difficile reddebat communis non tantùm, regni sed & exercitus ergà *Guaynacâvam* patrem amor & reverentia, atque hæc in filium *Guascarem* florentis ætatis (b) optimorumque morum ac liberalem juvenē translata: vetus & probata *Collatopa* patrui, cui à patre filius recèns fuerat commendatus, virtus: consueta Orejonum fides: ipsum rebellionis nomen genti abominandum. Verùm nihil unquam tam fuit sacrum, quod non propriis commodis utilitatique fuerit posthabitum. Promissis *Atahualpa* omnes onerare, revocare in memoriam tot fortia singulorum facta, inexplicabiles labores: hos, si *Guaynacâva* qui omnes viderat, superfuisset, debitâ mercede fuisse remunerandos: Guascarem verò ejus filium longissimè absentem suorum virtutem Ducum militumque ignorare, cum aliis consuevisse, qui præcipuâ apud eum gratiâ sint futuri, ab illis, antequàm Cuzcum redire Duces & reduci exercitus posset, honores fore occupatos: non Cuzci solum feliciter vivi: Quitenses agros esse lætissimos fertilissimosque, &, ne rebellionis ignominiam timerent, sibi à moriente patre testamento adscriptos. Quare viderent, ne cum Domini se sequendo & adhærendo, esse possent, seipsos ultrò traherent in servitutem, quâ aliquando sed serò,

(b) annorum 25.

essent

essent deploraturi. Potuit hæc temerarii & indomiti juvenis oratio, ut ille, qui maximè timebatur obfuturus, *Collatopa*, eâ primus fuerit perculsus & superatus, qui deinde *Chialiquichiama, Aclagualpa Viriminavi, Quizquis, Zopecopagua*, præcipuos exercitus Duces in suam sententiam traxit. Horum exemplum plerique omnes secuti sunt; aliquot *Atahualpa* tamen fratres & Orejones juramenti memores fidelitatem servantes fugâ Cuzcum evaserunt. Vbi non inexpectata modò, sed detestabilis res visa est, conventuque habito judicatum celeri occursu, antequàm tempore vires sumeret, malùm esse opprimendum. *Atôco* Legatus novo exercitui datus. *Atahualpa* intereà etiam Cañaritas gentē fortissimam ad defectionem sollicitârat, sed hi rē Diis hominibusq; invisam detestati, novo se juramento Guascari obstrinxerunt. *Atôco* innocentum sanguini parcere satagens, priùs quàm bello Tyrannum aggrederetur, misit, qui benignitatis clementiæque Regiæ oblatione, ac rationibus ad obsequium Atahualpam revocare conarentur. Quos hic non tantùm non audivit, sed nullâ dignitatis eorum (Orejones erant) consideratione, omnes barbarâ crudelitate trucidavit. Ita nihil in animis tyrannorum temperatum justumque est. *Atôco* jam non tantùm nefariam defectionem, sed & legatorum, quos omnes etiam barbari venerari solent, violationē vindicandam ratus, statuit prœlio decernere. Atrox utrimque & diuturna pugna fuit, ut desiderati sint hinc inde sex supra decem millitum millia. Victoria penes tyrannum fuit, quâ intemperanter usus, *Atôco* captum atque ad palum alligatum interimi jussit. Huius cranium *Chialiquichiama* in auro cælatum vas ad bibendum esse voluit. Cañaritæ victoriâ tyranni perculsi timentesque ne, aut ab eo crudeliter necarentur, aut perpetuæ servituti subjicerentur, præoccupare ejus gratiam conati sunt. Hanc ut exorarent non verborum pondere, sed ætatis innocentiâ, cui omnis quantumcumq; ferox animus compati solet, missi sunt milleni aliquot pueri adolescentesque, ramos manibus præferentes; quos omnes occidit, & crudelitate inauditâ extracta eorum corda ordinatim seri mandavit, experimentum, ut ajebat, capturus quem fructum ficta & proditoria corda proferrent. Ad nuntium cladis Cuzcum allatum non parùm trepidatum fuit. Guascari tamen omnes suadebant ne Cuzcum desereret. Conscripto igitur magnâ celeritate exercitu, illi fratrem *Guancauque*, & sub eo *Abante, Guaranca, Ingareca*, veteres & strenuissimos belli Duces præfecit. Lustratus exercitus octuaginta militum millia comprehendere observatus fuit. Quem festinare Duces jusserunt, ut in Cañaris Atahualpam, cui copię non erant pauciores, prævenirent. Vterq; tandem exercitus cum in Provincia de *Paltas* non procul *Coxebambâ* mutuò in conspectum venissent, duces, prout opportunum cuilibet videbatur, militem exhortati signum concurrendi dedêre. Acriter utrimque & diu pugnatum fuit, *Atahualpâ* suos ex vicino colle spectante animanteque. Neque quidquam Gualcaris Duces milites que à virtute sua desiderati passi sunt. Sola illos in fine fortuna deseruit. Imò potiùs ordinavit Deus ut magni illius imperii vires, ne advenientes Christianos facilè obruerent, acciderentur. Cæsa feruntur utrimq; millia quadraginta: Atahualpa victoriâ & numero ingenti captivorum potitus, ab eventu causæ suæ justitiam & Deorum favorem persuadere conatus est. Multùm certè hę eum victoriæ extulerunt, quas prosequi versus Cuzcum etiamsi illi animus esset, Castellani tamen qui jam se terræ infudisse nuntiabantur, causa fuerunt, ut *Cajamalcam* exercitum duceret, Inde & Guascaris, & extraneis adventitiisque copiis invigilaturus. (a) Quò quemadmodum Castellani

(a) lib. 4. cap. 2. nu. 4.

ſtellani penetravêrint, quantâ deinde animi promptitudine & conſtantiâ tam numeroſum hoſtem hô tantùm viderint, verùm etiam, capto eorum Duce *Atabualpâ*, diſſipaverint, ſequenti libro exequemur.

CAPVT IX.

Quàm benè Peruvia per ſuos Ingas gubernaretur, deducitur ex clauſula teſtamenti quam refert P. M. Antonius de la Calancha. (a)

(a) lib. 1. cap. 15.



ANCIVS *Sierra leguizamo*, qui cum *Franciſco Pizarro* inter primos in Peruviam penetravit, non ſolùm laborum tolerantiâ ac rebus à ſe fortiſſimè in *Tumbez*, *Cajamarca* & *Cuzco* geſtis, verùm etiam luſu aurei Solis è templo *Cuzcenſi* rapti (b) memorabilis in teſtamento à ſe 18. Septembris anni 1589. condito, faciendis à ſe ultimæ voluntatis diſpoſitionibus, hæc, quæ ſubnecto, præmiſit.

(b) ſup. cap. 4. num. 2.

Primeramente antes de empeçar el dicho mi teſtamento, declarò, que a muchos años que yo he deſeado tener orden de advertir a la Catolica Real Mageſtad del Rey D. Felipe nueſtro Señor, viendo quan Catolico y Chriſtianiſſimo es, y quan zeloſo del ſervicio de Dios N. S. por lo que toca al deſcargo de mi anima, à cauſa de aver yo ſido mucha parte en el deſcubrimento y conquiſta y poblacion deſtos Reynos, quando los quitamos à los qui eran Señores ingas, qui los poſeiá y regia como ſuyos, y los puſimos debajo de la Real Corona, que entienda ſu Mageſtad Catolica, que hallamos eſtos Reynos de tal manera que los dichos Ingas los tenian governados de tal manera, que en todos ellos no avia un ladron, ni hombre vicioſo, ni holgaçan, niunamuger adultera ni mala; ni ſe permitia entre ellos ni gente de mal vivir en lo moral; que los hombres teniam ſus ocupaciones honeſtas y provechoſas; y que las tierras y montes y minas, paſtos y caſas y maderas y todo genero de aprovechamientos eſtava governado y repartido de ſuerte que cada uno conocia y tenia ſu hazienda ſin que otro ninguno ſe la ocupaſe ni tomaſe, ni ſobre ello avia pleytos; y que las coſas de la guerra, aunque eran muchas, no impedian à las del comercio, ni eſtas a las coſas de la labrança è cultivar de las tierras, ny otra coſa alguna, y que en todo deſde lo mayor haſta lo mas menudo tenia ſu orden y concierto con mucho aſiento, y que los Ingas eran temidos y obedecidos y reſpetados de ſus ſubditos, como gente muy capaz y de mucho govierno, y que lo meſmo eran ſus Governadores y Capitanes, y que como en eſtos hallamos la fuerça y el mando y la reſiſtentia para poderlos ſugetar y oprimir al ſervicio de Dios N. S. y quitarles ſu tierra y ponerla debajo de la Real Corona, fue neceſſario quitarles totalmente el poder y mando y los bienes, como ſe los quitamos a fuerça de armas, y que mediante averlo permitido N. S. nos fue poſible ſugetar eſte Reyno de tanta multitud de gente y riqueza, & de Señores los hazimos ſiervos tan ſugetos como ſe vè, y que entienda Su Mageſtad que el intento que me mueveà hazer eſta relacion es por el deſcargo de mi conciencia y por hallarme culpado en ello, pues avemos deſtruido con nueſtro mal exemplo gente de tanto govierno como eran eſtos naturales, y tan quitados de cometer delitos ny eceſos, aſi hombres como mugeres, tanto que el Indio que tenia cien mil peſos de oro y plata en ſu caſa y otros Indios la dejavan abierta, pueſta una eſcoba, ò palo pequeño atraveſado en la puerta por ſeña que no eſtava allí ſu dueño, y con eſto, ſegun ſu coſtumbre, non podia entrar nadie dentro ny tomar coſa de las que alli avia: y quando ellos vieron que nos-otros poniamos puertas y llaves en nueſtras caſas, entendieron que era de miedo dellos, porque no nos mataſen, pero no porque creyeſen que ninguno hurtaſe ny tomaſe otro ſu hazienda; y aſi quando vieron que avia

avia entre nos-otros ladrones y hombres que incitavan a pecado a sus mugeres y hijas, nos tuvieron en poco, y an venido a tal votura en ofensa de Dios estos naturales por el mal egemplo que les avemos dado en todo, que aquel estremo de no hazer cosa mala, se à convertido en que oy ninguna o pocas hazen buenas, y requiere remedio; y este toca a Su Magestad para que descargue su conciencia; y solo aviserio pues no soy parte para mas, y con esto suplico a mi Dios me perdone, y mueve me a dezirlo por ver que soy el postrero que muero de todos los descubridores y conquistadores, que como es notorio ya no ay ninguno sino yo en este Reyno ny fuera del, y con esto hago lo que puedo para descargar mi conciencia.

HISTORIÆ PERVANÆ

LIBER II.

De Subjectione Peruviæ per Hispanos.

CAPVT I.

Prima Hispanorum de Peruvia notitia ac ratio appellationis.

1. ABORES, quos nulla fortiùs quã Hispana natio toleraret; victorias, quæ cum obtentæ sint, obtiner potuisse, etiamnum difficulter credimus; subjectionem terræ, quæ per totam Europam pretiosissima metalla suâ abundantiâ vilia esse fecit, hoc libro recensere pergam. Primam ejus notitiam casus dedit, appellationem sinister vocis barbaræ intellectus. Constitutâ siquidem Provinciâ Dariensi intra Cartagenam ac Terram-firmam ad fluvium ingentem ejusdem nominis, quam Castiliam auream ob illius metalli repertam in eâ copiam Europæis insuetam (a) dixerunt, accidit ut in distributione aliquantuli auri, quod *Panquinaco* Caziqua filius divitis *Comagre* Hispanis dederat, rixæ inter Blasconem Nuñez de Balboa Dariensis civitatis Prætorem aliosque suæ gentis orirentur, spectante illas dicto *Panquinaco*. Qui rei fœditatem, quâ præcipuum inter homines bonum amicitia lucri cupiditate rumpebatur, abominatus exprobransque, *Colligo*, ait, *vos nostratibus esse barbariores, qui cùm pauci sitis, ac in terra aliena, quæstum amicitiæ, indignâ homini æstimatione, præfertis. Si tamen præcipuum in animis vestris imperium cupiditas auri tenet, vitam mihi promittite, & ostendam vobis terram, quæ eam, nisi planè insatiabilis sit, extinguat.* Salsa Christianorum à barbaro homine castigatio non aliter in illorum animos, vincente cupiditate, descendit, quàm ut Caziquæ in posterum blandirentur & humaniter admodùm haberent, quo factum ut ad fidem Catholicam conversus baptizaretur, Caroli nomine, quòd illo Hispaniarum Rex vocaretur, assumpto, ut felicior Caziquæ, quàm illis-ipsis, Hispanorum fuerit cupiditas, quos plerosque, ipsum certè Blasconem post arduos labores resque insigniter gestas miserabiliter, ut mox dice-

(a) In Hispaniam tantus rumor pervaserat eam esse ibi auri copiam ut retibus, velut pisces ex aqua, extraheretur, ideoq; prima Hispanorum illuc recèns adventantium de talibus rebus sciscitatio erat, excipiebaturque cum risu veteranorum.

dicemus, extinxit, cum ille beatius paganismo sortitus sit vitæ genus. Terram, ut promiserat, magnâ sinceritate detexit. *Mare*, ajebat, *quod superastis exiguo isthmo ab alio secernitur, quod in Austrū longis largisq; situs extenditur, neq; hoc Septētrionali minus. Suntque ejus litora terraque, quæ post litora jacent amplissima, nostris auro gemmisq; multò abundatiores.* Quâ oratione auri cupidos tantò magis accendit, quantò vicinius minusque difficile nuntiabatur. Profecti non sine magnis difficultatibus variisq; casibus cum terræ incolis, à quorum nonnullis prœlio, ab aliis humaniter excipiebantur, tandem in altissimum montem non longè à loco, in quo posteà Panama condita est, conscenderunt anno Verbi incarnati M. D. XIII. die Septembris XXV. inde alium Oceanum, quantùm acies ferret oculorum, conspicati. Quatuor ibi dies Blasco Nuñez cum suis hæsit, ac illâ, quæ Archangelo Michaëli est sacra, possessionem nomine Caroli V. Imperatoris Regisque Hispaniæ sumpsit, omine fortunato, ut illius solemnitate propagandæ latè Ecclesiæ Catholicæ initium sumeretur, qui totius est Præses & Defensor. Portui porrò viciniori nomen S. Michaëlis posteà mansit. Longum esset singula, quæ in hac profectione Blasco cum indigenis habuit prœlia recensere, omnia tamen feliciter gessit, memor, etiam post ipsam victoriam, clementiæ, nisi cum quodam loco homines vidit muliebri amictu vestitos. Sodomitas, uti erant, vir seriò Catholicus suspicatus eorum Regulum & alios quadraginta captos, vivos canibus objecit devorandos in execrationem sceleris cum ipsa natura pugnantis. Ad victoriæ rationem plurimùm sclopeta contulerunt, magis tamen barbarorum errore quàm vi suâ, quam superare suâ multitudine potuissent, nisi Numina quædam ac Deorum filios, quos videbant scribebantque tàm violentos ignes evomere, credidissent. Nàm cùm longiùs abessent quàm ut distinguere clarè sclopeta ipsis nūquàm antè visa, possent, ab hominum oribus projici flammas glandesque, quas sclopeta jaculabantur, censuerunt. Qui sine prœlio peregrinos admiserunt, humanissimè ab illis habiti sunt & in societatem recepti, quam sequentes deinde Hispani turpiter violarunt. Quatuor omninò menses isti itineri impensi; contulitque ultrà centies mille pesa, omnium occursu & acclamatiòne receptus.

2. Post reditum expediti à Blascone in Hispaniam qui Regi novi maris inventionem maximarumq; divitiarum spem nuntiarent, obtinerentque novorum locorum Præfecturam. Obtinuerunt. Præparatæ simul naves ad detegenda plenius litora. Duas, aut tres fuisse ajunt, earumque unam delatam anno M. D. X V. ad terram *Pelu* dictam, quam fluvius nominè *Veru* irrigabat. Interrogati de terræ appellatione incolæ, cùm ipsi aut obscuriùs responderent, aut malè à sciscitantibus Hispanis intelligerentur, putati sunt dixisse *Peru*, non quidem verè sed unius tantùm literæ discrepantiâ. Atque ita nomen mansit terræ latissimæ, quanta à *Terra-firma*, *Carthagena*, & *Sancta Martha* ad *Tucumam*; *Sancta Cruz de la Sierra*, montes *Tomina* & *Chile* interjacet, quos etiam Peruviæ terminos posteà Regiæ leges statuerunt. Putant alii hanc *Peru* appellationem non ante annum M. D. XXV. Francisco Pizarro ad eandem terram delato incepisse, sed ex eadem causa. Antiquitus *Tavantinsuiu* dicebatur.

3. Verùm Blasconem de Rege suo de Indis optimè meritum suum ad exitium infortunium urgebat. Advenerat recèns ex Hispania Petrus Arias de Avila Castellæ-aureæ Præfectus: mordebat eum eximia de Blasconis virtutibus fama & omniū amor, &, quasi hæc essent ejus venerationem obfuscatura, aver-

aversari cœpit. Ita viles semper animæ à præclarorum virorum occasu splendorem incipere se putant. & velut tineæ & putrida ligna non nisi noctibus lucent, quæ sole fulgente nullus observet. Magna Reipub. calamitas, in qua Præfectos Magistratusque, qui sub justitiæ obtentu facilè in innocentes sæviunt, invidia occupavit. Hęc præsentiens Ioannes Quevedo Episcopus Blasconem cum Petro Arias composuit, egitque ut hic (a) illum (b) datâ in matrimonium filiâ ad firmius concordiæ robur generum adsciscceret. Fœdus mox rursus ambitio dissolvit, generumque, quem in deliciis habere, quem honoribus & beneficiis augere debuerat, falsis criminationibus, iniquisque testimoniis negatâ defensione obrutum capite plexit, nullis precibus aut lacrymis filiæ emollitus.

(a) Petrus. (b) Blasconem.

4. Hoc ejus, qui deregere Peruviam primus cœpit, fatum fuit, cæteri non absimilibus interierunt. Panamâ civitate in ipso maris Australis cornu, quo isthmum, quem Terram-firmam usitato omnes vocabulo vocant, quatit, conditâ, sedem ibi inter plurimos fixerant Ferdinandus de Luque Tabogæ Dominus, Franciscus Pizarro, & Didacus de Almagro. Ferdinandum Olivera juxta Hispalim (c) genuerat, Franciscum Trujillũ Estremaduræ, Malagon Didacum. Inter hos opibus excellebat Ferdinandus persona Ecclesiastica, rerum agendarum peritiâ Didacus, maximeque Franciscus, qui in Hispania, Italia, Nicaragua præclarè militaverat, qui Insularum de Barlovento conquisitioni interfuerat, qui Vrabam cum Alphonso de Ogueda Regi subjugaverat rexeratque, nec non Perrum Arias de Avila Nomen-Dei (d) Panamamque, ac Blasconem Nuñez de Balboa mare Australe deregentes juverat in omnibus, magna prudentiæ & audaciæ laude, quam nonnulli obfuscare conati sunt quòd illicito concubitu ortus agere parentis nobilis porcos jussus sit, cum potiùs ad cumulum faciat laudis nullo nativitatis aut potentium amicorum favore sed virtute propriâ in præclarissimorum virorum theatra conscendisse. Ajunt similiter aliqui Didacum ante templi valvas post nativitatem fuisse expositum.

(c) Seville.

(d) Nombre de Dios, civitas.

5. Vt-ut hæc sint, nihil eorum derogant virtutibus, quibus ad alta nitebantur & Regi suo Carolo V. egregium præstare obsequium initâ inter se & juratâ bonorum omnium (erant totius Panamæ longè potentissimi) societate. Dicunt in eadem sub initium fuisse Petrum Arias, sed recessisse Francisci Beçerra Centurionis narratione contemptim de terris illis loquentis.

6. Ferdinandus igitur Franciscus & Didacus suis sumptibus navim unam milite & commeatu instruunt ejus Præfecturâ Francisco commissâ, qui anno M. D. XXV. cum militibus centum quatuordecim navigationem adorsus primò ad terram Pelu, unde nomen totius Peru ortum diximus, appulit, pauperem admodùm, ac quinquaginta leucis Panamâ remotam sitamque ferè ubi nunc collocant tabulæ Cosmographicæ *Cabo de corrientes*. Progressus inde ad litus pervenit, quod *portum famis*, quòd eàm ibi maximam Hispani tolerassent, dixerunt; inde ad terras *Barbacoas* Indis ferocibus habitatas, quibus non minoris animi Caziqua imperabat, qui peregrinam gentem fortiter resumptisque prœliis aggressi tres ceciderunt; vulnere uno Franciscum Pizarro; duobus Nicolaum de Ribera Seniorem, (duo quippe hujus nominis fuerunt) hominem ad omnia pericula intrepidum, sauciàrunt. Hîc primùm in expeditione Perüana Hispanus sanguis, licet modicè, fusus. Errant qui scribunt septem Francisco inflicta vulnera, & viginti septem ex Hispanis periisse. Incommoda tamen, quæ affatim ignotæ regiones suppeditabant, Indorũ

busque quibus imperebantur. Superaverat malorum magnitudo militum patientiam, nullâ præsertim spe melioris fortunæ, quâ solari præsentia incommoda potuissent, affulgente: & jam in apertum murmur querelæ processerant, Francisco nihil omittente seu quod ad præteritorum solatium seu quod ad spem faceret futurorum, quod strenuum Ducem deceret, proponenteque perrumpere quascumque initia difficultates objicerent. Nactus erat æqualis animi collegam Didacum semper Panamam pro suppetiis recurrentem, sed hâc vice neminem ex veteranis in suo consortio tolerantem, ne esset qui publicatione malorum, quæ tulissent, quæque nullo fructu ferenda essent, Panamenses a societate expeditionis deterreret. Imò caverat sedulò ne quæ ab ullo literæ, non minùs quàm lingua loquaces, Panamam per suos deferrentur. Sed astutia diu exagitata præcepto omni sagacior, si via clandatur ordinaria, insolitâ penetrabit. Certè miles quidam Sarabia nomine, Trugillo oriundus inclusâ lanæ fasciculo, quem sine fraudis suspicione commilitoni mittebat, epistolâ omnem Ducum diligentiam elusit. Hâcenarratis latè toleratis incommodis ac omnis boni successus desperatione, Panamæ Præfecto, qui tunc recèns Petrus de los Rios advenerat, supplicabat ne tam vili militum vitam haberet, ut ultrà abduci ullos nullâ obsequii erga Regem fiduciâ, nullâ gloriæ militaris (quando cum solis esset aëris incommodis aut cum insuperabili ferocium Indorum multitudine dimicandum) occasione, pateretur. Regem aliis locis temporibusque eorum animis & corporibus gloriosiùs & quæstuosiùs usurum. Epistolæ fini rythmum subscripserat totâ posteà Terra-firmâ & Peruviâ decantatum

Pues Señor Governador
mirelo bien por entero,
que allá va el recogedor,
y acà queda el carnicero.

Perpende Rector seriò
Quis militem credas; ferus
Rursùm recurrit Panamam
Collector, hic est carnifex.

9. Quâ Sarabiæ epistolâ non tantùm omnis militum Panamensium suppressus est ardor, sed ejus insuper occasione Petrus de los Rios Panamæ Præfectus Ioannem Tafur equitem Cordubensem, qui redeundi libertatem in insula Galli omnibus publicaret, destinavit. Auditus fuit Tafur incredibili omnium gaudio, ac velut ex ipsis mortis faucibus erepti certatim in naves, quibus Panamam solverent, convolârunt. Non Francisci desiderium non blanditiæ, aut certa promissa, non dico ut militem retineret, sed ut impetum illum redeundi aliquantùm sisteret, potuerunt. Verùm ille constans infractusque inauditū dedit magnanimitatis exemplum: evaginato scilicet ense lineam in terra descripsit, simulque: *Experiar*, inquit, *hodie an militem hactenus duxerim, an civem: hic cùm commoda utilitatesque suas sectetur, ille ista contemnens per aspera ad gloriam contendit. Quicumque lineam transierit, militem agnoscam amplectarque: alios velut ignavos contemnam, sciamque numquam fuisse meos; hâc timidorum generosorumque animorum discretione quàm numero, plerumque sine generositate oneroso, felicior.* Nec hæc quidem mordax exprobantis Ducis oratio ultrà duodecim detinuit, ipse decimum-ternarium numerū conficit. Bellum herclè exercitum quo populosissimæ regiones subigantur. Etiam cum hoc tamen persequi placuit fortunam fugientem, adeò magnis animis nihil videtur impossibile. Digni prorsus meliori mercede quàm fuerūt consecuti: (a) digni quos perpetua celebret posteritas. Sed ne nunc quidem certò omnibus eorum nomina constant, scriptoribus aut strictè aut variè ea referentibus.

10. Gomara novæ Hispaniæ Presbyter tredecim quidem meminit fuisse, sed præter Franciscum Pizarro non nisi Bartholomæi Ruiz nauclerí,

(a) Anno 1541 à Cæsare Carolo, nobiles facti sunt qui anteà non erant, qui anteà erant nobiles, renunciati sunt equites calcarium auratorum.

cleri, & Petri de Candia Græci nomina exprimit. Augustinus de Zarate, quem anno M. D.XLIV. ad fundandam Audientiam Limensem Cæsar Carolus misit, novem posuit, (a) Nicolaum de Ribera, Petrum de Candia, Ioannem de la Torre, Alphonsum Briçeno, Christophorum de Peralta, Didacum Alphonsum de Trugillo, Franciscum de Cuellar; Alphonsum de Molina, & Bartholomæum Ruiz. Qui Zarate cùm Numeratoris beneficiarii (b) officium in Peruvia supradicto anno gesserit, indubitatam meretur fidem. His Inga Garcilaso adjunxit Alphonsum aut Hieronymum de Ribera, & Franciscum Rodriguez de Villafuerte: posterioris nulli alii scriptores meminerunt, prior neque in insulis Gorgona aut Gallo calamitati interfuit, neque prœlio *Cajamarcano*. Et quid mirum Ingam Garcilasum errasse, qui puer in Hispaniam fuit delatus ibique annales ex aliorum relatu scripsit? Ex eadem causa neque æstimationem majorem merentur alii quinque, quos omisso Didaco Alphonso de Trugillo, de quo nullus unquam dubitavit, posuit Antonius de Herrera (c) Dominicus de Serabuse, Petrus Alcon, Garcia de Xerèz, Antonius Carrion & Martinus de Paz. Quare si novem ab Augustino de Zarate relatis quidam Ginès ab Indis in Tumbez trucidatus adjungatur, alii duo nullo certo instrumento sciri putandi sunt. (d)

(a) lib 1. cap. 2.

(b) Contador de mercedes.

(c) decade 3. lib 10. cap. 3.

(d) P. Antonius de la Calancha lib 1. cap. 16. num. 12.

11. Certorum verò memoriæ debitum existimo ne patriæ ignorentur: Nicolao de Ribera seniori patria fuit Olvera Andalusiæ, Petro de Candia Græcia, Ioanni de la Torre & Alphonso Briçeño Venaventum Castellæ veteris, Christophoro de Peralta Baeça Andalusiç, Didaco Alphonso de Trugillo Trugillum Estremaduræ, Francisco de Cuellar Cuellar Castellæ veteris, Bartholomæo Ruiz Moguer, Alphonso de Molina Vbeda.

12. Tredecim ergo illi neque unquam satis laudati à sociis deserti, ne vulgata paucitate à barbaris opprimerentur, consulente ducenteque Francisco Pizarro insulam, cui Franciscus ob fontium torrentiumque multitudinem *Gorgona* nomen imposuit, petiverunt, ibi securiùs de summa rei deliberaturi: Et quia sciebant Didacum de Almagro nulli industriæ nullis laboribus aut sumptibus, ut eis suppetias ferre posset, parciturum, aliquot ibi menses ineffabili fame, morbis, nuditate, rerum omnium, quæ hominibus benè sub alio cælo natis & enutritis solatium adferre possent, indigentiâ transegerunt, ut Dei Providentiæ meliùs aliquid de Perüana gente disponentis, & Virginis Deiparę patrocinio tribuendum sit, non fuisse tot incommodis extinctos. Nam ipsa hæc incommoda quidquam ultrà quàm milites esse docuerant. Prohibebantur publica vitia, præscriptæ indies orationes dicebantur cantabanturque. Horum fortè inediæ patientiæque concessum fluvii miraculum; quod refert Hieronymus Cortes insignis Cosmographus. (e) *Est alius*, ait, *in insula Gorgona fluvius non nisi quadragesima diebus pisces suppeditans, quibus transactis frustranea omnis piscatio est.*

(e) *Tratado 4. de los secretos de naturaleza.*

13. Tandem Didacus de Almagro appulit nullum militem, sed tantillum advehens commeatus, quod desperationē potiùs augeret quàm adferret malorum lenimen. Salus omnis ex fortitudine animi petenda restabat. Franciscus igitur Pizarro repetens fluvium *Chira* oves patrias suorum nutrimento adduxit, & Indos aliquot mōtanos interpretes ignotorum idiomatum futuros: tùm omni festinatione ex insula *Gorgona* excedendum putavit, ne mora exiguum, quod acceperant paraverantque, cōmmeatus, absumeretur, reinciderentque in veteres miserias, quæ corpora militum subeundis laboribus paria esse non sinerent. Necessariò scilicet in laborum concilio corpora adhibentur,

hibentur. Illi maximi futuri in ipſo è *Gorgona* exitu propter incurſantes contrario curſu aquas cognoſcebantur, & difficiliores in ignotis alibi locis timebantur.

14. Portus *Gorgona* moleſtiis ſuperatis dum aliquantiſper vela feciſſent primò Sancti Matthæi litus tenuerunt, in quod è navi exſilientes per provincias *Lancebi* & *Quijimies* oras, quæ quatuor fluviis irrigantur ſtagnātque variis paludibus, in plurimas non magis difficultates quàm pericula inciderunt: nulla regionum notitia cauſa erat ut modò navigio iter proſequerentur, modò itinere pedeſtri frequentibus paludibus fluviiſque impedito; in quo major apparuerit in Franciſco laborum tolerantia, incertum, an ergà militem charitas: infirmos ipſe ſuis humeris aut tranſeundo tranſtulit, aut tranando tranſvexit, ter quaterve diverſis ſe ſubſternens eademque remetiens ſpatia aquaſque. Poſt aliquanti temporis ſeu itinera, ſeu navigationes pervenerūt ut in conſpectu haberent terras, quibus *Capullana* nobilis fœmina imperabat. Ad hanc Nicolaus de Ribera audacis animi nobilis egreſſus, quem alii ſequebantur, etiamſi mores in ea ingenuam mentem non dedecentes humanitatemq; obſervaret, nihil tamen ab ea obtinuit opis protectioniſve. Reſumpta navigatione ſucceſſivè ad *Caput Paſaos, Portū-veterem,* (a) *portum Sanctæ Helenæ*, tandemque ad inſulam *Puna* variis ſucceſſibus & finiente ſecundo, ex quo è *Gorgona* ſolverant, anno, appulerunt. *Caput Paſaos* ita Hiſpani vocaverunt, quod linea ibi tranſeat æquinoctialis. In Sanctæ Helenæ portu oſtenſa eis immanis magnitudinis humana oſſa. Hæc indigenæ reliquias eſſe ajūt gigantum, qui olim navibus illuc appulerant, ultra quorum genua cōmunis ſtaturæ homines non pertingebant. Cùm aquam non repeririſſent altiſſimos effodiſſe puteos ad hęc uſque tēpora perdurantes, quos in duriſſima rupe excavârunt, neque modò ſine admiratione videntur. Piſcatione maximè victum quærebant, ſinguli tantum ſoliti devorare quātum alii homines quinquaginta: & ne parandis veſtibus occuparentur, nudi incedebant, ut non minus inverecundiâ monſtruoſâ quàm monſtruoſâ corporis mole & tyrannicâ oppreſſione fuerint indigenis omnibus odioſi. Mulieres nullas advexerant, mulieres portûs S. Helenæ immanibus membris erant inæquales. Ideoque peccati nefandi libidine fœdiſſimè mutuò commiſcebantur, projecto omni Dei timore & pudore hominum. Sed habuit Peruvia Sodomam ultione divinâ ſi habuit hominum flagitio: cælo ſiquidem deſcendens juvenis Sole ſplendidior ignitis contrà illos telis, quibus ſaxa rupeſque ipſas terebratas fuiſſe & ipſi aſſeverant & hodiernis conſtat documentis, bellum geſſit, tandemque omnes in vallem ſimul coactos unâ omnes ruinâ involvit. (b) Hæc fabulæ creditæ Hiſpanis fuerunt donec anno M. D. XLIII. Ioannes de Holmos Trugillo oriundus Portûſ-veteris Propræfectus mirabilium rerum narratione curioſus illam-ipſam, quam ſignabant digito, vallem effodi curavit, inventæque fuerunt tam vaſtæ magnitudinis coſtæ, aliaque oſſa, ut nullus ſibi perſuadere potuiſſet ea hominum fuiſſe, niſi juncta humana capita dubium omne abſterſiſſent. Ex quo tempore narrationi Indorum, quam inanem hactenus Hiſpani reputaverant, fides adhiberi cœpit, miſſis in varias partes dentibus, qui craſſitudine tribus, longitudine quatuor digitis æquabantur: & affirmavit Caſtellanus quidam apud Antonium de Herrera (c) ſe inveniſſe molarem dentem pondere mediæ libræ.

15. *Pugna* ſeu *Puna* inſula exigua eſt non niſi duodecim miliaria complectens ſed tunc populo bellicoſiſſimo ſemperque inquieto frequēs, feris venaticis ac piſcibus abundans. Ratibus mare non tantùm ad piſcatio-

Quijimies.

(a) Puerto-viejo.

(b) Alia caſtigationis divinæ in Sodomitas exempla vide lib. 9. cap. 5.

(c) Decade 5 lib. 3. c. 12

piscationem sed etiam ad bellum conscendebant, easque aut velis agebant aut remis, ad utrumque dexterrimi. Hunc autem in modum rates componebantur: duabus trabibus alia injiciunt ligna longissima levissimaque, numero semper impari, nonnunquam quinque, aliquando septem aut novem: medium cætera longitudine excedit, cui navis gubernator insidet, ut non ineptè rates istas expansæ manui comparaveris. Trabes tabulatis, non tantùm contra insurgentes aquas sed & propter deambulationis commodum, insternunt eâ amplitudine, ut quinquaginta homines capiant & tres equos. Evenit nunnunquam ut, cùm Europæi illis ratibus veherentur, Indi ita imperceptibiliter contignationes dissolverint, ut laxatis compagibus undis Europæi haurirentur, Indi longo usu edocti enatarent. Arma ipsis sunt fundæ, jacula, clavæ, secures æneæ argenteæque, lãceæ cuspidibus aureis. More gentis usitatum, ut se gemmatum annulorumque aureorum gestatione viri juxta ac fœminæ oblectent, ac vasa, seu quæ ad cibum seu potum serviunt, aurea esse sedulò curent. Insulæ Regulus summam apud suos venerationem obtinuerat, adeo tamen zelotipiæ malo agitatus, ut uxorum suarum custodes naribus partibusque pudendis mutilaret, ne eas aut pulcri pellicerent, aut viciarent integri.

16. Cùm in insulam hanc *Punam* propter ferocem gentis genium & numerositatem Hispani nõ ampliùs tredecim exilire non auderent, trajecto duodecim leucarum freto ad continentem appulerunt tam frequenti populo infessam, ut tũc quadraginta ampliùs millia numerarentur, qui anno M. DC. XXV. quadraginta septem familias non excedebant. Ibi cùm eadem, quæ in *Puna*, pericula metuerent hærerentque inter metum & necessitatem anxii, Petrus de Candia Græcus cassside tectus caput, gladio accinctus, ligneamque ulnaris magnitudinis crucem manu gestans Christianã fiduciâ in terram se exposuit, ut videretur potiùs quàm ut offenderet, volens suo experiri periculo, quid de omnibus barbara gens statueret, reciperetne peregrinum, an rejiceret, læderetve. Mirabantur primò Indi ad insuetam hominis formam ac cœlo expositam arbitrabantur, nondum tamen; an non esset novi ac potentis alicujus inimici species, securi leonem unum tigridemque, quę ibi animalia ali jusserat Inga *Guaynacapac*, in eum immiserunt discerpendum. Alterutrum ad Petri mortem sat erat nisi superior ea potentia direxisset mansuefecissetque. Ille enim cum irruentia videret, per virtutem Crucis opem è cælo poposcit obtinuitque, nam mutatâ in blanditias naturali feritate se ad Petri pedes abjecerunt ejus gratiam velut catelli caudâ emereri gestientes. Petrus qui nõquam manifestiùs quàm tunc vim Crucis conspexerat, ex cęlesti auxilio animosior factus manus capitibus, frontibus Crucem, cujus potentiæ tem admirandam non dubius adscribebat, imposuit. Prodigio attoniti Indi ac Petrum Solis filiũ aut certè Numen aliquod æstimantes, eum in novum, quod sumptuosissimè Soli exstruxerat *Guaynacapac*, templum magnâ pompâ deduxerunt. Templi parietes omnes argenti laminæ contexerant. Iungebatur templo ejusdem Ingæ palatium, nec aberant longè horti, incredibilia luxus portenta, quæ, cùm Guaynacâvæ Ingæ vitam scripsimus, (*a*) pleniùs enarravimus, quæ tunc à Petro de Candia visa fuisse ejusdem Petri confessione referunt Petrus de Cieça, (*b*) Franciscus Lopez de Gomara, Iuga Garcilaso.

(*a*) lib. 1. cap. 8. n. 14. circa finem.

(*b*) cap. 54.

17. Reversus ad duodecim relictos in navi socios Petrus, cùm non nisi aut cæli aut opulentiæ & artis humanæ miracula recenseret, ut fidem apud suos inveniret, diu laboravit. Et conventu omnium consultatione que habitâ statuerunt duos ex sociis inter infideles, qui eorum linguam

linguam addiscerent ac de regionum statu, intereà dùm alii Panamam ad majora auxilia comparanda reverterentur, se informarent, relinquere. Hos Petrus de Candia in terram eduxit & Caziquis seriò commendavit, quorum tamen temulentia eos indignâ morte suppressit. (a) Ajunt nonnulli tredecim illos primâ hâc navigatione litora omnia versus Austrum *Sãtam* usque lustrasse, quòd cùm nullo certo testimonio constet, tutius erit non ultra *Tumbez* hanc expeditionem extendere, atque dicere indè rerum minuscularum apud Europæos cum Indis commutatione viginti novem pesorum millia Panamam revexisse.

(a) infrà cap. 3. n. 2.

CAPVT II.

Proficiscitur Franciscus Pizarro in Hispaniam & redit Panamam.

1. FERDINANDO Luque, Francisco Pizarro & Didaco Almagro magis jã promota videbatur detectio Perüana, quàm ut ab aliorum Præfectorum imperiis deberent dependere: hæc ipsis omnem honorem ablatura, ac permissura post tantos sumtus laboresque exiguum quæstum, Præfectis omnia ad se trahentibus, & pro arbitrio nonexiguâ sæpè remorâ optimas occasiones retardantibus. Quapropter cõmuni consilio in Hispaniam Franciscus Pizarro, datis ei mille aureis, mittitur. Hic Regi sumptus sociorum Ferdinandi & Didaci, hic miserias & labores duodecim commilitonum, qualitates regionum, spem amplissimarum divitiarum non modicam aperiret. Mira narrãrem Rex avidè audivit: ipsum Oratorẽ Franciscum supremâ illarum terrarum Præfecturâ, (b) & Ordine S. Iacobi donavit, nobilitate reliquos commilitones qui nondum eam consecuti fuerant; qui antè fuerant, creavit equites calcarium auratorum. Nullam honoris, nullam imperii partem sociis Ferdinando & Didaco Franciscus attulit. Quæ Fracisci ambitio aut de sociis incuria acerrimè momordit Didacum, iisdem viis ad honores & titulos adspirantem: Ferdinãdo, viro scilicet Ecclesiastico, minor eorum cura. Fuerunt hæc maxima diffidentiæ inter Franciscum & Didacum initia, & semina difficultatũ, quæ utrumq; funestâ involvent ruinâ: (c) eas tamen pro tempore sopivit Antonii de Gama diligentia & promissio Francisci, quâ titulum sibi authoritatemque à Rege concessam se translaturum in Didacum asseverabat, sibi autem novos à Rege honores petiturum: numquàm tamen Francisci fratres in Didaci gratiam penetrârunt.

(b) Adelantado.

(c) lib. 3 cap. 1. nu. 11. 12. 18. 19. 20.

2. Rediens ex Hispania Panamã Franciscus advexit secum P. Vincẽtium de Valverde Dominicanum virum intrepidum, cujus in sequentibus sæpè reminiscemur, Ferdinandum Pizarrum, Ioannem Pizarrum, Gõsalvum Pizarrum, & Franciscum Martinum de Alcantara fratres. Postremum eadem, quæ Franciscum genuit, mater; reliquos idem Pater Gonsalvus Pizarro, quem Longum dixerunt, civis Trugillensis; Ferdinandum quidem Ioannemque legitimo thoro, illegitimo verò Franciscum & Gonsalvum. Tot fratrum exemplum secuti plures alii nomina in Peruviam dederunt, plerique Trugillo, Cazeres, aliisque Estremaduræ locis oriundi.

3. Intereà dùm hæc à Francisco agerentur vivere Quiti desiit *Guaynacava* Ingarum potentissimus. Moriturus altiore quàm humano spiritu in conventu Regiorum Principum, Ducum, Caziquarum & nobilium ita effatus est. *Deorum nostrorum oraculis didici monarchiam hanc, quam maximam florentissimamque relinquo, cum Inga duodecimo finiendam.*

niendam. Duodecimum me esse nullus vestrum ignorare potest. Quis subitam mutationem credat? Quis de sani vegetiq; corporis interitu sollicitus sit? fateor constat adhucdùm suis membris robusta monarchia, nullumq; prodidit intestinum malum: nec facilè reputabitis quid ab externo hoste timendum sit, omnibus, quotquot circumjacent, nationibus, potentiam nostram formidantibus. Cogitetis tamen velim Superis corpora nostra regnaq; subesse, & eorum nutu subitis casibus utraq; perire. Ineluctabilis eorum lex est, non stabit istud imperiū diu. Si hostis nullus in vicino sit, è longinquo evocabūt immittentq;. Videbitis brevi gentē hactenus vobis incognitam, quæ idola destruet, quæ indigenas, & eorum cultum abrogabit. Istud vobis supremum mando, obedite & servite illi: cavete sedulò ne armis eam repellatis, sed potiùs subsidiis, muneribus, & blanditiis benignè invitate: leges inducet nostris salubriores sanctioresq;. Antonius etiam Herrera (a) refert aliud post multa sacrificia oraculum, tunc scilicet venturum externum populum, atque Provincias istas armis subjugaturū, cùm ruptâ terrâ occultus se ignis in eam in *Tacunga* effudisset. Atque ita res posteà accidit. Potuisse similia debuisseque invitos dæmones prædicere, divinæ, Ecclesiasticæ & profanæ historiæ, uberrimis probant exemplis.

(a) Decade 5. lib. 5. c. 1.

4. Extincto Guaynacâvâ scissum mox inter fratres Guascarem & Atagualpam Guaynacavæ filios imperium tantò magis in propinquam ruinam urgebatur, quantò majoribus in se animis fratres concurrebant. Revocanda hîc in memoriam quæ suprà de his fratribus diximus. (b) Guascarem ex sorore, præcipuâ Ingarū legibus Regni uxore, Guaynacava Cuzci susceperat, appellaveratque *Cusi Guascar*, quod idem est ac si linguâ latinâ efferas, *funis voluptatis*, quòd scilicet eodem, quo nascebatur, tempore funem aureum perfecissent aurifabri totâ Peruviâ celeberrimum: erat siquidem ejus crassitiei lōgitudinisque, ut sexcenti eum Orejones qui sunt inter Peruanos potentissimi, elevare non possent, quem dicuntur in lacum *Chucuito*, ne in Hispanorum veniret potestatem desperantes Indi projecisse.

(b) lib. 1. c. 5. num. 15.

5. Atagualpam alii nothum dicunt, alii ex legitimis ortum nuptiis, quas devicto Quitensi regno cum Regis illius filia contraxerat Guaynacava; patrem moriturum Quitense illi regnū, quod materni majores possederant, legasse; misisse post patris mortem Atagualpam Oratores ad fratrem Guascarem, qui illud exorarent; Guascarem respondisse, Cuzcum Atagualpa veniret, exercitum dimitteret, tunc à se obtenturū Provinciam ejus natalibus competentem, sed intra terminos imperii sui conclusam, nullâ autem prudentiâ imperii terminos, à quibus repellere inimicos, & per quos invadere eosdem debeat, alteri permitti posse: si venire abnuat, se eum inimici loco habiturum. Inter hæc incerta constat Atagualpam affectati imperii fuisse reum, (d) atque ad illud immanissimis parricidiis contendisse. Fratres suos occidit quadraginta tres, nepotes ex Guascare fratre natos omninò omnes, sæviens etiā in fœtus maternis adhuc visceribus conclusos, quos ex fratre conceptos fuisse suspicari poterat: (e) unam ejus filiam furori tyranni matris diligentia subduxit, quæ postea *Sayritupac* Ingæ nupsit *Coya Cuxi* dicta. Uxores insuper suas, ne quæ pars crudelitatis tyranno deesset, quas allato de adventu Hispanorum nuntio hilariores esse conspexerat, interemit.

(d) vide lib. 1. cap. 5. num. 15.

(e) vide lib. 7. cap. 7.

6. Cum Guascaris autem copiis variis præliis confixit, quæ cùm alibi narraverimus, (f) istud dumtaxat superesse censeo, ut postrema, quæque sub ipso Hispanorum adventu commissa sunt, recenseantur. Incolæ insulæ *Puna*, qui Guascaris partes tuebantur, advenientem, & multis victoriis insolentem tyrannum, inflicto illi vulnere & captis ex ejus exercitu sexcentis, fortiter repulerunt. Ipse nihilo segnior

(f) vide lib. 1. cap. n. 15.

segnior & Proviocias omnes Cajamalcam usque subjecit, & præcipuum exercitum misit qui Guascarem Cuzci quæreret cæderetque. Qui cum nec Guascarem imparatum invenisset, aggredi eum decrevit ex præterita fortuna futuram metiens. Et quia pro summa totius imperii utrimq; decertabatur, tam atrox pugna fuit, ut dicant (a) in ea centum quinquaginta millia Indorum cecidisse, & locus ipse *Quipaypan* Cuzco junctus perpetuâ memoriâ celebretur. Guascar ipse in hostium potestatem devenit, ab illis in *Xauxa* Provinciam ejusdem ferè cum Lima latitudinis, sed paulò orientaliorem ductus, & habitus perquàm inhumaniter, vermes in cibum & in potum accipere urinam jussus; extrema humanæ potentiæ ludibria.

(a) Palentinus 2. par. P. Antonius de la Calancha lib. 1. cap 16. num. 9.

CAPVT III.

Secunda Francisci Pizarro in Peruviam expeditio.



1. HOS in Peruvia fortuna, veriùs dicο, supremum Numen ludebat ludos; cùm Franciscus Pizarro ex Hispania redux secundam in illud regnum expeditiooem adornaret. Tardiùs autem & voluntate suâ & rei exigentiâ promovebatur, animis militum ob præcedentes calamitates & spem quæstus exiguam prorsus ab ea aversis, & Didaco Almagro, à quo magna ex parte dependebat, ob sui in Hispania neglectû noo-parû offenso. (b) Tandem paratis equitibus sexaginta quatuor, & centum quinque peditibus, habens in consortio P. Vinceotium de Valverde Dominicanû & Ioannem de Sosa Presbyterum Panamâ solvit mense Aprili anni M. D. XXXI. Verùm agitantibus navim ventis & nimiùm in adversando obstinatis exponere militem equosque necesse fuit in litus centum adhuc leocis à *Tumbez* distans. Navim Panamam pro auxiliis remisit, ipse militem juxta litus pedestri itinere duxit paribus, ut antè, incommodis fatigationis, famis, infirmitatum, aquarum, per quas suis ipse humeris alios vexit. Accesserat præcedentibus calamitatibus novum at ingens & plenum doloribus pustularum (iuglande non erant minores alteque faciebus infixæ) malum, quo plures exstingnebantur. Nihil in his à Francisco Pizarro omissum quod prudentiam strenui Ducis, quod in commilitones amorem deceret. Invigilabat alienis solatiis negligens propriorum: quæ numquàm habuit majora quàm cùm militem sanum vidit, nec indigentem: quæ ut præstaret omnem locorum opportunitatem rimabatur, io hoc etiam seriò intentus ut famam stolidæ & obstinatæ expeditionis (ita eam multi vocabant) Panamæ milites deterrentem aboleret. Quapropter Didaco de Almagro, qui Panamæ novorum auxiliorum satagebat, misit ducatorum millia viginti quinque, quæ in itinere collegerat: ipse verò suos io pago maritimo, qui *Capiti Pasaos* jungitur (*Coaque* illi nomen est) reficiendum duxit; abundabat siquidem non iis tantùm rebus quæ ad cibum & potum sunt necessariæ, sed mercimoniis prætereà & smaragdis dives erat. Vt & corpora militum laboribus ac morbis confecta curari, & ad similia perferenda spe jam oon-dubiâ divitiarum accendi animi potuerint. Quare, cùm summo gaudio apud se Franciscus Pizarro reputaret nihil in posterum suæ expeditioni obfuturum (nam & Panamam missum aurû diximus quo ibi milites allicerentur) inter præsentes officia distribuit XVIII. Kalen. Maias (c) anni M. D. XXXI. omnia publicis tabulis consignante Ioanne Alphonso Secretario, qui-

(b) cap præced.

(c) 14. Aprilis.

 bus

bus idē nomine Francisci, qui scribendi artem ignorabat, subscribebat. Fuerunt tunc renuntiati Blasius Atienҫa Numerator, (a) Franciscus de la Sierna Inspector (b) Ferdinandus Gonҫales Thesaurarius, cui deinde Nicolaus de Ribera successit.

(a) Contador (b) Veedor.

2. Secundo pòst die (c) opportunè propter præsentiam *Guantanguador, Tinguivir, Drinacay* & *Contom* Indorum ex Tombez præcipuorum per interpretem ab illis, quæ Alphonso de Molina & N. Xinès, quos ex numero decimo-ternario in *Tumbez* primâvice ad addiscēdas barbarorū linguas relictos diximus, (d) fortuna obtigisset, quæsivit. Trucidatos fuisse à Caziquis *Guaya, Sulpela, Tapan, Cotoj* & eorum subditis omnes contestati. Rogati causam & genus mortis, responderunt nullam à Christianis datam offensæ causam, verùm fuisse à dictis Caziquis nimiâ potatione temulentis fustibus contusos.

(c) 16. Aprilis.

(d) Sup. c. 1. num. 16.

3. Die porrò Aprilis vigesimo secundo sigillum Regium, quo ministri uterentur, fieri mandavit & incidi in eo leonem ferentem Crucem in memoriam leonis ad pedes Petri de Candia accumbentis & blandientis: (e) circumferentia Cæsaris nomen inscriptum habebat, *Carolus Imperator.*

(e) Sup. c. 1. num. 16.

4. Ista quidem, quibus corpora reficerentur, *Coaque* copiosè suppeditabat, desæviebat tamen adhuc pustularum malum, abripiebatque plurimos. Hac occasione faciliùs indè ianos abduxit Franciscus, causatus aëris illas vitio oriri. Paulò pòst, sed solitis incommodis superatis, Portum-veterem tenuerūt, quò ad eos ex *Nicaragua* navi unâ, quâ equitem peditemque advehebant, delati sunt Sebastianus de Venalcaҫar & Ioannes Fernandez adhucdum ignari istius terræ Præfecturam Francisco à Rege fuisse collatam: milites spe boni successus cæterorum, qui cum Francisco erant, narratu intellectâ, illius fortunam sequi statuerunt.

5. Ille aucto præter opinionē milite, & recitatione incredibilium thesaurorum, quos annis præcedētibus viderant, excitato, eū inter ipsa pericula & calamitates hilarem *Puna* insulæ applicuit, factisq; tumultuario labore ratibus in eā traducere suos satagebat assumptis Indis qui rates per sinum maris, quo *Puna* insula à continente *Tumbez* secernitur, promoverent. Numquam antè viciniores generali naufragio Dux militesque fuerunt conspiratione Indorum, qui funes compagesque omnium simul ratiū laxare & Christianos falso mari immergere decreverant, ipsi natandi peritiâ & cōsuetudine vel insulam, vel continentē petituri. Indicio conceptæ proditionis ad Franciscum delato suis mandavit intentis in Indos oculis esse, & stare strictis gladiis ad prçoccupanda eorū molimina, si fortè ea exequi tentarent, paratos. Ita in insulam compresso periculo expositi, beñignè & oblatione pacis ab incolis recipiuntur. Eâ simulatione Hispanos sui negligētiores & cladi, quā eos sequenti nocte per paratum & vicinum in insidiis suorum exercitum involvere subitò & conterere cogitaverāt, opportuniores reddere arbitrabantur. Difficulter fallitur pro quo Numen vigilat, detectâ nāque rursum Indorum fraude, aggredi eorum exercitum, suis, ut putabat, doli regionisque latebris securum, Franciscus imperavit. Plurimi in ea pugna Indi desiderati sunt, Hispani tres quatuorve, in quorum potestatem ipse Princeps devenit. Franciscus aliique ejus fratres, Principe custodiri & reliquiis barbari exercitus observari jussis, summo manè per omnes insulæ partes pervolârunt animo majore, incertū, an feliciori successu: didicit scilicet ubi turmæ Hispanicæ ad sui defensionē, ad Indorum detrimentum, ad commeatū & subsidia navibus immittenda disponerentur opportuniùs, sine qua scientia dānum accipere imò obrui potuissent. Indi enim peregrinū hospitē aversati, eum, antequā vel novis auxiliis

auxiliis cresceret, vel consuetudine & favore indigenarum roboraretur, opprimendū rati, undique ratibus, ut externas naves multitudine suâ superarent, convenerunt. Sed quod imparaaris exitii causa fuisset, fuit victoriæ paratis. Adeò fortiter barbarorum impetum Hispani repulerunt, ut plurimos cæderent nullâ suorum clade etiamsi graviter vulnerato Gonsalvo Pizarro. Opimam prædam Franciscus, ne adveniente cùm novis copiis Ferdinando de Soto præsentibus minor esset, mox distribuit, quâ ita usi sunt, ut gloriæ magis quàm spoliis intendisse videantur, nihilque studiosiùs curasse, quàm ut illâ in alias regiones missâ Regi milites, sibi socios compararent. Fuit illa in re Franciscus præ cæteris profusus, quæcumque poterat, Panamam, atque in Hispaniam, liberalissimè mittens.

6. Observavit tamen aëris temperiem in insula *Puna* esse militi suo insalubrem, ideòque in objectam è regione continentem *Tumbez* eum transmittere statuit, & ut prœliorum, in quibus ipsa non sine damno victoria est his, qui paucitate laborant, frequentiâ abstineret, insinuaretque se *Ataguálpæ* gratiæ, sexcentos, quos à Tumbensibus Punenses in certamine cum *Ataguálpa* inito cœperant reddiderantque servos, Tumbensibus sine litro ac sumptibus remisit. (Pro Guascare Punenses, Tumbenses pro *Ataguálpa* stabant.) Magno Christianorum beneficio immanissimâ barbari crudelitate responderunt, tres siquidem Hispanos cum Indis à Francisco præmissos ut pacem Tumbensibus offerrent peterentque, mox ut ex rate in litus conscenderant, Diis suis sacrificium obtulerunt. Imminebat eadem Centurioni Ferdinando de Soto feritas nisi se indicio Didaci de Aguero & Roderici Lozano maturâ fugâ subduxisset.

7. Legatorum violatione, quam omnes etiam incultissimæ gentes sunt abominatæ, Franciscus, ut par erat, excandescens omnia volvit ut militem portui vicinum in litus exponeret. Maxima autem de equis, in quibus præcipua boni successus spes erat, fuit difficultas, quòd rates non haberent aut Indos qui adjuvarent, hi enim conscientia pessimi sceleris timidi in montes præcurrente Caziquâ, confugerant, in hoc providi quod arma in omnem casum contulissent. Quare illo vespere nullus præter Franciscum, Ferdinandum & Ioannes Pizarros fratres è navi exscendit. P. Vincentius de Valverde, Ferdinandus de Soto, ac duo alii totâ nocte, licèt maris agitatione egregiè madidi, in equis steterunt. Laborabatur pro exponendo milite à Pizarris, & Franciscus, hâc curâ Ferdinando fratri commissâ, equo volans in interiorem regionem, ad duas ampliùs leucas eam lustravit, nullo, quem secum ad navem duceret, reperto Indo. Sed redeunti Mena & Ioannes de Salzedo Centuriones cum aliis aliquot equitibus diligentiâ Ferdinandi Pizarro expositis occurrerunt, & cum ad mare pervenisset, omnes copias gaudens in litore lustravit. Appulit tunc etiam Centurio Sebastianus de Benalçaçar, qui cum suis in adversâ insula *Puna* substiterat navium defectu, variis interim velitationibus ab incurrentibus Indis exercitus.

8. Amplius viginti diebus copias in *Tumbez* Franciscus detinuit intentus ut Caziquam ad pacem invitaret. Ille verò non parva suorum excursionibus damna Hispanis, qui pabulatum ibant, intulit, nulla ab illis, fluvio intercurrente, recipere poterat, donec allatis secretò è mari ratibus aliquot Franciscus Fratres Ioannem & Gonsalvum, Ferdinandum item de Soto & Sebastianum Benalçaçar ac cum his quinquaginta equites transmisit, qui noctu non exiguis inter montium clivos, angustias viarum & dumeta difficultatibus superatis in diei crepusculo exercitum Indorum nihil tale suspicantem ideo-

que imparatum magnis animis adorsi sunt, ceciderunt que, effusâ in omnes strage, per quindecim continuos dies flammis armisque per totam regionem grassantes, vindicantesque sanguinem trium Legatorum Diis ab illis indignè oblatum. Hæ Caziquam clades, ut pacem missis auri argentique muneribus peteret, impulerunt. Fecerat spoliorum magnitudo ut munera parvi æstimaret, pacem tamen supplici concessit sat datum vindictæ ratus, reputans etiam satiùs, ut integris adhuc copiis vicinos Caziquas singulos præoccuparet, ne morâ obstinarioris cum Tumbenfibus belli, illi mutuis fœderibus roborarentur.

9. Quapropter relicto ibi Antonio Navarro & Alphonso Requelme competenteque præsidio, Franciscus maximam copiarum partem ad fluvium *Poechos* per triginta leucarum spatium perduxit, missis quaquaversum qui locorum Regulis pacem offerrent, &, si acceptarent, esse juberent securos. Alios destinavit qui fidissimum illius littoris portum *Payta* detegerent. Huc Cuzco à Guascate nondùm per *Ataguálpa* fratris exercitum capto Legati ad Franciscum venerunt suppetias contra rebellem tyrannum petituri. Auditis benignè respondit, Guascati nuntiarent se cùm copiis omnibus *Cajamalcam*, ubi *Ataguálpam* esse constabat; properaturum. Vt jam non tantùm Pontificis concessione sed & legitimi Ingæ requisitione justum contra tyrannum Hispani bellum gesserint. Missus Ferdinandus Pizarro qui reliquias exercitus è *Tumbez* evocaret, Franciscus autem ad fluminis *Chira* ripam in *Tangarata* primam in Peruvia civitatem sub nomine Sancti Michaëlis Archangeli condidit, ut navibus Panamâ venientibus securus esset, quem Hispani tenerent, portus, ipseque, si malignior eum fortuna persequeretur, se recipere exercitus posset. Post hæc spolia, quæ in *Tumbez* consecuti erant maxima, laudatâ integritate distribuit, festinavitque *Cajamalcam*.

CAPUT IV.

Tendit Hispanorum exercitus Cajamalcam quæsiturus Ataguálpam.



VULGATA per hæc, quæ diximus, facta per totam Peruviam Hispanorum famâ seriò *Guaynacave* vaticinium, quod à *Mancocapac* primo Inga promanasse & traditione ad posteros venisse puratur, (*a*) revolvere cœperunt, firmiterque sibi persuadere illos esse gentem illam incognitam vaticinio expressam. Magis etiam *Cuzci* hæc opinio fidem invenerat aliis ibi prodigiis roborata. Nam pepererat ibi Inda gemellos, unum candidissimo corpore & flavis capillis, alterum nigrum crispumque: rogatus dæmon prodigii significationem responderat conscendisse jam mare nationes albas nigrasque qui sibi Perüanos subiicerent. Cùm solemnissimo sacrificio Indi in eadem civitate Cuzcensi interessent, avis plurimis coloribus varia, sacrificantibus locuta est brevi omnia eorum sacrificia finienda. Visus etiam ad orientem multis diebus cometa, & pyramis ignita. 1.

(a) cap. 14. ultim. 2.

2. Hæc prodigia primæ Guascaris ad Franciscum legationis, de qua jam diximus, (*b*) causa fuerunt: secundam captivus misit ex *Xauxa*, ex simili sacrificiorum religione: ipso siquidem aliisque miseræ ejus fortunæ consortibus, sacrificiis, quæ idolo *Viracocha* offerebantur, intentis nuntia ferebantur cæsi in *Cajamalca* ab Hispanis exercitûs captique

(b) cap. præc.

que *Ataguàlpa*, quem eventum Viracochæ, cujus officium credebant cælo milites dimittere ad oppressorum defensionem, vindicandamque aliis illatam injuriam, nullâ cunctatione adscripserunt, putaveruntque illos ipsos à Viracocha è cœlo ad Guascaris tutelam & liberationem missos. Quâ de causâ multo tempore Hispanis Viracochæ appellatio adhæsit, ideoque errant (a) qui ex vituperio nomen illud obvenisse Hispanis scribunt, illosque hoc nomine contemptim fuisse à barbaris vocatos.

(a) Hieronymus Benzono & Gomara.

3. Idem *Guaynacava* vaticinium *Cajamalca Ataguàlpam* sollicitum habebat, expendebatque apud se tam paucorum de Punensibus, à quibus ipse recèns accepto vulnere fuerat repulsus, victoriam; Tumbensium destructionem, confœderationem cum Hispanis aliorum Regulorum, per quorum terras ad se eos adventare non dubiis nuntiis intelligebar. Quare & ipse missâ legatione & muneribus tentare adventantium gratiam statuit. Munera erant periscelides duæ, & picti calcei, quibus ut indueretur Hispanorum dux, dùm ad se esset venturus, petebat, hoc sibi, quo eum agnoscat, signum fore. Allata sunt autem dùm ex valle *Motupe*, in qua lassos difficilibus itineribus milites refecerat, montem ascenderet. Accepit ea manifestis humanitatis indiciis, spoponditque se iis, ut petiverat *Ataguàlpa*, usurum: cui insuper renuntiari jussit, securus esset, nihil illi à sua gente offensionis dandum, nisi eam prior ipse dedisset: hoc Regis Castellæ, à quo mittebantur, esse mandatum.

4. Legatos Franciscus magnâ vigilantiâ & circumspectione, ne fortè alicubi insidiis Indorum imparatus peteretur, sequebatur, venitque Cajamalcam quæ à civitate Sancti Michaëlis abest itinere duodecim dierum. Ibi ne sine Ataguàlpæ consensu hospitaretur, alius eum nuntius prohibere & deterrere conatus est, quem sine responso dimisit, & militem quiescere & reparare corpus jussit, locus enim populo frequens & iis rebus, quæ ad victum pertinent, abundans facilè, quod volebant, suppeditabat. Misit deinde ad castra Ataguàlpæ uno à Cajamalcâ miliario dissita Ferdinandum Soto cum equitibus viginti, qui pacem illi amicitiamq; cum Hispaniarum Rege offerret, qui, cùm calcaribus equos ad cursum, spectante Ataguàlpâ totoque exercitu, more Europæo agitarent, ipse immotus tantam animalis nunquàm visi velocitatem, tot gyros, tot ad insidentium arbitrium saltus adspexit, & eos, quos timere observârat, videntibus Hispanis & constantiam barbaram mirantibus, necavit: nihil tamen Ferdinando de Soto per se locutus expectavit Ferdinandi Pizarro sequentis adventum, quem statim ad se admisit & audivit, respunditque. Hæc per interpretes, quos duos Hispani adduxerant Philippum Guancabilca *Puna*, & Franciscum, *Poechos* oriundos, agebantur. Ferdinandi autem Pizarro hæc in summa erat oratio, Venisse in illas partes Franciscum „ fratrem, Regis Hispaniarum legatum, desiderare ejus amicitiam, „ tempus item constitui quo prolixiùs Regis sui voluntatem illi intimare posset. Ataguàlpa respondit, non abnuere se Regis Legati „ que amicitiam, si tamen ipse ablatum à suis subditis aurum argentumque restituerit, & statim suis „ ditionibus excesserit: se die sequenti Cajamalcæ futurum ac in regio „ suo palatio ampliore conventu de „ omnibus acturum. Ita Ferdinandus consideratis non otiosè castris, quæ tentoriorum multitudine & aptâ eorum collocatione civitatis speciem ostentare videbantur, cum suis ad Franciscum reversus, narratis quæ audierat videratque, etiamsi non timorem intrepido ejus animo, certè sollicitudinem injecit; erat enim ea utriusque exercitus in numero inæqualitas, ut uni Hispano ducenti responderent Indi.

di. Cùm nec tanti excessus relatione formidare suos animadvertisset Franciscus, constantiâ suorum ac probatâ sæpè virtute lætus, magis etiam fiduciâ de veri Dei, cujus causa agebatur, auxilio securus, sustinere fortiter barbaræ multitudinis, si irrueret, impetum statuit, vel ultrò lacessere, si moraretur.

CAPVT V.

Hispanorum cum Ataguálpa conflictus & hujus captivitas. Guascaris & Ataguálpæ mors. Imperii occupatio.

1. TOTAM noctem Hispani insomnem, suæ custodiæ parandisque armis intenti, duxerunt. Mane facto Franciscus brevi oratione excitatos distribuit. Equitatum in tres partes sub Ducibus Ferdinando fratre, Ferdinando de Soto & Sebastiano Benalcaçar diuisum latere jussit donec tormento majori signum daretur: ipse peditatui præfuit & cum eo in ingenti palatii Regii area undique muris cincta, quam occupaverat, adventum Ataguálpæ est præstolatus. Nec minùs segniter Atagualpa, antequàm à loco castrorum moveret, aciem direxit singulis aliis, quâ graderentur viâ, tantùm non superstitiosè præscribens, & tanquàm certus de victoria mittens è suis Tribunis unum *Ruminagui* nomine, qui cum sex millibus loca, per quæ Christiani Cajamalcam venerant, ut ne unus quidem cladi se subtrahere fugiendo posset, occuparet. Post hæc progredi castris Atagualpa cœpit, sed gradu adeò lento, ut exiguæ leucę, quâ Cajamalcâ aberant, quatuor horas impenderet. Præcurrebant exercitum trecenti Indi eodem habitu vestiti, qui lapides imò paleas, superstitiosè magis quam necessariò, barbarâ servitute semoverent. Ataguaipa gestatoriâ sellâ aureâ pro maxima parte sublimis suorum Caziquarum humeris ferebatur. Sequebātur in feretris nobiliores quique, non tàm de pugna quàm tormentis peregrinæ & temerariæ genti infligendis Regi suo sibique inani jactatione blandientes. Ad aucupium non ad bellum ire sibi videbantur; fueratque ex iis unus aliquis qui Atagualpæ vanitati interblandiens asseverabat Hispanos esse numero paucos, laboribus fractos ac se movere impotentes, ideoque magnis ovibus, quas equos vocent, uti si quando progredi tentent: manu eos capi posse, non debere armis peti.

2. His adulationibus inflatus Atagualpa naturâ ipsâ superbus in aream palatii promovit, vidensque Franciscum cum solo peditatu (latêre in insidiis equites diximus) numerum aspernatus reputabat non ausuros Hispanos aspectum tantæ multitudinis sustinere. Erigensque se in sua sede palàm edixit hostem sibi in manus traditum, ignarus aut immemor summas jactantias ferè magnis calamitatibus finiri, ac tùm maximè fortunam timendam cùm maximè blanditur.

3. Inter hæc ad eum accedens P. Vincentius de Valverde in hunc modum fuisse locutus fertur. *Deus naturâ unus, trinus personis, ac præter quem nullus est verus, cælum, terram, tùm quidquid utroq; clauditur, ex nihilo creavit, primum autem hominem, Adam dictum, plasmavit ex limo terræ, ex ejus autem latere eductam costam ædificavit in mulierem Evam nomine. Qui per superbiam contra Creatorem elati maximo crimine & magnis calamitatibus se posterosq; suos, homines scilicet omnes quotquot olim fuerunt, & nunc*

nunc ſunt, & erunt aliquando, involverunt, quibus in certam damnationem excluſi è cœli gaudiis ad quæ creati erant, præcipitabantur. Sed Deus Pater plaſmatis ſui miſereſcens filium ſuum Deum ſibi æqualem miſit in hunc mundum peccatores ſalvos facere. Hic ex Maria ſemper Virgine ſine homine patre ſed Spiritu Sancto ſuperveniente carnem aſſumpſit, nonoq; poſt conceptionem menſe ex clauſo matris utero egreſſus, multis annis cum hominibus converſatus varia illis beneficia impertivit & ſaniſſimâ doctrinâ inſtituit. Sed hi mala pro bonis rependentes & poſt multa tormenta cruci eum adfigentes interemerunt, morte tamen humano generi neceſſariâ, quâ illud vivificavit, eruitumq; è dæmonum ſervitute Patri ſuo reconciliavit. Tertiâ è ſepulchro die glorioſus ſurrexit, & poſt dies quadraginta rurſus ad Patrem in cælum rediens Apoſtolos reliquit ſuâ doctrinâ ex integro imbutos, quibus velut ſuum in terris Vicarium Sanctum Petrum præfecit & ejus ſucceſſores Romæ habitantes, quos Chriſtiani Summos Pontifices appellant. Illi inter Chriſtianos Principes terras infidelium diſtribuerunt, prout unicuiq; ad eas conquirendas judicarunt opportuniores. Terras, quas Tu, quas Guaſcar frater tuus occupat, Cæſari Carolo ejus nominis Quinto eorum unus adſcripſit. Qui Franciſcum Pizarro ut Dei & ſuo nomine Tibi, quæ jam recitavi, intimaret, deſtinavit. Quod ſi his, quæ dixi, credideris, & fueris baptiſmo ablutus, præſtiterisq; Regi noſtro obedientiam, ſicut præſtat bona Chriſtianorum Principum pars, Tibi terras omnes cum avitis favoribus privilegiisq; concedet aquiſq; legibus Te illaſq; defendet. Sin autem, incendio eas & cædibus vaſtabit, diſcesq; exitio tuo alios eſſe Hiſpaniæ quàm Peruviæ Reges. Nullum verò detrimentum majus quàm anima patieris, inexplicabilibus & nunquam finiendis pœnis, niſi his, quæ de Chriſtianorum Deo & generis humani Redemptore breviter ſunt recitata, quæque paratus ſum uberiùs edocere, credideris, punienda.

4. Ad quæ Ataguálpa excóſpecta Hiſpanorum paucitate inſolentior, ferociùs etiam quàm primò reſpondit. *Regiones has ampliſſimas pater Guaynacava aliiq; majores mei Inga aut hæreditarias acceperunt aut juſtis bellis ſubjugarunt. Parens ad fratrem Guaſcarem tranſmiſit; quem cum prælio vicerim teneamq; captivum, ad me omnes tranſierunt eaſque poſſideo. Quid autem in illarum donatione Sanctus Petrus aliiq; ejus poſſint ſucceſſores planè non video: & ut dederint, improbo & repugno. Amicus magni Regis veſtri eſſe volo, non ſubditus aut tributarius. Deum veſtrum unum Trinumq;, qui cuncta creârit, & ridendum humani generis Redemptorem ignoro. Pachacamacnus (a) habemus credimuſq; cuncta produxiſſe: Solem & Lunam benefica in mundum univerſum Numina veneramur: immortales ſunt; nec pro miſero veſtro Deo crucifixo & mortuo deſerendi. Et dic, quibus aut rationibus aut teſtimoniis, quæ propoſuiſti, adſtrues?* Ad hæc P. Vincentius apertum ei Breviarium porrexit affirmans eo omnia probari. Acceptum Ataguálpa volvit & revolvit, nunc oculis nunc auribus applicuit, arbitrans aut locuturum aut manifeſtum aliquod dictorum ſignum editurum: & cùm neutrum præſtaret, in terram abjecit, imprudenti peregrini numeri, cui oraculis adſcribi imperiũ, quem novis bellãdi artibus incredibiles victorias obtinuiſſe vulgatâ ſat ſuperq; famâ didicerat contemptu, & extremâ ſui ſuorumque ruinâ. Verum ſapere non ſinimur cũ aliò judiciis divinis urgemur.

(a) lib 1. cap. 4. num. 3. lib. 6. cap. 1. numero maximè 3.

5. P. Vincentius indignè habitum Chriſtianorum myſteriorum librum impatienter ferens properè ad ſuos reverſus, *Quid tardatis*, exclamat, *Chriſtiani? Sacra Evangelia contemptim in terram à profano Rege abjecta pedibus conculcantur.* Ad ejus clamorem omnium animis accenſis, Franciſcus eorum ardore utendum ratus, expendens etiam, ſi, donec prior impeteretur ab Indis, expectaret, morâ ipsâ hoſtium animos augendos, & minuendos ſuorum, miſſo ad Ferdinandum Pizarrum nuntio ſignum concutiendi tormento dari

Jussit, ad quod ex tribus partibus turmæ equitum & docti ad pugnam contra Indos molossi (à quibus magnas sæpè clades passi sunt) in confusum hostem involant, Franciscus ardentem peditem per confertos Indos uno impetu ad Regem Ataguálpam aureâ sellâ humeris Caziquarum portatum duxit, ubi aliquantisper pugnatum est novis semper Cazicis in locum cæsorum portatorum imperterritè mirâ agilitate succedentibus. Franciscus, qui nullum magis periculum quàm victoriæ tarditatem formidabat, (nam etsi plurimi barbarorum caderent, majorerat unius, ob paucitatem numeri, Christiani jactura) magnâ alacritate in Ataguálpam, à cujus captivitate summa victoriæ dependebat, insiliit, & summis crinibus, quos prolixos gestabat, prehensum ad se attraxit, atque in cassùm repugnantibus Indis in terram dejecit, expertus suo, quod in manu accipiebat, vulnere quàm non oscitanter sui gladiis uterentur. Alibi ab ipso pugnæ initio ad solam armorum insolentiam & fulgorem, ad canum rabiem, ad equorum impetum, ad formam insidentium (qui, ut erant casside, thorace, tibialibus splendentibus, nam omnia ad terrorem incutiendum paraverant Hispani, cataphracti, argentei pugnatores credebantur) trepidatum fuit; at verò vulgatâ *Ataguálpæ* captivitate tàm effusâ ubiq; fugâ currebatur, ut jam multitudinem suam, quâ solâ hostem contemplerant, non nisi ad perniciem esse sentirent. Debilior fortioris pedibus contritus gradum faciebat, quo ille areæ murum conscenderet: & cùm hoc modo lenta nimis fuga esset, dejecto per vim muro locum fugiendi, quem non inveniebat, barbara multitudo sibi fecit, nullâ defensionis suæ curâ. Fugientium tergis ferociter equites imminebant, donec ingruēs nox imponeret persequendi finem. *Rumiñagui*, quem ad cædem fugientiū Hispanorum missum fuisse diximus, audito tormentorum tonitru, & frequentibus schlopetorum ictibus, cùm insuper Indum in colle, qui adveniendi indicium daret, dejici per Hispanum conspexisset, Quitum usq;, quod ducentis quinquaginta amplius leucis *Cajamalcâ* abest, nō interruptis itineribus trepidus cum quinq; millibus sibi datis profugit. Prœlium hoc anno M.D.XXXII. (a) contigit in quo quinq; Indorum millia desiderata fuisse scribuntur.

6. Capto *Ataguálpâ* & Indis, qui cum eo venerant, aut cæsis aut fugâ dilapsis, proximâ luce de congregandis spoliis cogitatum fuit. Eorum multitudo præliumque non tantùm exterrorum spem sed pænè avaritiam superavit: tot aurea tot argentea vasa, tam splendida tentoria, tam varia alia, quæ barbaris sibi luxus paraverat, inveniebantur. Solū, quod *Ataguálpa* ipse attulerat aurum amplius sexagesies mille pesis (b) æstimabatur. Fœminæ quinquies mille ex iis, quas Indorum exercitus adduxerat, sponte ad Hispanos transierunt.

7. Ataguálpa, ut humaniter jam captus haberetur, à Francisco Pizarro petivit, ac pro sua libertate obtulit quantum nullus concipere Hispanus potuisset. Erat in palatio Cajamalcensi ingens atrium quadratum, hoc se auro repleturum ad eam altitudinem ad quam ipse stans extensâ manu contingere posset, spopondit: Argenti autem eam, si mallet, copiam, quantam ipse Franciscus vix movere vellet. Cùm abstupescere ad promissorum immensitatem Franciscum animadverteret, addidit nihil se supra possibilitatem promisisse, plura tributurum. Franciscus acceptatâ seriò, addunt aliqui, juratâ liberandi Ataguálpæ conditione signari in atrio eam altitudinem rubrâ lineâ jussit, benignè que Ataguálpam habuit.

8. Missi mox in omnes plagas ad conferendum literum Indi, maximè verò Cuzcum. Et quamquam auri & at-

(a) hoc certius est quàm quod non nulli autores dicunt contigisse anno 1533.

(b) Pesum unum ad quatuordecim regales computandum, regalis ad tres stuferos & medium.

& argenti plurimum *Cajamalcam* quotidie adferretur, observantes tamen Hispani quantùm allata à promissis adhuc abessent, accusare palàm Atagualpę liberalitatem cœperunt, dicereque eam summam uni homini esse impossibilem, obtentui eam haberi & amplâ ejus spe Hispanos lactari, reverâ autem Atagualpam, dùm speciē conquirendæ ostendit, animum occultare perdendi Hispanos, incitari ad hoc secretis machinationibus Indos, elapsum complendorum promissorum tempus, omnem ulteriorem moram esse debere suspectam. Nec latère Atagualpam acris judicii virum potuit Hispanorum murmur, cujus causam cùm à Francisco » fuisset sciscitatus, illeque non fictè » aperuisset, respondit, nondum posse » esse justam de non completo litro » querelam, majus illud esse ipsâ » Hispanorum fide non suâ potentiâ, » verùm magnam ejus partem Cuz- » co ducentis minimùm leucis Cajamalcâ remotâ petendam, &, quod » moram auget, humeris Indorum ferendam, itinera ipsa incommoda, » non debere in hoc mensis unius » alteriusve moram culpari, expectatent tantisper, certò illos habituros » completionem promissorũ. Quod » si dubitarent, mitterent duos ex » suis Cuzeum, facilè illos ex iis, quæ » viderent, judicaturos nihil se impossibile spopondisse.

9. Neque hâc propositione malignæ machinationis suspicionem Atagualpa apud Hispanos evasit, qui diu multùmque eam excussērunt, semper periculo plenissimum arbitrati suos ultrò exponere arbitrio & gratiæ barbarorum, donec Atagualpa certior factus tàm anxiæ consultationis palàm eam rideret. *Quam, ait, fraudem, quam vim vestri Cuzci formidare possunt qui me catenis vinctum, uxores meas, meos item filios fratresq́, apud vos semper sint suæ securitatis vades habituri?* Tùm primùm dictis Atagualpæ fides adhibita, ac Cuzcum Ferdinandus de Soto & Petrus del Barco cursim pertexerunt in sellis gestatoriis, jubente Atagualpâ, humeris Indorum lati. Non enim fas est Indis sellarum gestatoribus modestè incedere, currendum est: &, quod nobis incredibile est, non nisi bini gestant, cum quibus ad certa spatia alii (neque singulæ sellæ pauciores habent quàm quinquaginta portatores) alternant vices eâ dexteritate, ut ob hoc subsistendum non sit. In itinere obvium habuerunt Guascarem Ingam, quem quidam Atagualpæ Tribunus captivum ducebat. Guascar nuntio transeuntium Hispanorum accepto memor portentorum & vaticinii paterni, ac præcedentium ad Franciscum legationum, desperansque omne, quàm ab eorum auxilio, libertatis remedium, statuit seriò eorum gratiam emereri, & Atagualpam, qui solus libertati obsistere poterat, muneribus superare, per cujus arma victus tenebatur. Auxit libertatis spem ipse conventus, in quo asseverantibus Ferdinando de Soto & Petro del Barco didicerat Regis Hispaniarum & ejus Legati Francisci voluntatem esse justitiam administrare non tantùm Christianis sed omnibus, quotquot ad ejus obedientiam accederent, Indis. Quapropter jus » regni per successionem primogeni- » turæ legibus patriis stabilitam sibi » debitum, à fratre Atagualpa turba- » tum esse, insuper se ab eo captivum » haberi ac ad mortem quæri, brevi- » ter enarravit, ideóque rogare ut » converso ad Legatum Franciscum » itinere tantam illi injuriam exponerent, & ille cùm uterque in ejus » sit potestate isti regnum adjudicaret, cui certâ justitiâ debebatur. » Quod si faceret se non tantùm » atrium ad erecti hominis altitudi- » nem, quod Atagualpa spondebat, sed cubiculum (a) ipsum ad tectum usque repleturum, quod duabus tertiis fratris promissionem excedebat. Atagualpæ non aliud esse » satisfaciendi medium quàm ex » spoliis palatiorum & templorum » maximeque Cuzcensis, quod Soli »

(a) tambo.

„ erat factum, quodque totum aureis „ & argenti laminis interiùs tegebatur: à se paternos possideri thesauros sufficientes ampliores etiam, quàm fecisset, promissis ideoque se faciliùs majori, quàm Atagualpam minori litro satisfacturum.

10. Nec aberat à vero Guascaris oratio, immensos enim post se thesauros *Guaynacava* pater reliquerat, quos *Guascar* nascentem fratris fortunam metuens, ut illi subduceret, ignoto omnibus loco recondidit, astu ne majori, incertum, an crudelitate. Omnes enim, quotquot ferendis aut condendis thesauris operam navârant, Indos, ne superesset qui eos proderet, trucidavit. Manentq; etiamnùm, quantumcunque pro eis eruendis sudaverit Europæorum industria & avaritia, occulti, damnatâ ab aliis Ferdinandi de Soto & Petri del Barco nimiâ propositi ad persequendum iter Cuzcense tenacitate. Hoc quidem iter mandatum illis à Legato exercitus Francisco erat, sed ubi sæpiùs quàm in bellis maximisque rebus, quibus facillimè aliquid nón prævisum intercurrit, mutanda cõsilia? Iuvat nonnunquàm ampliùs occasio quàm virtus, & *id est viri & ducis non deesse fortunæ præbenti se & oblata casu flectere ad consilium.* (a)

(a) Livius lib. 28.

11. Sed pellebatur ad exitium divinis ordinationibus Peruanum Imperium, quæ, ne *Guascari* benè monenti ab Hispanis crederetur, prohibuerunt. Ferdinandus itaque de Soto & Petrus del Barco *Guascari* breviter dixerunt sibi fas non esse jussum sibi iter interrumpere, citò Cuzco redituros, ac tùm cum Legato super omnibus acturos.

12. Atque hæc eorum dilatio *Guascari* ruina fuit & causa incognitorum hactenus thesaurorum. Tribunus namque *Guascaris* ductor, eorum, quæ in via acciderant, per velocissimum cursorem reddidit certiorem Atagualpam. Qui non ignarus quantâ cupiditate Europæi auri argentique metallis inhiarent, veritus ne, si tantus promissorum excessus ad aures Francisci Pizarro deferretur, se neglecto fortè etiam, quia regnum occupare tentaverat, morte mulctato, fratri Guascari legitimo hæredi faveret, Imperiumque adjudicaret, festinatâ fratris morte avertere à se suæ dejectionis & mortis periculum decrevit. Mortem tamen fratri inferre non minoris sibi exitii causam fore formidabat: didicerat enim frequentatum Hispanorum sermone Sanctam esse inviolatamque inter Christianos legem, homicidam è medio tollere. Quapropter in re tanti utrimque periculi plena experiri priùs animum Legati sagaci simulatione instituit. Speciem lugentis sumpsit, & evitato præter consuetudinem omnium consortio cibo abstinuit potuque. Insoliti luctus causam Legato aliquoties roganti tandem singultiendo respondit, „ Guascaris fratris à quodam sui exercitus „ Centurione suæ captivitatis calamitate abutente occisi fatum se „ lugere, illum se semper velut fratrem amasse, observasse autem tanquàm patrem suum ac legitimum „ Regem: se cum eo bellum suscepisse non ut ditionibus ejus officeret aut personæ, sed ut justis ab eo „ conditionibus Quitum Provinciam „ à patre *Guaynacava* subjugatam, sibi testamento legatam atque à „ *Guascaris* regno sejunctam obtineret. Franciscus veri luctus similitudine deceptus bono eum esse animo jussit, nasci neminem nisi „ moriturum, parvoque in vitæ duratione privilegio mortales distingui, se, pace terris datâ, non segniter de tam enormi facinore inquisiturum & statuturum debitæ „ castigationis exemplum.

13. Atagualpa in verba moresque Legati ex proposito intentus cùm nihil ex illo severius audiret, exequi statuit occidendi fratris propositum, quod solus Francisci timor remorabatur. Suo ergo *Tribuno*, qui *Guascarem* captivum ducebat, præcepit, ut eum nullâ dilatione occi-

occideret, quod adeò ille diligenter perfecit, ut vix ab obedientia imperium distingueretur. Ajunt Indi Guascarem moriturum pronunciasse: *Exiguo quidem intervallo exordium imperii mei finisq; disjunguntur, at verò impius & crudelis parricida Atagualpa numquàm illud consequetur.* Quod, cùm paulò pòst Atagualpa morti traderetur, vaticinii venerationem apud Indos obtinuit.

14. Missus intereà, dum Legatus Cajamalcæ exercitum detinet, Ferdinandus Pizarro cum equitibus ut in interiora regni penetraret, cùm in *Guamachucū*, ubi postea prædicationis Euangelicæ initium Augustiniani sumpserunt, (a) pervenisset, capti Atagualpæ fratri nomine *Illescas* ferenti Cajamalcam pro libertate fratris præter argenti magnam copiam ampliùs trecenta pesorum millia in auro occurrit. Inde difficillimis itineribus & pontibus superatis, *Pachacamā* (distat hæc *Cajamalcā* versus Austrum leucis circiter centum) intellexit non ampliùs quadraginta leucis abesse Atagualpæ Tribunum, qui captivū eò Guascarem duxerat (*Culicuchima* ei nomen erat) ac in *Xauxā* Provincia cum numeroso exercitu consistere, quem missis nuntiis benignè, ut ad se veniret, invitavit. Recusantem ipse invisit majori felicitate quàm prudentiā; nā etsi temerariū judicaretur nullâ necessitate impositi potentis & exacerbati hostis arbitrio se committere, illi tamen, ut dimissis copiis secum Cajamalcam, Atagualpam visurus, tenderet, persuasit. Quod iter ut compendio conficerent, per asperos & nive, cujus frigore penè exstinguebantur, candidos montes peruperunt.

(a) lib.5.c.8. num.2.

15. *Culicuchima* ad Atagualpam intraturus calceos solvit & ante se more gentis tulit, atque, ut Ducem suum in vinculis conspexit, miseræ ejus fortunæ illacrymatus, paucis ei verbis animum probare voluit, dixitque, si adfuisset, suâ se operâ indignum à Duce opprobriū fuisse aversurum. Atagualpa, laudatâ Culicuchimæ fidelitate: *Non hæc, ait, sine numine Deorum aguntur: à nobis tamen hostium contemptu peccatum fuisse non diffitemur: maximè verò Ruminagui, quem, attributis ei quinque militū millibus, expectare in opportunum auxilium jusseram, culpandus, qui illis non aliter fuit usus, quàm ut fœdissima fuga socios abduceret.*

16. Dùm ante expeditionem Cajamalcensem in Provincia *Poechos* Franciscus cum copiis subsisteret, (b) literæ ei allatæ sunt nullius signatione firmatæ, quas neque ipse ulli monstravit. Constitit posteà Panamâ à Didaci de Almagro Secretario, quem ob hoc Didacus laqueo vitam finire jussit, scriptas. Earum summa erat, parasse Didacum prætoriam navem, invitare & conscribere quantum posset militem, hunc ducere proposuisse ut præcipuas regiones ad mare, dum alibi Franciscus distineretur, præoccuparet, quæcumq; scilicet extra terminos Francisco à Rege concessos, quià linea Æquinoctiali versus Austrum ad ducentas quinquaginta leucas protendebantur, inveniretur. Et quidem Didacum eâ intentione Panamâ solvisse publicus rumor fuit etiamsi numquam certiori testimonio roboratus. Certè eum Portum-veterem (c) appulisset, intellectâ Francisci felicitate & quanta indies auri argentique copia undique Cajamalcam adferretur, cujus non exiguam sibi partem deberi ex societatis fœdere arbitrabatur, illuc proficisci, & venientem secum militem ducere constituit. Nihil unquam Francisci nihil Didaci militibus, nihil ipsis Ducibus mirabilius tàm immensis thesauris visum. In auro puro puto supra tres miliones & medium computatum fuit, quinta Regi debita supra sexcenta septemdecim millia ad sexcentos quadraginta septem florenos ascendit. Argenti verò ea fuit copia ut quinta Regia trigesies mille marcas complecteretur. Nondum tamen quinta promissi tecti portio soluta erat. Singulis equitibus ex solo auro

(b) suprà c.3. num.9.

(c) *Puerto viejo.*

ro ultra duodecies mille pesa tributa, quarta hujus summæ pars pediti. Militi, qui cum Didaco de Almagro venerat, quamquàm nihil ex hoc litro, utpote ante eius adventum à capto Atagualpa promisso, deberetur, tamen centies mille pesa in subsidium factorum sumptuum Franciscus adscripsit. Ferdinandum fratrem, qui Regi felicium successuum sub ejus auspiciis gestorũ nuntium, & quintæ Regiæ uberes primitias ferret, in Hispaniam destinavit. Data ei pretiosiora quæque, ingentia pocula, vasa, tympana, ignitabula, virorum & fœminarum simulachra ex auro & argento, ut non tantùm pretio sed etiam operum insolentia admirationem conciliaret.

17. Abscessum Ferdinãdi Atagualpa, qui eum præ'cæteris charũ habebat intima animi sensa egregiâ securitate illi solitus explicare, gravissimè tulit, supremumque abiturienti in hunc modum est locutus, *Deserorne à Te, amice & unicum captivitatis meæ solatium? Quid mihi tristius accidere potuisset? Vitam tecum meam auferri video, & certam mortem relinqui. Neque enim nisi hâc illatâ cocles ille obesusq; cessabunt.* Illo (a) Didacum de Almagro, hoc (b) Alphonsum Requelme suæ Majestatis Thesaurarium signabat, quorum contra se murmur ob causam, quam mox annotabo, sagax observârat. Neque in hoc vanus vates fuit, statim namque à Ferdinandi profectione cæde Atagualpæ agi cœptum, quã præsertim ex causa incertum, constat tamen quod ex alterutra dicendatum.

(a) Nomine cocles.
(b) Nomine obesus.

18. Habuisse secum Hispanos interpretem Philippum nomine suprà diximus. (c) Deperibat hic ex uxoribus Atagualpæ Coyam præcipuã formosissimamque, cujus amoribus frui salvo Atagualpâ non poterat. „ Quare illum seditionis apud Franciscum accusavit, haberi scilicet varios Indorum conventus, tractari in iis de nece Christianorum, ad eam inferendam omnia parari. Et, quod summæ erat calamitatis, non poterant nisi per Philippum, qui eas pro libitu interpretabatur, fieri informationes. Nec latuit Atagualpam Philippi lascivia, graviterque adflixit, ut non obscuris apud Franciscum querelis est testatus. *Qui nuper*, ait, *florentissimum ducebam exercitum Provinciasq; administrabam, nunc me captivum video peregrina gentis & catenis vinctum, ut extrema vicissitudinis exemplum in me fortuna statuerit; nulla tamen mihi sensibilior calamitas quàm iste à tam vili homine contemptus, ut audeat propudium virorũ sceleftos uxorum mearum complexus non cogitare tantùm sed & prosequi, quem si nullus Numinum timor cohibebat, terreri eum oportuit patriarum severitate legum, quas nõ ignorat incendii pœnam statuere tàm impiè inverecundis amatoribus etiam nondum expletâ libidine, eâdemq; puniendas, si consentiant, uxores: parentes, filios, fratres, insuper consanguineorum præcipuos trucidandos, redigendam in solitudinem eorum patriam & sale seminandam, exscindendas arbores, & æquandas terræ domos.*

(c) cap. 4. num. 4.

19. Sed nec aliũdè minùs fortiter Atagualpæ pernicies premebatur à Didaco de Almagro & ejus militibus non libidine victis uxorũ Atagualpæ sed cupiditate divitiarum, quas, quamdiu ille superesset, consequi se non posse videbant. Allatos suis oculis conspexerant thesauros majores quàm assequi cogitatione potuissent, à quorum partitione excludebantur, quòd litri Atagualpæ, cujus captivitati non adfuerant, esset aliquota (nondum quintam fuisse antè notavimus) portio. Concludebant non obscurè excludendos se ab omnibus quæ acquirerentur imposterum, illaque in litri computum transitura. Nullam autem summam quantumcunique immensam, etiamsi totius mundi aurum fuisset accumulatum, arbitrabantur litri completioni suffecturam. Sublato autem Atagualpâ partitionem fore omnibus communem. Vt exemplo ejus constet omne excellens formæ aut fortunæ bonum maximis periculis possideri.

20. Quamvis enim missi Cuzcum

cum Ferdinandus de Soto & Petrus del Barco, qui Numinum veneratione ubique ab Indis recipiebantur, Francisco, nullum se armatorum conventuum indicium notasse, vidisse verò aurum ferentium Cajamalcam turmas, significassent, nihil tamen satis tutum novæ in alienis terris potentiæ videbatur, instante præsertim hinc contra captivum Philippo, illinc Didaco de Almagro, diversâ cupiditate animosis & inquietis. Quare capitis condemnatur Ataguálpa velut rebellionis reus. Ille innocentiam suam adferre; exprobrare Christianis infractam, quam sanctè dederant, fidem; rogare ut in captivitatis suæ securitatem vigilias augerent, aut in Hispaniam navigio mitterêt, se Regis ignoti equos, nec invitè, si ibi damnaretur, curaturum. Ad Franciscum autem præcipuósque, qui aderant, Hispanorum non sine stomacho his verbis erupit, *Quæ vobis causa, ignoro, injeceris tàm exiguam nostri ingenii æstimationem ut rebellionem meditari putetis. Hac enim aut meo fiet jussu aut injussu. Ego verò jubeam in vestra potestate constitutus, catenis vinctus, cui minimum ejus rumorem morte expiandum fore quis non videat? De subditis autem nostris me invito aliquid molituris nihil timebitis si eorum erga me amorem & venerationem non ignoratis. Invito me neque volucres neque arborum folia movebuntur.* Post hæc etiam obsides obtulit pro singulo, qui moreretur, Hispano, ut omnem rebellionis suspicionem à se amoliretur. Nihil profuit precanti à quo divina Nemesis præcedentium scelerum pœnas exigebat. Punienda erat immanissima quâ in Guascarem fratrê ac Regem suum, quâ in cæteros fratres, quâ in uxores Guascaris suasq; fuerat grassatus, crudelitas. (a) Hæc invictâ Superûm lege simili semper pœnâ mulctatur. *Quicumq; effuderit humanum sanguinem, fundetur sanguis illius: ad imaginem quippè Dei factus est homo.* (b) *Omnes, qui acceperint gladium, gladio peribunt.* (c) *Qui in captivitatem duxerit, in captivitatem vadet: qui in gladio occiderit, oportet eum gladio occidi.* (d)

(a) supra cap. 2. nu. 5.
(b) Gen. 9. 6.
(c) Matt. 26. 52.
(d) Apoc. 13. 10.

21. Ad mortem ergo Ataguálpa justo Dei judicio pellebatur, &, nisi varia cupiditas derorsisset, stetisset etiam humano sua æquitas. Constat siquidem de sceleribus; de legitimo eorum vindice si quæratur, indubitatus Guascar fuit, hic contra reum armis se à pœna eximere conantem in subsidium Hispanos vocavit, qui mortis sententiam contra eum pronuntiârunt, & executi sunt anno M. D. XXXII. V. Nonas Majas (e) strangulatum flammis ustulatum. Scribunt aliqui morti vicinum baptismare fuisse ablutum, felicissimâ terreni regni cum cælesti commutatione.

(e) 3. Maii, ut constat ex originalibus Francisci Pizarro tabulis.

22. Cùm hæc Cajamalcæ agerentur Ferdinandus de Soto & Petrus del Barco Cuzcum ingressi divinis propemodum honoribus colebantur donec nota avaritia & libido vilei reddidit. Obstupuerunt autem ad insuetam sibi auri argentique abundantiam quæ undique oculis occurrebat, magis etiam cum Cruces templo Solis totius Peruviæ magnificentissimo ditissimoque impositas viderunt. Impositionis incerta causa est. Conjicientibus hæ occurrere possent, perseverasse illas à tempore illâc olim transeuntis Apostoli: (f) aut tunc fuisse collocatas cum in Tumbez Petro de Candia Crucem ferenti leo & tygris fuerunt adblanditi: (g) aut adulatione Christianorum, quibus tot vaticiniis imperium adjudicabatur.

(f) lib. 1. cap. 5.
(g) Sup. cap. 1. num. 16.

23. Et certè quis vel mediocriter judicio utens divinis ordinationibus non adscribat tot Indorum myriades non obruisse exterorum tàm exiguum numerum, tulisse Ataguálpæ captivitatem & mortem, Europæorum crudelitatem, furta lasciviamque, quibus vitiis primi penè omnes execrabiles fuerunt? Neque enim Indis aut animus bellandi deerat aut industria. Constat ex antedictis Franciscum & Didacum in prima expeditione & repulsos fuisse

& san-

& sauciatos: inæqualitatem armorum numero Indi compensabant. Vicerunt Peruani Chilenos, quos nondum Hispani subjugare potuerunt. Manifesta sunt ista roboris & magnanimitatis in Peruanis argumenta. Cessiffe Hispanis divinę virtutis fuit imperium exactâ ejus periodo, ad illos transferentis, non magis occupatoris quàm perditoris propitiæ, illi enim cùm fluxas opes abstulerint, veri Dei notitiam & cultum inruleruēt sanctum perennemque: opes autem possessores suos in luxum animis nocivum deduxerunt, defluxerūtque, ut ex omnibus, qui Cajamalcensibus spoliis divites beatiq; videbantur, vix quinque aut sex familiæ cum æstimatione superfint, cæteris aūt calamitosè extinctis aut miseris. Nulla illustrior quàm Nicolai de Ribera Senioris domus perseverat, sed & ille, dùm in Cajamalcensi theatro funestæ istæ tragœdiæ agerentur, Panamâ pro novo milite abiverat, & ne auxiè, quæ ex spoliis abienti fuerāt tributa, à se possiderentur, pro Indis xenodochium *Yca* fundavit, Limense & Cuzcense annuis censibus locupletavit. Perstant item Didaci de Aguero & Ioannis de la Torre non sine nomine nepotes; illi *Limæ*, hi *Arequipæ*.

24. *Ruminagui* quem turpiter defecto Atagualpâ dilapsum demonstravimus, mox ut Quitum pervenit, Provinciam, adscriptis sibi Principum honoribus & redactis in potestatem Atagualpę liberis, occupare cœpit, ac tyrannidem exercere: ita semper proditio crudelitasque imbellium animorum comites fuerunt. Miserat Atagualpa paucis, antequàm extingueretur, diebus, fratrem *Yllescas* qui ab eo sobolem repeteret, quam non tantùm non concessit, sed etiam fratrem detinuit, quo ad exemplum crudelitatis datâ occasione abuteretur, quam arripuit, cùm præcipui Atagualpæ Tribuni & Centuriones occisi corpus, ita ut vivus disposuerat, juxta Patris Guaynacavæ exuvias collocandum Quitum deferrent. Benignissimè exceptos, cùm solemni pompâ gentis consuetudine manibus defuncti parentasset, lauto epulo, ut nihil, quod ad splendorem faceret funebrē, omitteret, adhibuit. Temulentos oppressit, solo *Yllescas* servari jusso, cui deinde pellem vivo abstrahi & ad tympanum aptari mandavit. *Canares* immisso in improvisos milite depopulatus est. Hi ad Benalcaçar, quem Sancti Michaëlis oppido ab Hispanis, ut dictum est, munito Franciscus Pizarro præfecerat, legatos miserūnt, qui amicitiam suam Hispanis offerrent & auxilium contra irrumpentem tyrannum peterent. Multa erāt quæ Præfectum, ut postulatis acquiesceret, promptum redderent; amicitia populi fortitudinis & fidelitatis laude noti; copia militum qui recèns Panamâ appulerant; opprimēdi tyranni, antequàm morâ stabiliretur, occasio; fama quæ de auri multitudine quæ Quiti inveniretur, percrebuerat. Legatis auxilium addixit & se contra *Ruminagui* profecturum. Assumptis itaque secum octuaginta equitibus & peditibus centum viginti Quitum perrexit. Nuntio profectionis ad *Ruminagui* prævolante, ipse non segnis cum duodecim Indorum millibus, ut iter venīēti præcluderet, occurrit, & ubi locorum securitate tegi videbatur, injectis obstaculis impedire tentavit, quæ omnia generosè Præfectus perrupit, & missis equitibus circiter sexaginta, qui noctu montis clivū transcenderent & summo mane se Indis ostenderent, retrocedere coëgit. Hostis veritus ne in planitie, quæ se retro montem latè aperiebat, equorum velocitate & impetu attereretur, celeriter eam transmisit, effossis passim, sicubi tempus daretur, scrobibus ac vimine terrâque contectis fallere insequentes ac retardare conatus. Cognito dolo non insequi hostem sed circuitu aliquot leucarum eum prævertere atque à fronte invadere statuit Præfectus, fraudemque fraude deludens magnâ festinatio-

ſtinatione Quitum, ne illuc Hiſpanus prævolaret, recipere fecit, ubi inſigni nefariâq; rurſum crudelitate deſævijt. Vxores, quibus eùm ipſe diceret brevi earum deſiderium ac voluptatem advétu Chriſtianorum explendã, ſubridentes, quod jocum arbitrarentur, trucidavit. Tùm incensâ aulâ, quâ multi Guaynacavæ theſauri ſervabantur noctu è civitate profugit tentatâ priùs eum Hiſpanis nullo horum damno fortunâ. Ita Benalçaçar civitate, nemine eam defendente, potitur.

25. Sub idem tempus illuc Didacus de Almagro pervenit. Hunc diſtributis in Cajamalca ſpoliis Franciſcus Pizarro ad Sancti Michaëlis portum miſerat, adjũcto neceſſario ad iter milite, quæſiturũ de veritate famæ, quâ nuntiabatur Petrus de Alvarado Guatimalæ (ſita eſt hæc Provincia ad eam Iſthmi mare Septentrionale à Meridionali in America ſeparantis partem, quâ rurſus ad Occidentem in ampliora ſpatia dilatatur) Præfectus cum magnis equitũ peditumq; copiis in Peruviam ſolviſſe. Didacus cum in S. Michaële nulla certa nuntia inveniſſet, Quitũm deflexit, an potiùs ſtudio juvandi Hiſpanos cùm Ruminagui certãtes, an auri cupiditate, incertũ.

26. Franciſcus intereà reliquum exercitũ duxit Cuzcum, ubi *Quizquiz* Tribunus Atagualpæ, cùm in *Vilcabambã Mancocapac* Inga Guaſcaris & Atagualpæ frater ſe recepiſſet, fretus milite invadere deſertum, ut putabat, impetiũ parabat. Sed, cùm expectate in *Xauxa* adventum Franciſci non auderet, profugit. Eum inſequi juſſus Ferdinandus de Soto, cùm in *Vilcacingam* promoviſſet, à tanta fuit Indorum multitudine de repentè invaſus, ut parùm abfuerit ab interitu. Verùm nocte ſupervenìente Indi montium juga & abdita petentes finem præliandi fecerunt. Sex ex Hiſpanis deſiderati ſunt. Intereà ſuppetiæ laborantibus à Legato miſſæ advenerant. Manè cùm Indi auxiliorum ignari reparare prælium tentant, cedunt paulatim Hiſpani lapidum è ſublimi jactus evitate & Indos in planitiem, ubi æquior eſſet utrimque pugnantium conditio, extrahere ſatagentes. Non latuit Indos Hiſpanorum cõſilium, cumque illi magis pro ſecuritate quàm pro gloria pugnarent, maluerunt montibus ſine periculo inhærere, quã æqualiter in planitie gloriâ majori pugnantes periclitari. Eos tamen etiam in montibus Hiſpanorum fervor invaſit delevitque. Paulò pòſt cum omnibus copiis adfuit Legatus, atque audito altero Guaſcaris & Atagualpæ fratre, quem poſteà ob collatũ illi ab Hiſpanis diadema Paulum Ingam dixerunt, iter Cuzcum eſt proſecutus. Cùm indè non longè abeſſet denſum fumum conſpiciens ſuſpicabatur Indos ignem civitati totius Peruviæ nobiliſſimæ injeciſſe, ideoque celeriter equites aliquot, ut orienti incendio occurreretur, præmiſit. Hos Indi magno numero adorſi ſunt, &, ſi ſalvi eſſe vellent, ad leucæ unius ſpatium retrocedere, donec integro exercitui jungerentur, coëgerunt. Legatus vitæ gloriæq; ſuorũ periculo motus Ioannem & Gõſalvum fratres cum præcipuo equitatu properare in auxilium juſſit, factumque eorũ ſedulitate & fortitudine ut redactos ad fugam Indos magnâ ſtrage cecideriot. Sequentem noctem Hiſpani in armis, ſi quis repentinus Indorum motus oriretur, tranſegerunt. Proximâ autem luce præter opinionem in Civitatem Cuzcenſem nemine repugnante ingreſſi ſunt.

27. Exactis ibi diebus viginti Legato nũtiatur Tribunum *Quizquiz* copias ſuas in Provinciam *Cõdeſuyos* duxiſſe & totam populari, contra quẽ rurſum Ferdinandum de Soto attributis ei equitibus quinquaginta feſtinare juſſit. Hujus adventum *Quizquiz* ſuſtinere nõ auſus, quoſdã Hiſpanos ſub Alphonſo Requelme ad ſarcinarũ cuſtodiã relictos ex improviſo obruere cogitabat. Cujus conſilii illi conſcii munitiorem locũ præoccuparunt: in quo jã non timere hoſtem, ſed incutere timorẽ poſſe videbantur. Certè *Quizquiz* nullo fortitudinis capto experimento eos,

quos opprimere statuerat, prudens declinavit, & Quitum contēdit, insequente eū ad leucas ampliùs centum Ferdinando Soto. Sed cùm assequi fugientem non posset Cuzcum revertit adsnitque spoliorum, quæ in dicta civitate invenerant, quæque Cajamalcensibus æquari poterant, partitioni.

28. *Quizquiz* verò dùm alios fugit in alios fortuitò incidit Hispanos animis non impares, numero fortiores Ducibus Didaco de Almagro & Petro de Alvarado, quos pænè avaritia & ambitio priùs inter se commiserat. Rei principium eventusque planè sic se habent. Ferdinandus Cortes subjugato & pacato Mexicano imperio, quod Novam Hispaniam Hispani dici voluerunt, Petrum de Alvarado Centurionem misit, qui *Guatimalam* Provinciam Novæ Hispaniæ finitimam, quam in (a) num. 25. exitu Isthmi sitam esse diximus, (a) detegeret subjiceretque. Quod cùm difficillimis laboribus præstitisset ejus Præfecturam à Rege Carolo obtinuit. At verò famâ divitis Peruviæ percrebescente incensus râm opulentæ regionis cupiditate, atq; ad novos labores paratus Garciam Holgun Cazeres oriundum cum duabus navibus explorare terram jussit. Appulit ille dum adhuc Hispani ad insolentiam prædæ Cajamalcensis obstupescerent, & ad Petrum de Alvarado, rei tam optatæ nuntius futurus, regredi festinavit. Petrus audito Garciâ nihil tardandum ratus, quòd Cuzcum, dùm Cajamalcæ vicinisque locis Franciscus Pizarro distineretur, crederet à se posse occupari, nullâ Francisci injuriâ, extra cujus terminos, qui ab Æquatore in Austrum ducentis quinquaginta leucis protendebantur, ista illi civitas sita esse videbatur. Veritus autem ne Francisci exercitus novis suppetiis *Nicaraguâ* mittendis augeretur, potētiorq; fieret quàm ut aliquid illo nolente tentari à se posset, noctu tres naves ut vela in Peruviâ ad Francisci auxilium facerent paratas invasit, & suis, quas Guatimalæ instruxerat, adjunxit. Iis milites quâ equites quâ pedites vexit quingētos, & Portumveterem appulit. Inde Quitum ductum ferè Æquatoris secutus, contendit. Dictu difficile quantùm fame, siti, & frigore in isto itinere fuerit laboratum. Fames equos, præcipuum in bellis Indicis adjutorium, absumere coëgit: sitim arundineto, cujus singulæ arundines aquam circiter poculi mensurâ continebant, aliquando extinxerūt. Frigus, quod quis in zona torrida atque sub ipso pænè Æquinoctiali incredibile putet, acerbius erat quàm ut cursim nulloque ordine progrediendo homines calefieri possent; & in unius montis trāscensu amplius sexaginta extinxit. Inter illos Hispanus aliquis insigne dedit conjugalis amoris exemplum: cùm enim animadverteret uxorem duasque filiolas suas properantem cum cæteris assequi non posse, & fatigatas consedisse, juxtà illas substitit effectus frigoris rigore quartum cū illis funus. Tandem tamen superato jugo Petrus de Alvarado cum reliquis in amœnissimas Quiti valles evasit.

29. Ad hoc usque tempus Didacum de Almagro, qui non invenrâ Quiti, quam conceperat, auri copiâ (b) Cuzcum revertebatur, tarda- (b) num. 25. verant & difficiles, per quos transeundum erat, montes, & varia Indorum, à quibus impetebatur, prœlia. In *Liribamba* certè acerrimum sustinuit non viris tantùm sed & fœminis magno animo certantibus. In illo Caziquam cœpit, qui Petri de Alvarado copias non ampliùs quindecim leucis abesse nuntiavit, & subjicere quæcumq; posset, nunc autem rupem, in quam cum suis Indis confugerat *Zopazopagui*, obsidere. Ad hoc nuntium Didacus celeriter septem equites exploratum misit, qui capti à Petri militibus paulò pòst libertati sunt restituti, Petrus tamen propiùs Didaco militem duxit. Didacus autem inter tam propinqua Hispanorum non minùs quàm Indorum pericula variis consiliis

filiis agitabatur. Cum Petri copiis confligeret? numero manifestè superabatur. Philippus etiā interpres ac Caziquarum aliquis præcipuus ad Petrum defecerant, tantum sibi incommodi quantum aliis utilitatis allatori. Cuzcum, relicto in securitatem & tutelam regionis Sebastiano Benalcaçar, cœpto itinere pergeret? occurrebat impendens pristinæ gloriæ dedecus & pænè indubitata hactenus aequisitorum amissio. Hæc posteriora cùm suis momentis superare viderentur, statuit prælio fortunā tentare. Disponūtur utrimq; acies, Petrus numero, Didacus necessitatè animosus. Cū verò mutuò in conspectum venissent, agente Licētiato Caldera, diei unius induciæ impetratæ sunt, deinde etiam pax cōclusa hâc cōditione, Petrus Didaco naves copiasq; cederet: Didacus Petro centies mille pesa numeraret.

30. Ita junctis animis viribusque (concessâ tamen facultate, qui vellent, cum Sebastiano Benalcaçar permanendi) cùm *Pachacamac*, ubi tunc Franciscus Pizarro erat, contenderent, proficiscentibus à Caziquâ Cañaritarum (a) nuntiatur Tribunum *Quizquiz* cum Indorum bis senis millibus & omni, quam ex *Xauxa*, abegerat, præda non longè abesse, se illum, si subsistere tantisper vellent, in eorum manus traditurum. Cui nuntio cùm fides à Didaco non adhiberetur iter magnâ festinatione sunt prosecuti donec in *Chapatam* pervenirent, ubi occurrerunt duobus Indorum millibus, qui Duce *Sotaurco* duorum tempet triumve dierum itinere sequenti cū reliquo exercitu Tribuno *Quizquiz* præcurrebant. Captus ab Hispanis *Sotaurcus*, quo ordine *Quizquiz* procederet, detexit. Præcurrere, ut videbant, duo millia; sequi eâdem distantiâ tria aut quatuor; similem numerum ad comportandum commeatum ire ad latus lævū, medium autem *Quizquiz* cum captivis & pecoribus, ut suo exercitu quindecim circiter milliaria occuparet. Quâ re cognitâ Didacus properare militem jussit, eumque non intermisso itinere duxit, & sequenti die ad *Quizquiz* pervenit, priusquàm hic aliquo indicio aut nūtio vicinos Hispanos cognovisset, cùm illi nullū obvium redire permitterent. Conspectis Hispanis *Quizquiz* cum mulieribus & impedimentis recessit, *Guaypalcon* Ataguualpæ fratre, qui cum Indis hostē sustineret, constituto. Numerus, loci opportunitas, integritas corporū pro Indis erant; solus in fatigatis corporibus Hispanorū animus eminebat. Pauci multos, fatigati integros, ex declivi sublimes aggrediuntur. Nullâ re magis quàm lapidum ingentium jactu Indi sub initiū nocuerunt: cùm hi defecissent Hispaniq; montem cinxissent, *Guaypalcon* in præruptam rupem cum suis penetravit defenditq;, donec nocte superveniente Didacus & Petrus suos post tot cōtinuatos labores ad quietem revocarent. *Guaypalcon* noctis beneficio suos abduxit conatus *Quizquiz* se jungere. Didacus autē cùm defunctus Indorum periculo rectâ iter progederetur, bis septem Hispanos capite plexos intelligit, inciditque in postremam hostilium copiarum partem. Vtrimq; acris fit pugna, ex Hispanis Alphōsus de Alvarado & Commendator Sancti Ioannis graviter vulnerantur: Indi autem impedimentis incensis relictisque ampliùs decies-quinies mille ovibus & quater mille utriusq; sexus Indis, quos *Quizquiz* captivos duxerat, Ducem suum insequuntur. Hic cū *Quito* appropinquaret gravem per Sebastianum *Benalcaçar*, jacturam passus, ac consilia suorum pacem suadentiū cum vindictæ cōminatione aspernatus, pectus per *Guaypalon* transfoditur, &, ne uno vulnere tyrannus interiret, ab aliis Centurionibus clavis contusus securibus in varias partes laceratur. Didacus autem & Petrus cum suis ad Sancti Michaëlis oppidum promoverunt. Indè ad Portum-veterem missus Didacus de Mora, possessionem classis nómine Didaci de Almagro tradente Garciâ de Holguū, quem ei Petrus de Alvarado præfecerat, accepit.

(a) *los Cañares.*

H 2 Post

Post hęc Pachacamam profecti magnis lætitiæ indiciis à Francisco Pizarro recipiuntur. Non deerant qui Francisco suaderent pactis Didaci de Almagro cum Petro de Alvarado non stare, pactam pecuniam valore classis dimidio esse majorem, conventioni timorem, quòd Didacum Petrus numero militum longè excederet, causam dedisse, præstare Petrum captivum ad Hispaniarum Regem mittere. Solvit tamen perhumaniter Franciscus centies mille pesa, concessâ Petro de Alvarado facultate liberè ut in Guatimalam rediret. Franciscus Limæ seu Regiis, (a) cui tunc civitati initium dedetar, hæsit, & Trujilli fundationem recognovit promovitque.

(a) De los Reyes. Civitas Limensis incepta fundari à Francisco Pizarro anno 1535. 18. Ianuarii.

31. Didacus autem cum manu militũ non contemnenda Cuzcum profectus non alio quàm prævolantis famæ indicio edoctus terras illas à Rege sibi ob singularia obsequia esse attributas, dictam civitatem occupare contendit, non unam ob causam imprudens; quòd nullo certiori documento, quòd Capitulo civibusq; aversantibus, quòd Ioanne & Gonsalvo Pizarris eam defendentibus rem odiosam difficilemque moliretur. Nuntio accepto Franciscus illuc cursu advolavit, & præsentiâ non tantùm exortos tumultus compescuit, sed Didacum etiam levitatis convictum confudit. Nihil tunc asperius in Didacum statutum. Imò novo rursus fœdere societatis coëunt Franciscus Didacusque. Fœderis hæc summa fuit. Didacus assumpto secum milite Australiores terras exploraret: si bonas inveniret, earum sibi à Rege Præfecturam deposceret: sin minùs, terras terminosque Francisco concessos partirentur. Hæc jurejurando stabilita. Ferunt Didacum animæ corporisque sibi perniciem imprecatum si centum & triginta miliaribus propiùs Cuzcum accederet. Franciscus Limam seu Regium reversus Alphõsum de Alvarade misit, qui *Chachapoyas* subigeret, quod nõ nisi maximis est difficultatibus consecutus.

CAPVT VI.

Didacus de Almagro in Chili proficiscitur.



IDACVS verò fœderis legibus ac gloriæ divitiarũque cupiditate iter in Chilen ingreditur anno M. D. XXXV. pridie Idus Septembres (a) educens secũ equites mixtim peditesque circiter ducentos, & Cuzcenses aliquot qui famâ opulentiæ illarum regionum illecti venditis domibus agrisque fortunam Didaci sequebantur. Crevit autem diversis accessionibus militum numerus, ut tandem quingentos septuaginta complecteretur. Ioannem de Sayavedra Hispalensem cum centũ præcurrere jussit, cui in *Charcas* Chilenses occurrerunt novo Ingæ venerationem & juramentum præstituri. Philippum interpretem, quem amore Coyæ turpiter arsisse, atque ob id Ataguaipæ mortem festinasse suprà demonstravimus (b) quòd rursùm transfugeret, captum capitis condemnavit, qui moriturus scelus proditionis contra Ataguaipam commissæ & causam sceleris palàm confessus est. Caziquam, qui primâ vice cum Philippo profugerat, (c) vivum, antequam Quito discederet, exusserat, eâdem tunc pœnâ Philippum mulctaturus, nisi pro eo Petrus de Alvarado exorasset. Stabat tamen insuperabilis divina sententia vindictam sui injustè sanguinis exposcens, quæ nonnumquàm tardè, semper autem opprimit sceleftos. 1.

(a) 12. Septembr.

(b) cap. præced. num. 18.

(c) cap. præced. nu. 19.

2. Sensit Didacus variis velitationibus, quod omnes ejus sequaces, cum feroci hominum genere

sibi

ſibi rẽ eſſe, ſunt enim & vaſto ſolidoq; Chilenſes corpore, & ad bella non animo magis quàm uſu parati, pro armis habentes arcum & ſagittas, qui nullum facilè jugum admittunt. Nulla tamen majora quàm à fame, ſiti, frigore expertus eſt incõmoda. Frigus aſperius eſt quàm ut ullis veſtibus arceri poſſit, quo congelati homines equique manſerunt multo tempore incorrupti. Quinto poſt ingreſſum in Chilen menſe rediens eâdem viâ Didacus invenit eos ſtantes, ac veluti ſi jam expiraſſent, integros. Miles ſtantes equos concidit & in cibum adhibuit. Frigus tantum à nivibus, quibos montes continuo jugo producti perpetuò contreguntur, cauſatur. Has ſi tranſiiſſent, ſitis proficiſcentes adorebat, Vaſtæ enim terræ ſine fontibus & fluviis patent. Siti, moleſtiis ſuis docti, tandem aliquale remedium didicerunt, ſi ovibus, quas in Peruvia oneribus ſuccedere diximus, pellem alterius ovis nive ſeu ſtrictâ adhuc ſeu ſolutâ plenas imponerent. Vix tot & tam magnis incommodis in Chilen penetraverat, cùm varia ei nuntia adferuntur; prima quidem per Centurionem Roy Dias, rebellaſſe totâ Peruviâ Indos maximamque Christianorum partem crudeliter mactaſſe; altera per Ioannem de Herrada, qui centum ſecum milites adduxit, literas Caroli Cæſaris ferentem, quibus regionis Præfectura, quanta à finibus Franciſci Pizarro ad ducentas in Auſtrum leucas excurreret, Didaco conferebatur. Vtraque autem Didaco animum injecerunt properè in Peruviam redeundi, ut latiùs capite ſequenti exequemur.

3. *Chili* Provincia extra Tropicum Capricorni ſita à vigeſimo ſexto ferè gradu latitudinis incipit protenditurq; ad quadrageſimum ſextum ut trecentas à Septemtrione in Auſtrum leucas pateat, ab Occidente verò ſeu mari pacifico in Orientem non niſi viginti & alicubi pauciores. Dierum noctiumq; viciſſitudinem & inæqualitatem ferè ut Hiſpania habet, ſed anni contrario tempore, ut Chilenſium hiems ſit Hiſpanorum æſtas, & illorum æſtas horum hiems. Nulli Indiarum parti aut incolarum frequentiâ aut aëris ac cæli clementiâ cedit. Partim maritima eſt partim montana i. fluvii cùm interdiu fluant, noctu ſicci ſunt, quod portenti loco eſt cauſam ignorantibus; ſole enim tum lucente nives montiũm ſolvuntur & per alveos decurrunt, quæ nocturno rurſus frigore concreſcunt. Proveniunt non difficulter fructus ex Hiſpania allati: abundat non taurùm metalli venis, ſed & omnis generis commeatu, pecore, ſtruthionibus Incolæ pellibus ferarum amiciuntur & luporum marinorum. Polum articum non vident, antarticum ex nubeculæ albæ circumlatione obſervant, cujus circumlationis centrum polum conſtituit.

4. Tres in Chile valles memorantur: Peruviæ proxima eſt *Copayapo* quod illorum linguâ agrum laſpidum deſignat, huic etenim valli vicinus mons eſt è quo lapides illi copioſè eruuntur. Poſt hanc triginta quinque leucarum intervallo ſequitur alta *Guaſco* dicta: eſt hæc in latitudine graduum viginti novem. Tertia eaque laudatiſſima eſt vallis *Chile*, cui triginta & unus latitudinis gradus attribuuntur, quæ toti Provinciæ nomen dedit. Scatebat olim auri fodinis ex quibus Valdivia tàm immenſum theſaurum extraxit & abſtulit.

CAPVT VII.

Indorum per totam Peruviam rebellio & belli civilis inter Hiſpanos initia.



MANCO *Guaynacava* filius *Guaſcaris* & *Atagualpa* frater illis extinctis ad Regni hæreditariâ ſibi ſucceſſione competentis titulum magis quàm gubernacula acceſſit, Hiſpanis ubiq́ue illud occupantibus vaſtantibuſq́ue, ut non niſi precariò illud accepiſſe & tenere videretur. Hæc una averſionis ab Hiſpanis cauſa erat, quam exacerbabat indigna injuſtaq́ue fratris *Atagualpæ*, *Chalcochima* & *Tito Tupangui* regii ſanguinis Principum mors, quorum primum *Cajamalcæ*, ſecundum in *Xauxa*, Limæ tertium Franciſcus Pizarro aut non, aut non æquè anditos flammis exuri juſſerat. Spoliata ſuo decore templa ædeſq́ue lugebant, Indi ubique miſerum in modum mactabantur. Quare excutere à regni humeris jugum tam crudelis ſervitutis & Hiſpanos omnes obruere ac ſimul trucidare, cum fratre *Villaoma* deliberavit. Conjuratione detectâ Manconem Hiſpani caſtro Cuzcenſi includunt ſervantq́ue donec redeunte ex Hiſpania Ferdinando Pizarro à fratre illius Ioanne liberaretur.

2. Res ita ſe habuit. Miſſus à Franciſco fuerat Ferdinandus frater comite P. Vincentio de Valverde, qui in Hiſpaniam ad Regem ferrent nuntia victoriarum ſupra opinionem fortunatarum, maximeq́ue Cajamalcenſis, in incredibilium rerum teſtimonium adhiberent barbaram, ſed ditiſſimam ſupellectilem, ſtupendam ſpoliorum portionem Regi competentem. *(a)* Rex lætarum rerum nuntios ita remuneravit, illi *(b)* habitum S. Iacobi dedit, huic *(c)* totius Peruviæ Epiſcopatum & ampliſſimam defendendi contra occupatorum injurias Indos poteſtatem, & celeriter, ne longâ morâ inſolentiùs peccaretur, ſed citò fides Catholica prædicaretur, in Peruviam redire juſſit. Franciſco Præfecturæ terminos auxit: Didaco de Almagro novam conceſſit: hæc *(d)* inciperet ubi illa *(e)* finiebatur, procurreretq́ue ad ducentas in Auſtrum leucas. Suam Præfecturam Didacus Novum Toletum appellavit, ſicut ſuam Franciſcus dixerat Novam Caſtiliam. Rex item Franciſcum Marchionem de los Atabillos renunciavit, quo deinceps titulo, quem hactenus proprio ſæpè, nonnunquam Legati nomine appellavimus, à nobis dicetur. P. Vincentius Regii favoris literas ſignatas Valliſoleti pridie Idus Iulias *(f)* anni M. D. XXXVI. Capitulo Limenſi exhibuit IV. Nonas Aprilis *(g)* anni M. D. XXXVIII. placueruntq́ue, nunquam tamen conſecratum fuiſſe P. M. Antonius de la Calancha certò affirmat. *(h)* Obiit anno M.D.XLII. Delato ad Manconem rediiſſe ex Hiſpania Ferdinandum Pizarro, fratrem ejus Ioannem in Provincia *Collao* expugnandâ Indorum munitione occupatum pro libertate, ne in caſtro à Ferdinando captivus inveniretur, rogari juſſit, & obtinuit.

3. Cùm Cuzcum veniſſet Ferdinandus, qui præcipuâ Atagualpæ amicitiâ fuerat junctus, *(i)* eandem benignè Manconi exhibuit, frequens in ejus conſortio, & ut humaniter, licèt ſecurè, haberetur ſtudioſus. Hæc tamen Ferdinandi in Ingam obſequia avaritiæ, quòd copioſum ab illo aurum ſperaret, nonnulli adſcripſerunt. Certè, cum exactis ab adventu Ferdinandi duobus menſibus Inga ab illo veniam peteret eundi in terram *Incapa* patriæ ſolemnitatis ergô, ſtatuam illi patris *Guaynacava* ex ſolido ſe auro laturum addixit. Largus

(a) cap. 5. num. 16.

(b) Ferdinando.

(c) P. Vincentio.

(d) Didaci Præfectura.

(e) Præfectura Franciſci.

(f) 14. Iulii.

(g) 2. Aprilis.

(h) lib. 2. cap. 17. num. 6.

(i) ſuprà, cap. 5. num. 17.

gus promissor, qui nihil minùs quàm promissi solutionem cogitabat. In *Incapam* enim cùm pervenisset à metu nunc Hispanorum liber, rebellionem, quam conceperat & exequi abeunte in Chilen Didaco de Almagro statuerat, palàm est exorsus cæsis operariis & ministris Hispanorum aliquot, misso item cum valida Indorum manu Centurione, qui suâ celeritate famam prævenit occupato castro Cuzcensi antequàm illud Hispani defendendum scivissent. Centurionem loga cum ingenti exercitu secutus civitatem arctâ obsidione cinxit: & quamquàm post sextum diem Centurionem è castro fortiter pugnando Hispani ejecissent, tenuit tamen ampliùs octo menses obsidio, singulisque plenilunnis superstitione gentis undique magno Indorum furore civitas impetebatur. Ioannes Pizarro, dùm castrum assiliret, lapide in capite, quod illud casside aliis adhuc vulneribus saucius tegere non posset, ictus interiit, magno omnium luctu & regiarum partium detrimento, utpote suis charissimus, hostibus, cum quibus bellum gerendi artem multis præliis erat edoctus, formidabilis. Ferdinandus tamen cum reliquis fratribus, cæterisque Centurionibus, inter quos nominatos inveni Gabriëlem de Rojas, Ferdinandum Poncium de Leon, Alphonsum Enriquez, Alphonsum Requelme, nonquam positis armis strenuè imperum depulerunt, ex ipsa etiam desperatione animosiores, &, cum crederent Marchionem omnesque, quotquot alibi in Peruvia erant, Hispanos furore hoc Indorum generali fuisse extinctos, non aliunde quàm à cælo & sua fortitudine auxilium salutemque sperantes. Gonsalvus Pizarrus, qui cum viginti equitibus extra civitatem ad quinque leucas majori animo quàm prudentiâ procurrerat, vix Indorum manus, licèt fortiter pugnaret, evasit. Nec evasisset nisi novis per Ferdinandum Pizarro & Alphonsum de Toro auxiliis extricatus.

4. Sed quid ducenti Hispani contra tantam barbarorum multitudinem sine Cælitum, quos invocabant, tutela potuissent? Visus non semel Sanctus Iacobus Hispanorum Tutelaris Indos terrere & fugare. (*a*) Adfuit communis omnium afflictorum consolatrix Maria. Coëgerat enim in domum quandam impetus Indorum Hispanos: illa immisso mox igne latè explicabat incendium & crudelius exitium, quàm foris barbari, minabatur. Nec flammas poterant Hispani nec hostem, utrique impares, superare. Votis ad Cælitum Reginam recurrunt. Nec distulit auxilium invocata: stetit in tectis formosissimâ specie, & visa est nivibus flammas extinguere, & grandine lapidibusque Indos ferire. Et cum neque domus neque ullus Hispanus ullum incendii incommodum sentirent, multorum tamen vulneribus insolita Prœliatrix Indos in fugam converrit. Fugientes inter se arrogniti sciscitabantur. *Quæ est mulier illa quæ sola omnes nos vincit?* (*b*)

(*a*) Auditor Soloreano de jure Indiarum lib. 2 cap. 4. num. 44. & 57.

(*b*) *Tomas Bocius, Torquemada, Gomara, Botero, Cieca P. Iosephus de Acosta, P. Antonius de la Calancha.*

5. Manco non tam incommodis Fractus, quàm quod, cum quibus bellum gereret, ignoraret, in *Vilcabamba* Andes (montes sunt continuo jugo producti) suos deduxit munivitque, ut omnem Hispanis aditum præcluserit, ipsi autem suis excursionibus multis eorum cædibus fœdè fuerint grassati. Cædes aliquot paulò infrà memorabimus. Quare diu multùmque ab Hispanis laboratum ut initâ cum *Mancone* concordiâ amicum haberent, quæ suis locis (*c*) exequemur.

(*c*) lib. 7. cap. 7. & lib. 13. ca. 3.

6. Allata fuisse in Chilen Didaco de Almagro rebellionis nuntia, traditasque Cæsaris Caroli, quibus Præfectura ducentarum illi leucarum conferebatur, supra diximus, (*d*) ideoque deliberasse in Peruviam redire. De reditu agitantem præcipui ejus Centuriones Gomesius de Alvarado Petri de Alvarado Guatimalę Præfecti frater, ejus patruus

(*d*) cap. præc num 3.

parruus Didacus de Alvarado, & Rodericius Orgoños magis suis consiliis impulerunt, in suum quisque commodū intentus. Quidam enim totam sibi Chilen spe deputabant, alii Cuzci vicinarumque vallium delicias asperrimæ expeditioni præferebant. Et eùm unum omnes diversa ex causa suaderent, tantâ tamen diligentiâ præstitum fuit ut interpretes Indos subornârint, qui vulgarent cæsos ab Indis in Peruvia Christianos omnes, ne qua Didacum deliberatio dubium anxiumque de itinere detineret. Didacus, cùm superatis famis, siris, frigoris difficultatibus, (a) exercitum reduxisset nec amplius sex leucis Cuzco abesset, nullo dato sui adventus Ferdinando Pizarro, qui civitati præerat, indicio ad Ingam deflexit, sibi ut faveret suasurus. Suadendi hæ rationes erant, Cuz-„cum sub datæ sibi ditionis terminis „contineri, eam Pizarros occupare „cædibus Ataguaipæ regiique san-„guinis Principum execrandos, plùs „illi post generalem rebellionem, si „soli Pizarri rerum potiantur, timen-„dum, desperandam apud illos acto-„rum veniam, se eam benignè, si ad „ejiciendos Cuzco Pizarros auxi-„lium ferret, daturum. Manco Inga novâ opprimendi peregrinum hostem occasione lætus quòd non tantùm narrante Didaco de Almagro didicisset Hispanorum inter se diffidia, sed videret etiam eundem exiguâ militum manu rectum ad se venisse (nam trecentos Hispanos sub Ioanne de Sayavedra in loco *los Hurcos* subsistere, donec ipse cum Inga peregisset, jusserat) simulatâ priùs amicitiâ derepente inopinantes aggressus non exiguum Hispanis damnum intulit; Verùm & hi fortiter pro gloria & salute inter barbaros pugnantes ad reliquas, quæ cum Ioanne manserant, copias se receperunt.

(a) cap. præc. n. 1.

7. Intereà verò dùm ad Ingam Didacus discesserat, egressus Cuzco cum ducentis ad Ioannem Ferdinandus Pizarro cùm numero impar prælii discrimini exponere suos non auderet, nec ignoraret, ex quacumque parte staret victoria, debiles sauciasque Hispanorum reliquias furori barbarorum in omnem cædis occasionem intento in prædam cessuras, ad singularem conventum Ioannem invitavit. Nec abnuit Ioannes. Quid præcipuè inter illos sit actum, cùm soli semorisque testibus tractaverint, incertum est. Rumor tamen fuit à Ferdinando oblatam Ioanni ingentem auri summam ut militem, quem secum habebat, deserto Didaco ad se adduceret: sed Ioannem, utpote integrum fidelemque, perfidiam fuisse detestatum.

8. Didacus superato Mancone dolo ad suos in *Hurcos* reversus junctas copias Cuzcum promovit, cœpitque in itinere quatuor, quos Ferdinandus miserat, equites exploratores. Intellexit ex his plenius rebellionem Indorum generalem, longam Cuzci per illos obsidionem, Hispanorum labores & pericula, cæsos à barbaris suorum ampliùs sexcentos, non modicam civitatis partem ab hostibus incensam, nesciri si Marchio, si ullus alibi superesset Hispanus. Magnâ hæc tristitiâ audivisse videbatur, revera autem de rebus suis fidentior misit qui Magistratum Cuzcensem de favore sibi à Rege facto edocerent, Cuzcum suæ Præfecturæ terminis contineri, peterentque in eam admitti. Responsum à Magistratu, incertos esse utriusque Præfecturæ terminos, Didaci non incipere nisi ubi Marchionis finirent, hos mensuratione ab Æquinoctiali statuendos, si Marchionis limites factâ mensuratione Cuzcum non complecterentur, se Didaco non obluctaturum. Rem pro limitum certitudine prorsus necessariam varia utrimque de mensurationis modo opinio semper præpedivit. Nonnulli arbitrabantur sinuum maritimorum excursus & regiarum viarum ambages in computum deducendas, quò factum fuisset, ut illi vòlebant

bant, ut Marchionis limites non tantùm priusquàm Cuzcum sed etiam Limam perveniretur fuissent completi, Marchio autem extenso per aërem fune aut computatis gradibus & singulo gradui certis milliaribus attributis sine excursibus & ambagibus mensurationem fieri debere contendebat.

9. Ad historiam ut redeamus Ferdinandus Pizarro, ut mutuas Hispanorum cædes, & periculum opprobriumque barbarorum declinaret, unam civitatis partem Didaco, in qua militem reficeret, offerri jussit, dicique se interea Marchioni, qui Limæ seu Regii (a) agebat, de omnibus scripturum, nec dubitare se Marchionem pacis & arcti inter eos fœderis studiosum Didaco tributurum non tantùm quæ justitia præciperet sed quæ ratio humanitasque permitteret. Ajunt impetratis per hæc cum Didaco induciis Ferdinandum præcepisse suus ut miles arma poneret, fatigata continuis laboribus corpora quiete repararet. Didacus rerum, quæ in civitate agebantur, non ignarus judicabat satius esse compendio occupare, quod multis alioquin difficultatibus circumseptum, longis posset ambagibus ejus desiderium remorari. Quare neglectâ induciarum sanctitate obscuræ noctis beneficio civitatem vi aggressus superavit. Ferdinandus & Gonsalvus Pizarri dum ad primum tumultum subitò se atque obviâ armaturâ ad defensionem civitatis parant, primi omnium in suis ædibus obsidentur. Eorum enim seu cæde seu captivitate totam victoriam Didacus metiebatur. Et quamquàm illi strenuè se defenderent, injectus tamen variis ædium partibus ignis cùm mox latè incendium explicasset, ad deditionem coëgit. Varia de captis Pizarris consilia agitabantur, plerique perimendos censebant, quod Didacus aversabatur, Didacus de Alvarado etiam fidejubebat. Præsentātur rursùm Magistratui regiæ Præfecturæ literæ, & inter arma oppressâ contradicendi libertate recipiuntur.

(a) ciudad de lo. Reyes.

10. Ista quidem Cuzci gerebantur Marchione omnium ignaro, nisi quòd tandem ex Indo interprete rebellionem Indorum intellexerit. Ad quæ nuntia mox mittere auxilium fratribus satagit, non contra Didacum, cujus defectionem nondum cognoverat, sed contra Indos. Misit autem nonnunquàm decem, nonnunquàm quindecim milites, plures que prout opportunum sibi erat, quos, quotiescumque iverunt, Indi occupatis itinerum angustiis interfecerunt. Profecturus Trujillum & Michaêli-polim, (b) ut illarum munitiones lustraret, Marchio cùm nulla à fratribus, qui Cuzci erant, nuntia reciperet, ad eos Didacum Pizarro cum equitibus septuaginta ire jussit, qui, cùm ad locum *la cuesta de Parcos* dictum (abest Cuzco leucis quinquaginta) pervenissent, simili clade ab Indis deleti sunt. Eodem infortunio Marchionis sororius Gonsalvus de Tapia & Centuriones Morgovejo & Gaete cum copiis, quas ducebant, perierunt. Ducebat ille equites octoginta, hi quotquot habere potuerant. Si omnium numerum ineas, non pauciores trecentis in itinere Indi diversis vicibus oppresserunt nullo suorum periculo. Nam vallis erat undique montibus cincta, in quam cùm Hispani aliarum adhuc viarum ignari descendissent, lapidibus, quos è sublimi Indi grandinabant, indefensi miserè obruebantur. Et quod ad cumulum faciebat calamitatis, nulli adhuc ex paucissimis, qui euaserant, ad Marchionem redierant sociorum strages nuntiaturi. Francisco igitur de Godoy Caceres oriundo, attributis ei equitibus quadraginta quinque, ut celeriter Cuzcū tendat, itinera investiget, factorum quanto ocius certiorem reddat, mandat. Huic occurrunt duo ex Centurionis Gaete militibus cæterorū cladi

(b) San Miguel.

superstites. Quos cùm audivisset festinato ad Marchionem reditu periculum prævertere, & nuntia licet tristia scitu tamen necessaria deferre optimum in tanta rerum confusione judicavit. Nullâ tamen celeritate inhærentes omnibus viis Indos evadere potuit: ab his à fronte à tergo impetebatur nihil ipse à sua à suorum virtute desiderari passus, atque his velitationibus ad triginta leucas progressus astu tenebrosâ nocte barbaros elusit, ac illo tempore ad Marchionem pervenit, quo illuc Didacus de Aguero cum suorum nonnullis redibat. Didaci tergo magna Indorum multitudo imminebat, contra quos egredi Petrum de Lerma cum equitibus amplius sexaginta Marchio jussit. Ferox pugna integrum propè diem absumpsit. Nox irruebat nondum tamen prælium lassus Hispanus definebat: at verò Indi, cùm securiùs ex præcipitiis quàm in aperto planoque cum Hispanis campo se pugnare didicissent, ad jugum montis se recipiunt, Hispano tam ferociter sequente ut opinati fuerint plurimi illâ nocte bellum illud Peruanum, nisi Marchio signum receptui dedisset, fuisse finiendum, adeò debilis Indus ab Hispano conclusus angebatur. Nullus in eo conflictu Hispanus, unus fuit equus desideratus: saucii nonnulli: Petro de Lerma excussi omnes dentes. Indi hoc Hispanorum periculo defuncti solemni sacrificio Diis peracto in collem civitati Limensi vicinum, à qua solo interlabente fluvio separatur. Duce *Tyzoyopangui* nequidquam obluctantibus Hispanis, promoverunt.

11. Marchio conspectâ hostium tam in propinquo multitudine arbitrabatur Cuzci fratres suos, in Chile Didacum de Almagro eorum furore oppressos: censebat enim fieri non posse ut illis integris & salvis audacia hostibus nasci potuerit obsidendi civitatem novis munimentis vallatam, quam ipse cum maxima Hispanici exercitus parte defendebat. Ne tamen timoris opinione hostem animaret, aut suis relinqueret declinandi certaminis occasionem, Panamam, quotquot in portu Limensi *Callao* erant naves, reduci imperat, ut suos, dùm nullam sibi nisi in propria fortitudine spem salutis superesse viderent, ex desperatione redderet animosiores. Suppetiâs etiam à Novæ-Hispaniæ Protege aliisque vicinarum Provinciarum Præfectis petiit humiliore supplicatione, quàm infractum ejus hactenus in omnibus difficultatibus & periculis animum deceret. Trujilli Gubernatorem; missus in Terram-firmam uxoribus, liberis ac supellectile ad se cum viris, armis, equis, quòd non vanè crederet se ab Indis Limæ seu Regii obsidendum, venire mandat: veniret autem, ne hostis profectionis conscius itinera obsideret, secretò nòctuque. Sub ipso discessu Trujillum cum copiis ad subjugandas *Chachapoyas* à Marchione acceptis advenit Alphonsus de Alvarado, etiam Limæ, ubi de summa imperii armis discernendum videbatur, adesse jussus. Relicto itaque Trujilli opportuno pro temporis necessitate præsidio; unctis copiis Limam pervenerunt. Ubi mox Alphonsus in locum Petri de Lerma à Marchione suffectus magnæ proditionis posteà erupturæ initium fuit. Marchio adventu numeroque recentis militis lætus, ut hærentes pertinaciter juxta Limam Indos novis alibi præliis & ditionum vastatione avocaret, simulque fratribus, quos fortè Cuzci premi adhuc ab Indis dubitare poterat, auxilium ferret, trecentos Alphonso Hispanos, plures ad obsequia Indos attribuit, qui Pachacamâ cùm pervenisset atroci conflictu plurimos Indorum prostravit. Auctus deinde in *Xauxa* ducentis, quos Gomesius de Tordoya Villâ-novâ Barcarotæ oriundus ducebat, militibus, Cuzcum difficilibus itineribus, in quibus quingentos unâ vice Indos ad obsequia datos

tos fici suffocatos amisit, contendit. Ad pontem *Lamichaca* à magno cursùm Indorum numero ferociter impetirus fortiter imperum notabili aggressorum clade sustinuit, contiouisque velitationibus pognando militem salvom ad pontem *Abancay* perduxit. Marchio etiam non otiosè intereà hostes Limæ spectavit. Sæpè ibi pugnatum fuit: semel integri diei certamine cæso eorum Duce ita fregit, ut undique malis attriti, desertâ Limâ, postquàm sex menses non exiguâ Hispanorum fatigatioue obsidio tenuisset, iterùm ad Andes suos discesserint, incursionibus deinceps nocituri. Quarũ successum, Manconis cum Rege Hispaniarum concordiam & mortem, (a) ac supremam taodem imperii Perüani cladem (b) alibi, dùm hîc ad bella Hispanorum civilia decurrit historia, aptiùs exequemur.

(a) lib. 7. cap. 7.
(b) lib. 11. cap. 1 & 7.

HISTORIÆ PERVANÆ

LIBER III.

De Hispanorum bellis civilibus.

CAPVT I.

Seditiones cædesque inter Pizarros & Almagros.



1. HEATRVM hoc libro conscendimus quo haud scio an ullibi unquam fuerit aut luctu tristius, aut sanguine funestius. Peregrini domesticis, panci myriadibus barbarorum expositi mutuis se vulneribus cruentant & perimont. Socii alternis se cædibus concîdunt. Regii fugiunt rebelles, Prorex trucidatur. Fortissimi aliàs viri manu pereunt infami tortorum.

2. Omnis hæc crudelitas exordium sumpsit ab illis, qui societatis fœdere colligati primi suis sumptibus, laboribus & constantiâ Peruviam detexerunt, Fraocisco Pizarro & Didaco de Almagro; & quos nulla separaverat calamitas, ambitio collîsit. Iacta discordiarom semioa, cum redux ex Hispaoia Franciscus amplissimâ docenrarũ quinquagiota leucarum Præfecturâ per Regem auctus, nullum pro Didaco regium beneficiom attulit, quæ aliorum consiliis velut injectâ terrâ sepulta, (a) variis postea occasionibus (b) tanquam iosperŝionibus pullularunt, & erupernnt, (c) occupato Cuzco & captis Ferdinando ac Goosalvo Pizarris (d)

3. Alphonsum de Alvarado diximus quoque per Iodorum catervas ad pontem usque *Abancay* perru-

(a) lib. præ. cap. 2.
(b) lib præ. cap. 5. num. 19. & 31. cap. 6. num. 2. cap. 7. num. 6.
(c) ibidem nu 5 & 9.
(d) lib. præc. cap 7 num. 9

(a) ibidem num. 11.

petrupisse. (a) Ibi primùm Didaci de Almagro violentiam intellexit; Cuzcum vi ab illo fuisse expugnatum, teneri captivos Marchionis fratres. Ita qui pugnaturus contra Indos venerat, non majorem quàm propriam gentem hostem invenit. Subsistere tamen, nihilque, nisi consulto priùs Marchione missis ad eum mutati discriminis nuntiis, tentare decrevit. Didacus de Almagro, qui venisse illuc Alphonsum audierat, Didacum de Alvarado per quem Regiæ illi literæ, quibus Cuzci Præfecturam sibi datam asseverabat, insinuarentur, destinavit. Legatos Alphonsus detinuit, respondítque nullam sibi de talibus literis judicandi arbitrandive potestatem datam. Cum missi ab Almagro Legati non redirent, veritus ipse, ne Alphonsus alio itinere Cuzcum præoccuparet, ad civitatem, à qua ad tertium usque lapidem abscesserat, properavit. Die ab hinc decimoquinto, conscius Petrum de Lerma ob prælatum sibi Alphonsum (b) proditionem moliri, militem eduxit. Cumque non longè ab Alphonsi castris abesset, Petrum Alvarez Holguin exploratum ab Alphonso missum cepit. Eodem tempore Alphonsus, cui Petrus de Lerma suspectus esse cœperat, de ejus captivitate agitabat, quam ipse celeri fugâ prævenit, deferens secū ad Almagrum nominum, quæ ipsi conspiratores signaverant, cathalogum, afferensque à Gomesio de Tordoya & quodam Tribuni Vilalva filio pontem in adventum ejus servari: celeriter occasione nullibi, quàm in castris, mutabiliore utendum. Nec segniter transfugę indicium consiliumq; secutus Almagrus noctu ad pontē promovit, militemq; traduxit non consentientibus modò Petri de Lerma complicibus, sed ultrò etiam hortantibus, qui lanceas præterea quinquaginta, ne remansuris cum Alphonso arma essent quibus se defenderent, secretò ablatas in fluminis aquas, quibus abripetentur, conjecerant. Ita Alphonsus milite & armis nudatus incruentè ac indefensus in Almagri potestatem venit. Hic spoliatis castris Cuzcum revertit nascenti etiamnùm fortunæ, & quæ vix se animo ejus insinuaverat, impar, adeò in insolentiam mox declinavit. Captivis immitis jactare ausus est brevi in Peruvia nullum fore *Picarro*, (Hispanâ allusione offendiculum denotabat) sed Marchionem fratrésque redigendos ut numerare sub Æquinoctiali arbores ac plantare cogantur.

(b) ibidem.

4. Marchio ab Indo, quem deserta Limâ ad Andes retrocessisse demonstravimus (c liber, ac abundans milite, quem Alphonsus de Fuenmayor Præses Concilii in Sancti Dominici (d) civitate & Didacus frater miserat, quem Gaspar de Espinoia Panamâ, quem Nicaraguâ Didacus de Ayala adduxerat, etiam Cuzco depellere Indos, atque eorum timorem fratribus eximere cogitabat. Nullis siquidem adhuc nuntiis rediisse ex Chile Almagrum, Cuzcum expugnasse, teneri fratres captivos, aut superatum Alphonsum de Alvarado, didicerat, quæ nō priùs intellexit quàm cùm in *Nascam* (territorium est viginti quinque leucis Regio seu Limâ versus Austrum recedens) cum copiis pervenisset. Insperatis nuntiis (ut par erat) turbatus, perpendens etiam militem suum non alia quàm contra Indos arma sumpsisse, elseque prorsus diversam cum Hispanis, qui armis Europæis assueverant, quàm cum Indis pugnandi rationem, reverti Limam atque militem suum contra populares suos armare decrevit. Ad quod opportunè admodùm Limæ invenit Centurionem Petrum de Vergera, qui ex Belgio ingentem advexerat sclopetorum copiam. Tunc primùm in Peruvia sclopetariorum cohortes Centurionibus Petro de Vergera & Nuño de Castro à Marchione distributæ. Lanceariis præfectus Didacus Vrbina de Ordogna. Didacus de Rojas, Peranzures & Alphon-

(c) lib. 2. cap. ult. mo sub finem.

(d) San Domingo.

Alphonsus de Mercadillo equitatui sub Alphonso de Alvarado Equitum Magistro, qui cum Gonsalvo Pizatro ex captivitate Cuzcensi elapsus recens ad Marchionem magno non illius tantùm, sed totius exercitus gaudio venerat. Ipsum autem Gonsalvum fratrem constituit exercitus Legatum. Tentaverat autem Marchio *Nascâ Limam* teditutus mitiorem fœderis cum Didaco de Almagro viam, misso ad eum Espinosa Licentiato, monetique seriò jusserat certò imminentis utriq́ue, nisi brevi diffidia finirentur, ruinæ, ab ipso Rege, à quo magnos erant honores & emolumenta consecuri, spetabantq́ue majora, adferendæ, utriusq́ue non magis detrimento quàm dedecore, quòd qui notis laboribus sumptibusq́ue vastum illud imperium detexerant, eo, accepto ob mutuam discordiam successore, privarentur antequàm planè possedissent. Quòd si Espinosa fœdus aversari Didacum adverteret, inducias tantisper, donec Regis judicium constaret, impetraret, & fratrum libertatem.

5. Nodum admittebat sana consilia inflatus aliquot mulcentis fortunæ successibus animus, & stultâ humanæ cupiditatis, atque ambitionis consuetudine stabilem sibi fore pollicebatur donec totum imperium devorasset. Sed esse non solet certius impendentis perniciei indicium, quàm insolens blandientis fortunæ usus. Rediit re infectâ Espinosa, Didacus autem constituto Cuzci Præfecto Gabriele de Rojas, commendatâq́ue captivorum Gonsalvi Pizarro & Alphonsi de Alvarado curâ, militem in *Chincham*, quæ non ampliùs viginti leucis Limâ distat, perduxit, quo seeum ire securâ custodiâ Ferdinandum Pizarro jusserat. ibi dùm aliquanto tempore subsistit, Gonsalvus Pizarro & Alphonsus de Alvarado non tantùm libertatem, astu an virtute incertum, consequuntur, sed Præfectum prætereà Gabrielem de Rojas captivum, mutatâ in vicem sorte, abducunt. Quorum adventus non minus lætitiæ Marchioni attulit, quàm Didaco de Almagro mœroris nuntium fugæ, aliquale insolentiæ temperamentum. Cui alterum non minùs asperum accessit; auctum scilicet magnis copiis Marchionis exercitum, armorum commeatusq́ue abundantiam nondùm in Peruvia visam, ingentes adversariorum animos, ut ille, qui paulò ante Marchionis preces contempserat, eidem fieri supplex nòn dubitaverit. Missi ad sollicitandum pro concordia Marchionis animum Alphonsus Enriquez, Didacus Nuñez de Mercado, & Ioannes de Gusman. Marchio uti in adversis fortior, ita & in prosperis, quàm Didacus, moderatior in judicium R. P. Francisci de Bavadilla Provincialis Præfecti Mercenariorum compromisit: idem mox præstitit Didacus.

6. Bavadilla in hunc modum pronuntiavit. Ante omnia Ferdinandus Pizarro libertati restitueretur: Cuzcum ad Marchionem rediret: exercitus uttimq́ue dimitterentur: singulæ, prout tunc constabant, legiones novis barbarorum Provinciis detegendis occuparentur: Rex omnium certior redderetur, ejusq́ue super omnibus difficultatibus sententia expectaretur: Marchio & Didacus *Malæ* æqualiter ab utrisq́ue temoræ convenirent: neutri ultra duodecim equites adducendi fas esset.

7. Sanctam Religiosi sententiam, quâ debere extingui molesta nocensq́ue utriq́ue simultas credi potuisset, nimia utrimq; diffidentia dissipavit. Nam Gonsalvus Pizarro non satis de fidelitate Didaci de Almagro securus præcedentem cum duodecim equitibus Marchionem fratrem cum omnibus est copiis subsecutus, atque non procul *Malæ* secretè consistens Centurionem Castro cum sclopetariis quadraginta latère post arundinerum, juxtà quod Didaco transeundum erat, jussit, atque advigilare ne major Di-

dacum turma comparetur. Didacus etiam cum præscripto equitum numero Chinchâ discessurus Rodericio Orgoños exercitus sui Legato mandavit militem paratum habere in eventum, si quid à Pizarris cõtra se infideliter tentaretur, eademque ille Ferdinando Pizarro, quæ in se Pizarri auderent, inferret. Atque itadùm nimis anxiè securitati utrimque studetur, ex eventu data sunt nova pristinæ simultatis incentiva. Quippè cùm vix mutuò salutassent essentque amplexati insigni amicitiæ testimonio, aliquis ex Marchionis militibus secreto in aures susurro Didacum, ut discederet, monuit, ita expedire arbitratus ob adventantem cum exercitu Gonsalvum Pizarro. Motus adversarii iodicio militis Didacus mox equum poposcit mirantibus cunctis, nonnullis verò Marchioni, ut eum, antequàm discederet, captivum teneret, suadentibus. Sed erat Marchioni promissi fides, pristinâ sinceritate, commodis omnibus potior, neque inducere in animum potuit eum qui conventui dederat causam, non tantùm non peracto, sed ne incepto quidem tractatu abiturum, cùm nullam tam inopinati abitus causam assequi mente posset, sinceritate ejus omnem suspicionem excludente, quam tamen apud Didacum, qui rediens latentes in insidiis post arundinetum milites observârat, nonquàm probare potuit. factum tamen Didaci de Alvarado patrocinio ut Ferdinandus Pizarro, cujus mortem, ne inhospitalitatis aliquando vindictam exposceret, Rodericius de Orgoños urgebat, liber dimitteretur, deducente eum ad Marchionem fratrem Didaci de Almagro cognomine filio. Omnis illi in festinato discessu, quo mox securam Didaci pœnitudinem prævenit, salus fuit.

8. Dùm hæc agerentur ad Marchionem Regiæ per Petrum Anzures literæ deferuntur. Mandabatur his quilibet ut in terris à se detectis victis ac cultis permaneret donec cognitâ utriusque causâ aliter Rex ipse ordinasset. Marchio jam de fratre suo Ferdinando, quem Didacus remiserat, securus Regis mandatum Didaco intimari curat, & è terris primâ sibi occupatione debitis excedere jubet. Ad quod, gratum sibi id fore si in hoc, in quo nunc statu res erant, ulterius Regis mandatum operirentur, nihil enim nisi à se victum possideri, cum Didacus respondisset, perstitit in proposito Marchio, primæ, ut ajebat, derectionis & occupationis jure, minitans, nisi sponte excederet, se armis expulsurum quem rationibus movere non posset. Cùm nec minis Didacum deterruisset, subitò contra eum copias eduxit. Didacus non ignarus præcipuam de Cuzco futuram dimicationem, eò perrexit, & occupato altissimi montis, cui *Guaytara* nomen est, jugo præcludere sequentibus se Pizarris iter satagebat. Quò cùm etiam Ferdinandus Pizarro cum nonnullis suorum secretæ semitæ beneficio ascendisset, Didacus & vicinum hostem & ipsam etiam valetudinem sentiens adversam, deserto contra suorum consilium monte, in quo arbitrabantur Pizarros, qui insueti frigora ferre non potuissent, potuisse deleri, inter primos Cuzcum discedens Rodericium de Orgoños, ne quæ à tergo inordinato discessu clades acciperetur, cavere jussit. Marchio suis ab excessu frigoris perniciem timens in planiciem deflexit, & convocato præcipuorum conventu diu multumque, quid deinceps agendum esset, deliberavit. Iudicatum, Ferdinandus & Gonsalvus Pizarri cum exercitu Cuzcum proficiscerentur obtentu injuriarum civibus Cuzcensibus plurimis, qui ad se confugerant, illatarum, Marchio Limam reverteretur. Intereà Didacus Cuzcum duorum mensium spatio munierat, fabricaverat arma fundi

fundi jusserat tormenta majora, convexerat commeatum, disjectis omnibus in itinere, quo venerat, pontibus, infructuosâ tamen diligentiâ, cum aliâ via Pizarri accederent. Vix pervenisse ad civitatem nûntiatum fuit, Rodericius, conjectis priùs in carceres omnibus Pizarrorum amicis fautoribusque (quorum cùm multitudinem carceres non caperent, sola locorû angustia aliquos suffocavit) sequenti die militem eduxit paratus prælio rei summam tentare, ideoque viâ regiâ, quâ venturos Pizarros putabat, aciem instituit. At verò Gonsalvus Pizarrus mitiori consilio parcere Hispanorum sanguini volens, persoluto coram exercitu Missæ sacrificio, in colle, qui Castro Cuzcensi jungebatur, aciem direxit, ut incusso suâ multitudine, quæ Rodericio æquè ac civitati conspicua erat, terrore, hostem non ad conflictum, sed ad concordiam provocare videretur, nihil tamen pertinaci ad pugnam hosti negaturus. Palus intermedia utrasq; copias separabat, hanc transire Pizarrorum equitatus tentat, &, ne per eam prohiberetur, aliquot tormentorum ictibus hostilis equitatus turmâ in fugam conjectâ, Ferdinandus Pizarro, qui priùs Mercadillo Centurionem cum sua equitum cohorte certo loco in omnem occasionem, seu Indi essent depellendi, seu fulcienda infirmior acies, paratû esse jusserat, superavit, quod Petrus de Valdivia militiæ Præfectus aliquod esse victoriæ prælndium lætus pronuntiavit. Intereà quos pro se quisque adduxerat, Indi pugnæ initium fecerunt. Ferdinandus suos breviter hortatus, cum elevatas inimicorum lanceas conspiceret, duobus tormentorum globis amplius quinquaginta ex eis rupit, notabili adversariorum damno in tantâ pugnæ vicinitate. Quare deprimere eas Rodericius jussit & pugnæ signum dedit, atque cùm tardiorem suo ardore militem animadverteret, ipse in sinistrum cornu, ante quod Ferdinandum Pizarro insigni decore obequitantem viderat magno animo involavit, propinquæ cladis prænuntius. Nam impetum facturus exclamasse fertur, *O æternum divinumq; Verbum! me sequantur qui volent, in mortem procurro.* ipsâ certè desperatione terribilior factus, Ferdinandus & Gonsalvus Pizarri, ubi tantam irruentis Rodericii vim senserunt, animosiores ex periculo facti per medios hostes, cæsis ex iis ampliùs quinquaginta, perruperunt. Atrox utrimque pugna fuit, sed & multitudine Pizarrorum, & læso mortaliter per cassidis timas Rodericio tandem Almagrani, quos ob expeditionem Chilensem Chilenses passim vocabant, cesserunt. Rodericius deficiente viribus corpore pristinæ gloriæ memor duos ex hostibus lanceâ confecit, Ferdinandi Pizarro famulo, ipsum Ferdinandum ex splendore vestium ratus, os trajecit. Post ipsam victoriam crudeliùs, quàm æquum hostem deceret, nequidquam Ferdinando & Centurionibus prohibere conantibus, sævitum est, milite scilicet se memoriâ dedecoris & proditionis ad pontem *Abancay* (a) ad vindictam acuente. Languidum ex capitis vulnere Rodericium cùm duo equites è terra elevassent, tertius decollavit. (a) suprà hoc capite num. 5.

9. Didacus de Almagro, qui infirmitate præpeditus ex quodam colle spectator fuerat miserabilis cladis, videns suorum fugam à summo fastu ad cogitationes humanas revocatus, *Deus immortalis*, ait, *quis nos error abripuit, ut dimicandum censeremus?* & deinde gradu, quàm potuit, citissimo castrum Cuzcense præoccupavit, non utiliori sollicitudine quàm ut faciliùs, nullâ latebrarum spe, caperetur, divino fortè, *quis enim consiliarius ejus fuit* (b) judicio eum ad illum premête locum, ut ibi captivus fieret ubi multos ipse paulò antè carceri mancipaverat. Certè Gonsalvus Pizarro & Alphonsus de Alvarado fugientem insecuti nullo defendente in potestatem redegerunt. (b) ad Rom. cap. 11. 15.

10. Indi

10. Indi quoque qui pro Pizarris aut Didaco de Almagro hactenus inter se pugnaverant finito Hispanorum certamine factis induciis ad spolia cęsorum & vulneratorum, qui præ virium imbecillitate nec alios sequi nec se defendere poterant, decurrerunt. Hîc rursùm cognoscas licet Dei Peruanum imperium transferre volentis decretum, quàm enim nullo negotio Hispanos aut fractos à suis, aut suorum cædibus & vulneribus fatigatos Indi planè delêssent. Pugnæ nomen *Salinas* à loco, in quo gesta erat, mansit, contigit autem anno post Christum natum supra sesqui-millesimum trigesimo octavo VI. Kalendas Maias. (a)

(a) 26. Aprilis.

11. Ferdinandus partâ tam insigni victoriâ nondum tamen omnibus curis defunctus fuit. Nam neque Chilensibus (ita Almagri factionem deinceps appellare visum) animus dico nec jactantia decreverat, sed variis locis in conventus coibant omnibus semper Ducibus timēdos. Sciebat Ferdinādus certis probatisque relationibus agi in iis de occupandâ Cuzcensi civitate, & Almagro ex manibus Pizarrorum eripiendo. Sui quoque, quorum operâ victoriam erat consecutus, successu elati palàm in murmura erumpebant, qui nullo satis præmio, ne ipsis quidem Supremis Præfecturis remunerari aut placari posse videbantur. Hos, antequàm seditio vires sumeret, titulo honoris aut beneficiis, securissimo contra seditiones remedio, dissipavit, ac legionibus seorsim Provincias, quarum nomina nosse cœperant, ut eas conquirerent, attribuit. Chilenses autem, qui superfuerant cladi, benevolentiâ ac beneficiis sibi conciliare nitebatur. Sed illi ferociùs erant agitati quàm ut facilè mitigari blanditiis aut supprimi terroribus possent. Hoc tamen posterius, cùm de priore desperaret, tentandum sibi putavit. Ratus autem non posse utiliùs terrorem injici quàm ab Almagri, cujus captivitas causa erat coïtionum, supplicio, quasi leniùs mortem ejus quàm carcerem essent laturi, capitis eum condemnavit. Funestæ sententiæ hæ causæ allegabâtur, quod omnium intestinorum, quos retulimus, in Peruvia tumultuum, & ex cōsequenti tot cædium origo fuisset; quod exercitum armatum in *Chincham*, (b) quæ omni procul dubio ad Marchionis Præfecturam pertinebat, duxisset.

(b) Sup. n. 5.

12. Sententiā Didacus tanto acerbiùs tulit, quòd ab illo lata, quem non ita pridem captivum suum, & quem præcipui occidendum censerbant premebantque, contra suorum consilia libertati restituerat: quòd à Pizarris, quorum nomen, decus & splendor non aliâ magis causâ quàm suis expensis ac laboribus exorta, in eam amplitudinem, in qua nunc videbantur, excreverant. Hæc reputare Ferdinandum, insuper & senium quo solo in præcipitem mortem ruebat, gravi oratione jussit. Dicenti ad hæc Ferdinando, timidiora hæc esse quàm magnum ejus animum deceret, ac ferendam constantiùs quando ita Superis visum esset, mortem, hoc egregii Ducis, hoc veri Christiani officium esse, Didacus respondit, timere mortem naturæ esse humanæ, quæ neque in Christo hunc timorem exclusit; sibi autem morte ipsâ ingratitudinem Pizarrorū esse graviorem. Hæc elocutum decollari Ferdinandus jussit.

13. Post hæc in *Collao* Provinciam venis auri divitem sed sterilem maizii, ac moderatè habitatam profectus seditiosorum præcipuos supplicio capitali compescuit, Provinciamque planè domuit. Accepto autem nuntio Marchionem fratrem Cuzcum venisse, relicto cum exercitu in *Collao* Gonsalvo fratre, illuc properavit. Gonsalvus cum in *Charcas* promovisset pænè ab irruentibus Indis deletus est: sed accurrente celeriter Cuzcō cum equitibus Ferdinando superatis Indis Provinciam subjugavit redacto in potestatem *Tizo* Indorum Duce. Et missis in varias

in varias partes ad novarum regionum detectionem Centurionibus ac Tribunis (aliquorum nomina ſunt Vergara, Porcel, Mercadillo, Ioannes Perez de Guevara, & Petrus de Valdivia cui *Chili* obtigit). Ferdinandus in Hiſpaniam tot tantarumque rerum nuntius futurus cogitavit, diſſuadentibus iter amicis, quod ignorarent, quo animo Rex Didaci de Almagro, cujus in acquirenda Peruvia expenſæ, labores, conſtantia non latebant, ſupplicium eſſet laturus. Diſceſſurus ſupremùm Marchioni fratri conſuluit, Chilenſibus ne fideret ſed turbaret omnes eorum conventus, quòd hi procul dubio in Pizarrorum maximèq; Marchionis perniciem inſtituerentur; neque hoc vanis ſe indiciis cognoſcere.

14. Petrum de Valdivia, cùm in Chilen perveniſſet, ſine armis indigenæ receperunt ut amicitiæ ſimulatione nanciſcerentur tempus colligendi meſſem. Eâ recondità ferocem & indomitũ animum prodiderunt, continuoque eum bello, donec poſt octo annos in Peruviam reverſus pro Vaſcone pugnavit, moleſtàrunt. Memorabile fuit virtutis exemplum, quòd, cùm abeſſet Petrus Baldivia, Franciſcus de Villagran & Alphonſus Monry cum ſolis equitibus triginta egreſſi de caſtris auſi ſint cum Indorum ſeptem millibus concurrere, certamine à manè uſque ad veſperam producto, eâ fortitudine ut ipſe ſe Indi victos reputarent. Tantum eſt quo animo, quibus armis, & quo cum hoſte quis pugnet.

15. Percrebuerat id temporis in Peruvia fama regionis in qua cinnamomum naſci ferebant, quam propterea Hiſpani eo nomine appellarunt, (a) indigenis *Zumaque* dicitur. Sita eſt ſub ipſo Æquinoctiali non minùs quam Moluccæ cinnamomi feraciſſimæ, Quito in Orientem recedit. Illuc Marchio Gonſalvum fratrem miſit cum Hiſpanis equitibus centum totidemque peditibus; & ut ſumptus, qui magni faciendi erant, æquiùs ferret, animaretque titulo honoris, Quiti Præfectum ſub Regis beneplacito conſtituit. Iter ingreſſus in *Quixos* (termini hi fuerunt victoriarum Guaynacavæ Ingæ) diebus aliquot hæſit ipsâ calamitate memorandis; tantis enim turbinibus, procellis, tonitruis, fulminibus, terræmotu regio agitabatur ut ruptis cæli cardinibus & cataractis omnia confundi viderentur. Hiſcens variis in locis terra ampliùs quingentas domos abſorbuit. Paulò poſt in Canelam conterminam penetràrunt. Patet hæc latè & ad quinquaginta leucarum circuitum cinnamomum profert. Eſt autem ibi cinnamomum non frutex ſed arbor admodum procera, cujus folia foliis lauri, fructus glandibus non ſunt abſimiles: glandibus tamen fructus ſunt majores. Et quamquàm hujus arboris radix, cortex, folia, fructus odore ſint ſaporeque cinnamomum, præſtantiſſimum tamen habetur ipſius fructus putamen. Relictâ ibi præcipuâ ſuorum parte, ipſe ſaniores robuſtioreſque ulteriùs ad quadringentas ampliùs leucas peſſimis itineribus & incultis ſterilibuſque terris duxit, ut plurimi fame incommodiſque fuerint extincti: pauci reduces vix à ſuis cognoſcebantur, ita in omnibus penè alii erant. Exeſa, aduſta, & lacera vepribus, per quos eundum fuerat, corpora, addo & nuda, niſi quantùm injectis incompoſitè pellibus tegebantur, nam veſtes ſudoribus continuiſque pluviis computruerant: eadem ex cauſa corruptis vaginis ſqualidi rubigine pendebant enſes. Tantis incommodis avaritiæ ſerviendum fuit, pudore Chriſtianorum adeò ad ſervitia Dei delicatorum.

(a) Canela.

16. Duorum porrò fratrum, Ferdinandi in Hiſpania, Gonſalvi in Provincia *Canela*, abſentià velut opportunâ ad vindictam occaſione utendum Chilenſes cenſuerunt. Erat

Limæ Didacus de Almagro superioris filius ex Inda genitus, quem illuc Ferdinandus Pizarro, dùm patrem Cuzci captivum tenebat, miserat. Juvenem naturâ capacem optimis artibus instruxerat Ioannes de Herrada, cujus etiamtùm consilio maximè regebatur. Ad ejus ædes undique velut ad asylum confluebant quotquot factionis paternæ hactenus vagabantur omnibus invisi. Communiter vivebatur, communiter ludebatur, ferebatur in commune omne lucrum, ejus dispositionis curâ Ioanni de Herrada commissâ, nunc plenâ libertate per Marchionem, qui cùm hunc tùm alios benignitate mitigare satagebat, donatum. Sed feroces priùs animi, infami Ducis sui Didaci nece graviùs exacerbati nullis beneficiis leniebantur, verùm Marchionis benevolentiâ in audaciam sceleris abutentes non obscurè arma præparabant. Ad indicia seditionis, cùm ad eum à variis referrentur, Marchio respondit, *Non esse metuendos victos infortunatosq́; profugos*, negligentiâ in seditionibus, quæ non aliâ magis re, quàm vetustate, roborantur, prorsus damnabili. Eâ certè Chilenses in tantam impudentiam prolapsi sunt ut exutâ reverentiâ transeunti Marchioni ne caput quidem detexerint. Nec acerbiùs ad alias injurias commovebatur, prorsus ut magnanimitn se magis in his ostenderit quàm prudentem. Vulgatâ namque incuriæ in Marchione & inter Chilenses conventuum famâ undique, quos timor in fugam conjecerat, spes ultionis & temeritas revocavit. Advenisse à ducentis leucis nonnulli dicuntur. Iam non de inferendâ Marchioni nece, quàm omnes spirabant, sed de modo, quo inferretur, deliberabant. Quidam enim non nisi jure & servatâ regiæ Majestatis veneratione agendum censebant; alii cautiùs quàm sanctiùs, expectandum donec quid statueretur de Ferdinando Pizarro, contra quem Didacus de Alvarado missus, ut vinculis mandaretur, effecerat, ex Hispania cognoscerentq; quid Vasco de Castro Iurisperitus à Rege in Peruviam destinatus ut de origine causisque tumultuum ac mutationum inquireret, esset judicaturus. In quem finem omissâ multitudine honoratiores Limæ convenerunt, ex quibus Legati seligerentur, qui Vasconi obviam euntes fortunato ejus in Peruviam adventui gratularentur, quererenturq; de injuriis acceptis. Convenerunt autem Ioannes de Saavedra, Alphonsus de Montemajor, Ioannes de Gusman, Emanuel de Espinar, Didacus Nuñez de Mercado, Christophorus Pōtius de Leon, Ioannes de Herrada, Petrus Lopez de Ayala, aliique nonnulli. Ab his Alphonsus de Montemajor aliique tres deputati ad Vasconem proficiscuntur nascente Aprili anni M. D. XLI. Quia tamen aliquorum ad vindicandum impetus major erat, quàm ut longas juris moras paterentur, nollentque ab incerta sententia suum certum solarium dependere, Marchionem, dùm adhuc cum Vascone Legati essent, trucidarunt, magnâ Legatorum indignatione, qui proinde Vasconi pro Rege contra Didacum de Almagro juniorem pugnanti adhæserunt.

17. Multa ante necem, multa in ipsa nece contigerunt memoratu digna. Antè culpatur nimia Marchionis securitas aures animumque sanis consiliis obstruens. Tantùm non publica erat in ejus excidium conjuratio, monebatur à plurimis satellitium ut augeret, adesse juberet in aula militum turmas: ad quæ *Dedecet*, ait, *Præfectos Regios omnis timoris species*. Et ob hanc sanè causam nulli magis fraudibus obnoxii esse solent quàm recti magnique animi. Prudentiæ tamen est certa pęnè pericula cavere cùm possis, & nullo magnanimitatis detrimento, & absque indebiti timoris vitupe-

vituperio. Aliquis ex ipsa confessione complicis de conjuratione denuntiabat: privato id eorum odio Marchio, quamquam in initio nonnihil turbatus, tandem adscribit, nimiâ fœdâq; Ioannis de Herrada proditione deceptus. Ioannes quippè ut eam simulatione redderet securiorem paucis antè diebus questus fuerat de fama, quasi scilicet Marchio ejus necem meditaretur. A qua cùm Marchio se jurejurando purgaret, *Quid aliud tamen*, reddit Ioannes, *sibi volunt tot, quæ coëmuntur, lancea & arma?* Ad quæ benignè Marchio satisfecit, obtulit insuper prompta, si quâ re indigeret, obsequia, pro quibus licèt ille profundas Marchioni gratias ageret, verba fuerunt, nullâ crudelitatis, quam animo gerebat, mitigatione.

18. Æstuabat ob hæc Marchionis animus inter spem & metum, & adesse sibi Ioannem Velasquez urbis prætorem jussit, & cum infirmus decumberet ipse eum noctu invisit, narravitque quæ contigerant dicebanturque. Qui tunc verbis quàm posteà, ut eventu patuit, factis audacior sereno hilarique eum esse animo jubet, nullum ei in tota Peruvia, quamdiu ipse virgam officii notam manibus teneret, nociturum, non malè certè in eo præsagus, quippè qui Marchionem in sua posteà necessitate deserens, ut tutiùs è fenestra exiliret, eam ore momordit.

19. Templo etiam die Iunii vigesimo sexto, qui tunc Dominicus erat, quòd hic morti suæ à conjurantibus, nisi eam ipsâ Sancti Ioannis Baptistæ solemnitate intulissent, statutus diceretur, Marchio abstinuit, & sacris operari in sacello domestico jussit, quem obsequii testimonio plurimi invisérunt, ex illis cum eo pransi sunt Franciscus de Chaves à Marchione in urbe Limensi primus, & Ioannes Velasquez. Hora erat post meridiem nondum prima, quando Ioannes de Herrada cum undecim duodecimve (nonnulli novendecim numerant) conjurationis sociis civium quiete & ministrorum in domo Marchionis occupationibus utendum ratus ex ædibus suis, quæ ab ædibus Marchionis aberant passibus ampliùs trecentis exiliit. Strictum omnes gladium tenentes elatis vocibus clamabant, *moriatur tyrannus, moriatur proditor. moriatur qui regium Iudicem & Præfectum injustè curavit occidi.* Putantur porrò eo consilio ita palàm tantoque tumultu ad facinus processisse, ut majoris complicum numeri suspicionem omnibus injicerent, & propriæ salutis timore à ferendo auxilio deterrerent. Suspicionem hanc timoremque auxerunt dum ad ædes Marchionis perventum. Unus ex conjuratorum numero portam occupans stantem in area arietem transfodit, madidumque recenti cruore gladium vibrans identidem vociferabatur *Periit tyrannus*, atque ita vulgatâ mortis opinione spem subsidii falso licet rumore incidit. Tanti plerumque in incertis subitisque casibus rumores sunt si cum veri similitudine spargantur.

20. Intereà Ioannes de Herrada cæterique celeriter, ne aut interni morâ se armenr, aut externi fraude detectâ ad auxilium concurrant, gradus conscendunt. Marchio adventûs & furoris indicio per Indos, qui fortè ad portam erant, accepto properare Franciscum de Chaves, & obserare atrii cubiculique portas, dum ipse se armaret, jussit. Sed subita rerum turbatio inopinaque temeritas adeò mentem ejus distraxit, ut salubri mandato omisso ad gradus, rogaturus quid rei esset, procurrerit. Chilenses inflicto illi vulnere magis quàm voce responderunt, & defendere se evaginato gladio parantem multis plagis trucidàrunt. Hinc ad Marchionis conclave prosiliunt. Ex eo ad subitam trepidationem Hispani ampliùs duodecim per fenestras profugerant, atque inter illos Ioannes Velasquez baculo officii in os immisso, ne ma-

ne manus ab auxilio fugæ præpedirentur. Animosus certè Prætor, cui locum hic damus in jactantiæ (a) fœdæque desertionis potius vituperium, quàm ob rem aliquã egregriè gestam. Marchioni non alii quàm Franciscus Martin illius ex eadem matre frater, (b) duo nobiles quorum nomina fateor si consequi potuissem, fidelitate in adversis æternitatem merebantur, & ephœbi item duo, alter Ioannes de Vargas Gomesii de Tordoya filius, alter Escannon dictus. Nondum Marchio militarem thoracem fibulâ nexuerat, nondum munierat galeâ caput cum præsentes ad conclavis ostium conjurati ad expeditiora arma cogunt. Arrepto itaque tumultuariè ense scutoque ingredientes prohibet, *Percute*, clamans, *frater percute, pereant proditores scelerati*. Acriter ad portam diuque pugnabatur: in locum cæsi Francisci Martin ephœborum alter animosè succedit tamquàm si vires ei præsentia Heri & Ducis adderet. Tandem Chilenses, cùm ex mora auxilii periculum metuerent, securissimè armatum ex suis desperatè in Marchionem immittunt, post eum cæteri involant & priore occidendo occupati Marchionis guttur confodiunt. Ille cadens in terram omissâ corporis curâ solius animæ sategit, lamentabili voce Sacerdotem ad supremam peccatorum expiationẽ deposcens, verùm deficientibus subitò viribus pavimento imprimens salutiferæ crucis signum in ejus osculo exspiravit. (c) Cecidit etiam ephœbus uterque. Chilenses ex suis quatuor desiderarunt, vulnerati sunt plerique, adeòque ex pugna lassi vix ut se sustinere possent; neque dubium quin Marchio, nisi turpiter à præsentibus fuisset desertus, illos superasset.

(a) suprà num. 18.

(b) lib. 2. cap. 2. nu. 2.

(c) 26. Iunii anno 1541.

21. Suo ergò infortunio potiùs interiit quàm temeritate aliorum. Hi tamen patrato scelere auctoque ad ducentos, (tot enim etiamsi Didaci partibus faverent, malebant tamen alieno quàm suo periculo resurgere) numero dispersi in omnes civitatis partes vagabantur gladiis sanguine rubentibus, & quotquot ad Marchionis auxilium paratos invenerunt, privârunt armis, nonnullos etiam familiariores trucidârunt, spoliârunt Marchionis ædes, (quæ nunc Proregum Peruviæ palatium sunt) Francisci Martin fratris & Antonii Picado Secretarii, Didacum autem Almagri superioris filium equo impositum & per plateas ductum Peruviæ Gubernatorem proclamaverunt, quem eo titulo Capitulum & Magistratus susceperunt, expressâ nõ obscuris verbis susceptionis causâ, pacis bono, atque ut tumultus cessarent, donec Rex certior factus aliud mandasset. Magnæ ubique in Peruvia editæ strages partim conjuratorum jussu, partim injussu, quolibet spe impunitatis audente quidquid vindictæ vel cupiditatis impetus aut insolentiæ pruritus imperasset. Filia Marchionis Francisca latebris se furori subtraxit, R[mus] Pater Vincentius de Valverde designatus primus Peruviæ Episcopus fugâ in insulam Punam; illa posteà Ferdinando Pizarro patruo nullâ tamen dote aut hæreditate nupsit, hunc barbari interfecerunt, odio Cajamalcensis audaciæ, (d) incertum, an fidei.

(d) lib. 2. cap. 4. nu. 4. & 5.

22. Derelictum Marchionis cadaver pietas Ioannis de Barbaran civis Trujillensis ejusque conjugis curavit, lacrymis obtentâ ad id ab Almagro facultate, quâ ita celeriter usi sunt ut vix habitu Equitum S. Iacobi & calcaribus, more in sepulturis talium equitum cõsueto, induerint. Indutum per posticum æthiops non tam extulit, quàm quia impar ferendo erat obeso gravique, extraxit, & projectum in fossam, ex qua lateres coquebantur, injectâ tumultuariè humo cõtexit; sæviebat namque etiam post necem conjuratorum furor, & rescissum à trunco cadaveris caput palo suffigẽdum quærebant. Vt nesciã an clarior unquàm fuerit splendore virtutum, an sub finem fortunæ ludibrio abjectior.

Qui opibus vix Regibus cessit; loculo caruit quo efferretur: qui dominationem Hispanicam tribus Leucarum millibus auxit; famuli quondam sui beneficio debet quòd terrâ contegatur: qui totam thesauris Europam, ut nihil de aliis partibus dicam, replevit, ne pesum quidem in Peruvia hæreditarium posteris reliquit. Qui suis humeris lapides ad structuram principalis Ecclesię Limensis comportavit monasteriaque promovit, misericordiâ Barbarani ceram ad missas & exequias accepit. Poteruntne remotiora esse fortunæ blandientis & spernentis extrema? Quis non, si ad Numen cuncta gubernans animum converterat, exclamet, *O altitudo divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei quàm imcomprehensibilia sunt judicia ejus & investigabiles viæ ejus.* (a)

(a) Rom. 11.

23. Præter animi in Francisco magnitudinem, laborum tolerantiam, in adversis constantiam, in rebus agendis indústriam & felicitatem, erga Regem fidelitatem venerationemque: quas satis superque ipsis factis recensuimus; fuit idem rebus verbisque modestus, ut proprias laudes non tantùm non referret, sed molestè insuper audiret: vestem ex nigro panno tulit nec aliâ in senectute quàm juventute formâ: liberalitate in indigentes promptus, sed quia famam fugiebat, secretâ: domesticorum amantissimus. Accidit ut famulus ejus Indus in flumen (*de la Barranco* illi nomen) lapsus aquarum impetu raperetur suffocationi proximus, cui cùm nullus ex omnibus præsentibus opem ferret, ipse contempto periculo in idem insiliit & natato famulum assecutus cincinno capitis eduxit. Monitus ob hoc à Centurionibus, respondit, nescire illos quid sit famulum amare.

CAPUT II.

Didaci de Almagro junioris & Christophori Vasconis de Castro Præfecturæ & bella.



1. OCCUPATUM scelere imperiū novis semper sceleribus, quod omnes solent tyranni, Didacus administravit; suo quidem nomine sed Ioannis de Herrada consiliis, quâ causâ hic ipsis Chilcusibus esse odio & insidiis peti cœpit, quas ut declinaret Franciscū de Chaves, quem paulò ante Centurionem fecerat, & Antonium do Orihuela Salamanticensem capite plexit.

2. Ioannem Velasquez Prætorem Limensem & Antonium Picado Marchionis Secretarium captivos cœpit. Ioannem Tello Hispalensem, Franciscum de Chaves de quo jam diximus, & Christophorum Sotelo Centuriones renuntiavit. Misit ad omnes civitates oppidaque, ut eum Peruviæ Præfectum agnoscerent; quod in tanta trepidatione fecerunt pænè omnes, quòd alium, quem sequerentur, non haberent, singulæque impotentiores essent quàm ut resistere tyranno possent. Primus restitit Alphonsus de Alvarado qui in *Chachapoyas* regione ad sextum plùs minus latitudinis gradum inter montes sita præerat. Hic nuntios detinuit, & accessu difficilibus montibus militibusque, quos centum secum habebat, confisus, ac maximè atrocibus Regi & Francisco Pizarro illatis injuriis exacerbatus hostem se Didaci ac injuriarum vindicem publicavit. Cujus exemplum

magis quàm vires veritus Didacus & promissis pellicere & deterrere minis contendit; & omnia immotum, misso celeriter Garziâ de Alvarado, extinguere. Priùs tamen, ne in distantibus Limâ locis à quoquam præoccuparetur, Michaëlipoli, (a) & indè rediens, Trujilli arma equosque in potestatem redigere jubebatur; consilio istis temporibus, in quibus omnis à celeri primorum obsistentium oppressione salus novique imperii securitas dependebat, prorsus insalubri.

(a) San Miguel.

3. Nam & intereà Cuzcenses declinare primò, deinde & rejicere Didaei imperium ausi fuut. Præerant id temporis Cuzco Didacus de Sylva Feliciano patre & Mirobricâ Castellæ veteris oppido (b) oriundus, ac Franciscus Carvajal posteà Gonsalvi Pizarri rebellione & crudelitate notus. Hi coacto Magistratu Didacum quidem non recipiendum, ut tamen comparandi militem, arma, commeatumque tempus luctarentur, respondendum nuntiis censuerunt, literas Regias, quibus Peruviæ illi Præfectura conferebatur, ut ostenderet. Aberat, cum ita rescriberetur Didaeo, Gomesius de Tordoya præcipuæ in Magistratu authoritatis, qui in campos exierat falconis se volatu & venatione oblectaturus. Rediens rerum, quæ agebantur, nuntiis in itinere occurrit, arreptæque, quam manibus gestabat, magni pretii avi caput abstraxit, *belli*, inquiens, *hoc tempus est, non oblectamenti, peri igitur avis*. Noctu urbem ingressus habito secretè Magistratûs conventu eâdem nocte extra urbem ad Centurionem Castro, non ignarus quantum esset ad rem benè gerendam in festinatione momentum, properavit, & misso ad Petrum Anzurez, qui in *Charcas* præerat & nomine Regis bellum Didaco inferre parabat, nuntio, ipse celeriter ad Petrum Alvarez Holguin perrexit. Habebat ille milites ampliùs centum, quos contra Indos ducebat, quem enarratâ Chilensium crudelitate & occupâdi imperii temeritate hortatus est, persequi Indos desisteret, & arma animumque in tyrannos justiùs converteret, seque, ne animare verbis magis quàm facto videretur, sacramento militari illi obstrinxit. Petrus Alvarez Regii obsequii occasione lætus etiam *Arequipâ* præsidium excívit, atque ita copiis auctus (jam enim centum quinquaginta equites, sclopetarios centum, & totidem lancearios computabat) Cuzcum ingressus eum terrorem factiosis injecit ut ampliùs quinquaginta desertâ civitate ad Didacum confugerint animo quàm eventu promptiori, eos quippe Centuriones Castro & Ferdinandus Bachiaco insecuti cœperunt reduxeruntque Cuzcum. Ibi à Magistratu & Centurionibus Petrus Alvarez copiarum dux, quoad Regi videretur, renuntiatus acceptâ à civibus subsidii non tantùm pecuniarii sed & personalis promissione, præsidio, prout tempori videbatur necessarium, civitatem munivit, & quia imparem se ad congrediendum cum Didaco de Almagro, cum quo erant milites omninò octingenti, sentiebat, satiùs judicavit cum Alphonso de Alvarado, qui in *Chachapoias* Regias partes tutabatur, vires conjungere, ita tamen milite semper parato ut perpetua acies potiùs quàm profectio videretur.

(b) Ciudad Rodrigo.

4. Nec segniter Didacus copiarum conjunctionem impedire satégit, nonnullis tamen eventibus ejus tardata diligentia est. Garcia de Alvarado contra Alphonsum de Alvarado à Didaco de Almagro missus & diutiùs opinione abfuit, & nullâ re memorabili gestâ reversus est, nisi quòd Alphonsum de Cabrera Centurionem, qui *Guanuco*, ut Trujillensibus se contra Didacum jungeret, properabat, in portu Santensi (c) fortè captum Michaëli-poli capite plexerit. Nuntiabatur prætereà Vasconem de Castro Panamâ, ubi Auditoris officio fungebatur cuique Rex Peruviæ Præfecturam,

(c) Santa, quindecim leucis Trujillo abest.

ram, ſi Franciſcus Pizarrus humano aliquo caſu extingueretur, adſcripſerat, Quiti veniſſe, inde literas ad R. P. Thomam de Sancto Martino Dominicanorum Provincialem & Franciſcū de Bartio nuevo miſiſſe ut Peruviam, quoad uſq; ipſe advenisſet, gubernarent, Regias ad Vaſconem literas à Magiſtratu Limenſi ſecretè eſſe acceptatas: eo nuntio plurimos à tyranno Didaco ad legitimè recturum Vaſconem defeciſſe conſtat, ſequentium nomina recenſita invenio, Provincialis Dominicanorum, Didaci de Aguero, Ioannis de Saavedra, Gomeſii Alvarado, Illantii Sucarez. Inſuper importunè admodùm circa hæc tempora Ioannes de Herrada, præcipuum Didaci de Almagro fulcimentum, vivere deſiit. Ipſe etiam Petrus Alvarez Didacum, quem viribus tentare non audebat, aſtu eluſit. Equites namque viginti irrumpere noctu in hoſtis caſtra juſſit, & captivos, quot poſſent, abducere. Adduxerunt tres: Duobus jugulatis, tertio libertatem ac mille inſuper peſa promiſit, ſed in caſtris Didaci nuntiaturo adfuturum primâ nocte Petrum Alvarez & dextrum eorum cornu vi impetiturum. Didacus ex ſolius reditu fraudem ſuſpicatus, ex capto milite tormentis confeſſionem mandati à Petro accepti expreſſit, copias proximâ nocte in acie eâ parte, quâ aggreſſurum didicerat, conſtituit, dùmque eum ſolicitè operiuntur, ipſe feſtinato itinere ad Alphonſum de Alvarado deflexit, præmiſſoque nuntio ut obvias ſuppetias impetraret, rogavit; ita factum ut qui dolo hoſtem tardaverat, ſolertiâ priùs ſociis jungeretur quàm ab inſequentibus prohiberi poſſet.

5. Horum omnium Vaſconem Quiti morantem Petrus Alvarez & Alphonſus de Alvarado certiorem reddiderunt, rogantes ut quoniam tàm læta eſſent regiarum partium initia, ipſe ſuum in Peruviam adventum maturaret, ſe illi militem ſuum patriamque tradituros. Didacus deſperato conjunctionis impedimento Cuzcum iter inſtituit; Centuriones quos *Arequipam* ad colligendum militem deſtinârat, revocavit: illi inſolentiâ pluſquàm militari civitatem ſpoliârant, effoderantque totum pænè, quòd ibi civium theſauros reconditos rumor eſſet, PP. Dominicanorum monaſterium. Vaſco verò acceptis Petri Alvarez & Alphonſi de Alvarado literis, conſilio eorum utendum arbitratus, omni feſtinatione in Peruviam, comitante eum Laurentio de Aldana Quiti Præfecto, contendit, præmiſſis Petro de Puelles Centurione, qui neceſſaria ad bellum pararet, & Gomeſio de Rojas Cuellar oriundo, qui Cuzci literas Vaſconis acceptari à Magiſtratu curaret, quod incredibili præſtitit celeritate antequàm illuc Didacus adveniſſet. Vaſconi, cùm per *Bracamoros* tranſiret, junctus eſt Petrus de Vergara, Trujilli Gomeſius de Tordoya, qui ob diſſidium cum Petro Alvarez illuc conceſſerat, Garcilaſus de la Vega pluresque nobiles, ut, antequàm illinc moveret, ampliùs ducentos optimeque inſtructos milites computaret. In caſtris Petri Alvarez & Alphonſi de Alvarado ſummo gaudio acceptus eundem Petrum exercitus Legatum renuntiavit, juſſitque in *Xauxa* ſubſiſtere donec ipſe Limæ ſtatuiſſet & quæ ad pacem civium & quæ ad belli apparatum ſpectare viderentur. Præſtitit eâ utrumque prudentiâ diligentiâque, ut, an leges feliciùs, an arma tractaret, incertum haberetur.

6. Intereà Didacus, præmiſſo Chriſtophoro de Sotelo Cuzcū ingreſſus, dejecto, quē Vaſco per Gomeſium de Rojas conſtituerat, Magiſtratu, alium creavit, arma omnia occupavit, nova prætereà fieri & fundi juſſit, ad quæ nec materia deerat nec opifices; nitri etiam abundantia magnam mox pulveris copiam ſubminiſtravit. Nullus ex militibus ejus erat qui præter arma, quibus offendi hoſtis ſolet, loricam, tho-

thoracem ferreum & cassidem, quibus se à vulneribus tueretur, non haberet. Pertinaci tamen Didaci infortunio pænè factum, ut quæ contra hostem paraverant, in mutuam verterent perniciem. Nata erat inter Garziam de Alvarado & Christophorum Sotelo Centuriones rixa, in ea Sotelo occiditur; & quia uterque amicis pollebat, inimicitiæ se per omnem exercitum diffuderunt, aliis Sotelum ulcisci, aliis defendere Garziam satagentibus, & deventum fuisset ad certamen, nisi Didaci blanditiæ æstuantes utrimque animos, velut injectâ in bullientem aquam frigidâ, depressisset. Didicit tamen Didacus suâ ferè cæde quàm periculosè principes ducesque privatim amenti: quippe cùm Garzia non ignoraret Didaco Sotelum in deliciis fuisse, ideoque certam sibi pœnam imminere, tunc inferendam cùm eum occasio maximè redderet obnoxium, difficultatem veniæ majore scelere superare tentavit, eumque extinguere quo superstite nullam sibi spem vitæ sciebat superesse. Didacum ad epulas invitat, excusantem se ob infirmitatis, quam simulabat, incommoda ipse accersit, & obviorum consilia ne ad ædes Didaci, in quibus paratæ illis insidiæ erant, pergeret, contemnit fiduciâ temporis & secreti, quòd crederet Didacum vicino hoste non ausurum scelus jam patratû vindicare, & ignorare patrandum. Admittitur ad Didacum lecto decumbentem Garzia, humaniterque ut comitetur, exorat. Surgit Didacus loricâ sub vestibus tectus, accipit pallium, gladio se & pugione cingit, sequiturque præcedentem Garziam, quem egressis cæteris clausoque post terga eorum cubiculi ostio prehendit Ioannes de Herrada (a) captivumque pronuntiavit, ad quæ Didacus educto gladio, *non captivum*, ait, *volo sed occisum*, & percussit; exilientesque è secretiori, in quo latebant, cubiculo Ioannes Balsa, Alphonsus de Saavedra, Didacus Mendez Rodericii

(a) alius est ab illo qui Franciscum Pizarro occidit.

Orgoños frater, sociique, plurimis maximisque vulneribus saucium oppresserunt. Ad mortis rumorem exorto populi tumultu omnia in civitate confundi videbantur, quē involans in forum Didacus suâ præsentiâ & oratione sedavit. Pacatâ civitate subitò militem contra advenientem Vasconem eduxit.

7. Vasco enim, Francisco de Barrio-nuevo Limæ, & Ioanne Peres de Guevara mari præesse jusso, publicato etiam mandato, ut si Didacum se absente eò venire nuntiaretur, comportatis in naves bonis ad easdem cives cum uxoribus liberisque confugerent. In *Xauxa* Petrum Alvarez, quem ab eo præmissum diximus, inuenit, & apud eum insignem belli apparatum. Equites in tres, pedites in duas cohortes distribuit: equitibus Petrus Alvarez, Petrus Anzurez, & Garcilasus de la Vega, peditibus Petrus de Vergara & Nuñus de Castro præerant. Addidit novas cohortes duas, equitum unam alteramque peditum, illis Gomesio de Alvarado, his Ioanne Velez de Guevara, qui æquâ juris militiæque laude excelluit, Centurione dato: summum autem vigiliarum Præfectum instituit Franciscum de Carvajal longâ quadraginta & ampliùs annorum in Italia militiâ non modicè exercitatum, quemque posteà in Gonsalvi Pizarri exercitu Legatum videbimus. Fuêre in universum cum Vasco ne equites trecenti septuaginta, & pari ferè numero pedites. Numerum augere Gonsalvi Pizarri, quas ille ex Canelæ expeditione (b) se reduxisse Vasconi hoc tempore nuntiavit ac esse ad ejus obsequia paratas, turmis potuisset, nisi satiùs Vasco duxisset actis modestè gratiis eum Quiti relinquere, obtentu quidem reparandarum post longos molestissimosque labores virium, reverâ autem ne præsentiâ temeritateque Gonsalvi naturâ ferocis & vetere inimicitiâ recentique fratris Francisci cæde Almagris offensi concordia, quam semper bello civili

(b) cap. præc. num. 15.

præ-

præferendam cenfebat,turbaretur, Didaco fcilicet femper detrectaturo illis fe committere, apud quos in præcipuo effe honore & authoritate fciret hunc, cujus ipfe fratrem occidiffet.

8. *Guamanga* inter Cuzcum & Limam oppidum eft opere Hifpano egregiè munitum; hoc Didaeus de Rojas, qui exploratum præcucurrerat, Vafconis nomine occupavit, infigni ad victoriam momento; ifto enim factum ut neque obrui neque cogi ad iniquo loco dimicandū poffent, quare ne pauci ab integro Didaci de Almagro exercitu ante fuum adventum ejicerentur, feftinare militem fuum licèt armis gravem & diuturnâ difficilique peregrinatione fatigatum cùm fuâ tùm Alphonfi de Alvarado diligentiâ Vafco juffit, præveniénfque hoftem ultrà oppidum totâ nocte in acie, ne ex improvifo opprimi poffet, copias tenuit. Alterâ die certis nuntiis didicit abeffe novem adhuc leucis Didaeum: quem mox miffo ad eum Francifco de Diaquez cum literis ad concordiam follicitavit, promifsâ erratorum hactenus impunitate fi ad Regis obedientiam rediret, fi exercitum dimitteret; feveræ autem caftigationis comminatione fi in rebellione perfifteret. Eodem tempore alium viarum gnarum Indorum veftitu, qui fecretè literas ad multos, qui in Didaei exercitu erant, nobiles deferret, deftinavit, confilio damnabili & magno fœderis, quod fine firma fidelitatis opinione neque inchoari neque peragi poterat, præjudicio. Quis enim fapiens tot fimul literas ad varios in hoftili exercitu latas poffe tegi credere potuiffet? quis iis detectis fidem & finceritatem integram judicare? Certè Didaeus deprehenfum indicio veftigiorum nivi impreflorum infortunatarum literarum bajulum fufpendit, magnoperè de Vafconis fraudulentiâ queftus, quòd eodem tempore apud fe fœderis fpeciem monftraret, & machinaretur in exercitu feditionem. Vafconi autem per eundem Diaquez refpondit, fe nullateous ei paritorum quamdiu hoftes fuos Petrum Alvarez & Alphonfum de Alvarado eorumque complices in focietate haberet, nec, nifi fignatâ priùs, non per Garziam de Loayfa Cardinalem Hifpalenfem fed per ipfum Regem veniâ præcedentium erratorum, exercitum dimiffurum. Falli autem eum fi ullam à fuo exercitu proditionem expectaret. Ac tandem repucare eum juffit nullam illi nifi fuorum ad unum ufque omnium clade, fperandam victoriam: brevi fe adfururum & experimentum virium capturum.

9. Igitur Vafco duplici ex caufâ ad prælium fe urgeri videbat, & Regis fcilicet obfequio & infolenti hoftis provocatione. Animadvertit tamen plurimos fuorum nondum fatis prælium Salinenfe (a) concoxiffe, quòd poft illud adeptamque victoriam, quafi indebitè aut injuftè pugnatum effet, Rex Ferdinandum Pizarro in Hifpania detineri juffiffet. Hunc ut illis fcrupulum eximeret, mortis & confifcationis bonorum fententiam contra Didaeum ejufque affeclas tanquàm proditionis & rebellionis reos pronunciavit, contra quā quoniam ipfi armis fifi, fe opponerent, ad ejus executionem fuorum opem popofcit. Deinde relictis vicinis *Guamanga* locis tanquàm ad pugnā importunis in latam planiciem, cui *Chupas* nomen quod poftea prælio manfit, copias promovit. Didaeus autem nimiâ victoriæ fecuritate, frequenti multitudinis, quæ dimicatura eft, vitio, *Guamanguam* neglecto tunc hofte contendit, eo animo ut oppidum fubjiceret; dato intereà adverfariis fpatio montem occupandi: atq; tunc fed ferò errore cognito etiā Didacus non procul indè hæfit. Vafco Summo vigiliarū Præfecto præcepit aciē inftruere, quam ipfe hac oratione animavit, *Magnanimi*

(a) *de las Salinas*, in quo prælio captus Didacus de Almagro pater.

nanimi heröes & fortes viri, scio vos cogitatione & voluntate vestrâ ea, quæ dicturus sum, prævenisse, hoc enim, ut totus mihi præsuadeam, faciunt vetus nationis vestræ laus, parentum gloria, &, quid altiùs repetam? vestra toties pro Rege vestro probata virtus, ex qua imperium in novo hoc orbe vix pro eo acquisitum, imò vita & salus omnium vestrum hodie dependet. Rebelles sunt & tyranni, contra quos dimicatis, non aliâ re quàm execrandis cædibus & rapinis clariores & qui ad perniciem deputârunt unumquemq; vestrûm, quam non nisi propriâ virtute à vestris cervicibus depelletis. Agite ergò & victoriam licet fortè ebluctantem à nefariis hominibus extorquete. Ita & Regi vestro imperium, vobis autem salutem & hostium bona asseretis. Pauca pro rei momento, animis vestris superflua elocutus sum, hoc unum mihi superesse video ut enitar ne vestrâ fortitudine appaream inferior, quare in hostem primus lanceâ procurram. Omnes de sua cùm virtute securum esse voluerunt, oravêre tamen Centuriones ne ancipitem certaminum fortunam præcipiti sui periculo provocaret, sed cum equitibus triginta post aciem subsisteret, illis, quos maximè premi videret, auxiliũ laturus. Hoc secutus consilium maluisset in alteram diem, quòd Soli non majus quàm sesqui-horæ spatium supra horizontem restaret, differre pugnam. Contrà quod avidus exclamat Alphonsus de Alvarado, *Elabetur à nobis, nisi hac die parta, victoria: utendum est ardore militum, qui si Solem sistere non potest, celeriùs, quàm Sol condatur, in fugam vertet hostem aut extinguet.*

10. Neque hîc adversatus est Vasco contra propriam opinionem consulenti. Et mox explosæ in hostem machinæ majores; sed descendere ex monte ad prælium rectâ semitâ non poterant nisi toti tormentis hostium parerent. Verùm Franciscus Carvajal Supremus vigiliarum Præfectus & Alphonsus de Alvarado aliam ad latus detexerunt neque admodùm molestam neque intutam, ex qua in vallem erat descensus, per quam & accedere ad hostem & evitare pilas majorum tormentorum: quas supra capita transmitti necesse erat, possent. Hanc ergò viam elegerunt. Alphonsus de Alvarado cornu dextrum, sinistrum Petrus Alvarez Holguin, Gomesius de Alvarado, Garsilasus de la Vega, & Petrus Anzurez cum suis equitum cohortibus tenuerunt: inter utrosque peditem ducebant Petrus de Vergara & Ioannes Velez de Guevara: hos sclopetarii ductore Nuño de Castro præcedebant, sequebatur cum equitibus triginta Vasco aliquanto à cæteris remotus, quo liberior esset clariorque in omnes exercitûs sui partes aspectus, opportuniùsque adesse laborantibus posset subsidio.

11. A Didaci autem parte in accedentes multa sine cessatione tormenta explodebantur sed inutilibus ictibus qui altiùs longiusque dirigebantur, ut Didacus conceptâ proditionis opinione advolans equo Centurionem Candia tormentis præfectum suis ipse manibus confoderit, directoque aliter tormento nonnullos ex Vasconis militibus dejecit. Franciscus Carvajal animadvertens tormenta sua minora esse quàm ut in hostem ejicere pilas possent, ista velut inutilia deserenda censuit, & virtute ac disciplinâ supplere eorum defectum. A loco igitur in quem hostium tormenta dirigebantur paululùm declinavit. Tunc Didacus divisas tripartitò copias sub Centurionibus Ioanne Balsa, Ioanne Tello, Didaco Mendez, Didaco de Hozes, Martino de Bilbao, Ioanne de Olla aliisque, ut inter equites clausi utrimque pedites gradentur, quos contra Vasconis vires tormenta tuebantur, accedere jussit. Vt nullâ re Vasconis militibus essent inferiores, multis verò, ut tormentis majoribus,

numero,

majoribus, numero, commeatu, quem abundè Paulus Inga advehebat, superarent: sola illos ex sui fiducia nata præcipitantia perdidit. Ex pugnæ imprudenti aviditate aliter constituta tormenta fuêre, Petro Suarez Summo vigiliarum apud Almagranos Præfecto non tantùm id dissuadente, sed adeò indignè ferente, ut mox additis equo calcaribus ad Vasconem profugeret incunctanter prædicens Almagranorum ruinam.

12. *Paullu* Mancouis frater fuit: hunc Didacus de Almagro pater doctrinâ Christianâ imbutum & sacrâ lymphâ ablutum Christophorum appellari voluit, Ingamque, quamquàm indebitè vivente scilicet Mancone natu majore constituit. (a) Ob quæ ille Almagris patri & filio constanti amicitiâ junctus non exigua ipsis commoda præstitit. Hic pugnæ initium in sinistro Vasconis cornu cum suis Indis dedit, studio magis quàm fortitudine laudatus, nam amissis suorum nonnullis abscessit: nec mirum, inæquali enim armaturâ & disciplinâ pugnabant, reddebant quippe Hispani pro lapidibus & sagittis Indorum plumbeas glandes altiùs, celeriùs secretiusque penetrantes. In horum locum paribus armis accurrit Martinus Cote, citàque exigui temporis velitatione ad præludium substitit tormentorum, quibus non modica clades Vasconis peditatui perforatis ordinibus inferebatur, quos cum Centuriones strictis in suos gladiis redintegrari firmarique vellent, prohibuit eos Franciscus Carvajal satiusque censuit tantisper, donec omnia explosissent, secedendum. Intereà præter cæteros ex equitatu Petrus Alvarez Holguin & Gomesius de Tordoya, quos virtus fidelitasque illustres reddiderat, sclopetariorum ictibus cadunt, læditur Petrus de Vergara, qui severè equitibus inclamavit, quid tardarent, cur non in hostem involarent, an, donec totus perisset peditatus, omnium suorum perniciei desides expectarent. Hac exhortatione nescio di-cam an vituperio excitati celerrimè in equitatum Didaci decurrerunt, quos cùm fortiter Almagrani exciperent, fit atrox pugna donec utrimque fatigatione tardaretur. Intereà ferociùs etiam pedites contempto omni periculo rectâ ad majora tormenta irruerunt superaveruntque, ut prima illis victoriæ gloria tribuatur. Præcipua tamen in Francisco Carvajal virtus emicuit, qui omnibus præcurrens, *Agite*, clamat, *commilitones, nihil hic vobis timendum, & ne audaciùs hoc quàm veriùs dicere videar, loricam exuo, cassidem projicio, ne quæ pugnantibus arma esse solent, properantibus sint onera; solum mihi servo indusium honestatis potiùs quàm contra jacula ictusque tegumentum.* Resumptum quoque ab equitatu post respirationem prœlium pro Vascone inclinare videbatur. Stabant tamen duæ in sinistro cornu turmæ ausæ pro Didaco victoriam proclamare, quamquàm cæteræ omnes velut victæ paulatim è certaminis loco cederent. In has Vasco cum equitatu suo recenti invectus, licet fortiter sese in initio defendentes, amissis Ximenes Centurione, Montalvo nonnullisque aliis, tandem pepulit. Tunc Almagrani in promiscuam fugam conjecti terga nullâ defensione indecorè magnâque suorum strage vulneribus objecerunt: nonnullos beneficæ tunc noctis tenebræ, & latebræ montium, mutataque baltea (hæc Regii rubra, alba Almagrani gestabant) servaverunt. At verò Martinus de Bilbao Centurio, & Christophorus de Sosa conspectâ suorum fugâ furentibus similes in conferta Vasconis agmina se injiciunt, editis suis nominibus vociferantes, *Nos Marchionem interfecimus*, desperateque ab omni latere percutientes donec in frusta concisi

(a) vide Ingarum seriem lib. II. cap. 7. num. 9.

dejicerentur & expirarent. Centum cum quinquaginta equites, qui Guamangam secundâ inde leucâ dissitam,petebant,à paucis ibi residuis civibus capiūtur exarmanturque. Didacus de Almagro in adversante fortuna istud, etiam extremæ calamitatis sensit,quòd, cum Cuzcum pervenisset, à Rodericio de Salazar & Antonio Ruiz de Guevara (illum Præfectum civitatis ipse constituerat, hunc Prætorem) caperetur,& hosti traderetur, cum comite Didaco Mendez. Annum commisso prœlio P. Antonius de la Calancha (a) supra sesqui-millesimum adscripsit quadragesimum tertium, alius quadragesimum secundum, diem Septembris decimum sextum, qui veri licèt Peruano proximus noctem habuit sequentem, cujus frigore multi vulnerati extincti sunt.

(a) lib. 1. cap 17. n. 10. & cap. 30 num. 1.

13. Quos alterâ die Vasco in vivis invenit (fuêre autem numero non minùs quadringenti) chirurgis tradidit solicitè curandos. Ceciderunt utrimque trecenti, quorum corpora mandari terræ mandavit; Petri verò Alvarez & Gomesii de Tordoya Guamangam tr. nslata solemni pompâ sepelivit. Ex captivis complices necis Marchionis eodem die decullavit: cæteris causam coram Gama jurisconsulto dixit: cujus sententiâ sexaginta aut extremo supplicio adfecti, aut mulctati exilio, ii scilicet à quibus maximè culpa orta erat; in his pœna constitit, reliquis venia datâ. Cuzcum veniens Didacum de Almagro patricidii & rebellionis reum capitis condemnavit; idem carnifex, qui patrem ejus, plexit. Didacus Mendez è custodia elapsus salutem apud Ingam Manconem inaccessis Vilcabambæ montibus se defendentem (b) cum nonnullis sociis invenit, Diligebat quippe Inga Didacum de Almagro eique loricas, thoraces, aliaque arma, quæ ipse Hispanis à Marchione Francisco Pizarro in subsidium fratrum Gonsalvi & Ferdinandi missis à suis trucidatis detraxerat, ad bellum se contra Vasconem præparanti submiserat, sollicitus etiam per frequentes nuncios cognoscere quem eventum prœlio fortuna dedisset. Quamvis id sui potiùs causâ quàm Didaci fecisse arbitrer, intentum aut interfectis per civilia vulnera Hispanis hæreditarium imperium recuperare, aut Didacum, si vicisset, habere quàm alios faventiorem.

(b) lib 13. cap. 1. num. 1.

14. Rebellibus superatis cùm non haberet Vasco quid singulorum meritis rependeret, veritus suorum murmura,si justis querelarum causis pronum in vitia otium accederet,satiùs judicavit dispergere plerosque novarum Provinciarum spe, in qua, si semel animo admittatur,nescio quid sit,quo molestissimi labores non tantùm fortiter sed admirabili insuper jucunditate superentur; Vasconem certè liberatura erat periculo seditionum. Ille posteà Cuzci civilibus negotiis susqui-anno intendit & publico bono & suâ laude. Quo tempore in territorio Cuzcensi præsertim fluvio *Carabaya* auri minæ detectæ sunt,quibus nondum Hispani viderant ditiores. Latebant scilicet adhuc *Potosius* vicini,que montes, quorum thesauros posteà casus aperuit (c) majorine mundi utilitate, haud scio,an detrimento.

(c) lib 16. cap. num. 3 & seqq.

15. Longum esset atque ab hac, quam scribimus, historia alienum persequi minutim quâ quisque Centurio fortunâ assignatas à Vascone Provincias tentaverit occupaveritve, libanda tamen nomina censui aliis aliquando annalibus servitura. Petrum de Vergara,qui relictâ Bracamororum conquisitione se in Peruviâ intrantem secutus fuerat,ad eosdem remisit. Didacum de Rojas & Philippum Gutierrez versus Orientem, ubi vasti patent ad fluvium usque Argenteum (d) campi, quos postea Hispani incoluerunt, ire jussit: In *Majobambam* diverso aliquantò itinere Ioannem Perez de Guevara. Oriuntur in


(d) Rio de la Plata.

Majobamba

Majobamba duo in toto novo mundo notissimi fluvii *Marañon* & *de la Plata*, uterque se in mare Septentrionale exonerans, ac posterior quidem patente ad triginta leucas ostio, prodigiosâ scilicet Europæis latitudine; idem, si altiùs ascendas, latus est leucas decem. Mourroy eodem Vascone mandante in Chilen perrexit Petro de Vadivia suppetias laturus.

CAPVT III.

Infelix Blasconis Nuñez Velæ primi Peruviæ Proregis imperium; ejus mors; & Gonzalvi Pizarro rebellio.



1. QVAM malè terrore veneratio quæratur, ac nunquam acquiratur solida & diuturna, quamque non omnes etiam justissimæ omni tempori cōveniant leges, suo nos exemplo sanè perquàm funesto & totius penè Peruviæ ruinâ docebit Blasco Nuñez Vela Eques Ordinis S. Iacobi, quem, quia Rex in diversis, quæ Malagæ, Cuençæ, & in Castilia gesserat gerebatve, officiis didicerat esse incorruptum judicem & severum mandatorum Regiorum executorem, primum Peruviæ Proregem & Audientiæ (a) in Peruvia instituendæ Præsidem anno M. D. XLIII. mense Aprili renuntiavit. Anno autem sequenti Idibus Maii (b) Auditores (c) Didacum de Cepeda, Lisomem de Tejada, Licentitum Alvarez & Petrum Ortiz de Zarate, Quæstorem autem Augustinum de Zarate, ut leges frequentibus conventibus & longâ disceptatione in Hispania decretas, in Peruvia observari curarent.

(a) Nos Cancellariā vocamus aut Concilium.
(b) 15. Maii.
(c) Consiliarios.

2. Vrserant eas diu multumque plures Religiosi, præcipuè verò P. Bartholomæus de las Casas Dominicanus, quem Chiapæ (d) infulâ Rex honoravit, moti misericordiâ inexplicabilium calamitatum, quibus ab Hispanis Indi opprimebantur, verberibus, cædibus, bonorum spoliatione, intolerabilibus tributis, onerum importabilium vectatione, damnatione ad metalla injustâ; piscatione gemmarum, quibus crudelitatibus myriades barbarorum in toto novo Orbe, *Hispaniola*, *Cuba*, *Nova Hispania*, *Iamayca*, *Peruvia* aliisque seu insulis seu continente interierunt, quas summariè complexus est P. Bartholomæus de las Casas, impressitque sub titulo, *Destructio Indiarum* (e) libellum Cæsari Carolo V. offerens, supplicansque ut jam non de curandis vulneribus sed ultima pernicie avertenda maturè cogitaret.

(d) de la Chiapa.
(e) Destruicion de las Indias.

3. Cæsar crudelitates detestatus has contrà eas leges sanxit: Indi eruendis metallis aut quærendis gemmis ne occupentur: à ferendis oneribus, nisi pactâ mercede, liberi sint. Tributa non Dominorum aut Commendatariorum libidine, sed taxatione judicum solvantur. Indi à nobilibus, potentibus, Gubernatoribus, Monasteriis, xenodochiis, atque ab omnibus denique, qui vel pro Francisci Pizarro, vel Didaci de Almagro partibus stetissent, auferantur; adhæserant autem alterutri planè omnes. Nova in Peruvia Audientia erigatur. Hujus audientiæ Præsidem & Auditores jam ante nominavimus.

4. Quæ cùm Mantuæ Carpetorum (f) essent publicatæ, mox nuntiæ earum literæ in Peruviam aliasque Indiæ Occidentalis partes perscribuntur, recipiunturque maximo omnium murmure, præcipuè Hispanorum in Peruvia, quibus nihil, quo sustentarentur, reliquum relinquebatur. Querebantur se in instruendis ad novarum terrarum conquisitionem

(f) Madrid.

tionem navibus bona hæreditatesque absumpsisse, exantlasse labores incredibiles; his non aliud quàm Indos eorumque obsequia consecutos, militasse se seu sub Francisco Pizarro seu Didaco de Almagro inculpatè, quòd uterque regium nomen authoritatemque, à qua desciscere nefas fuisset, præferret, se per Cæsarem jussos fuisse sub ablationis Indorum comminatione uxores ducere, nunc uxoribus ac liberis gravatos, ætate ad novos labores impotentes iisdem Indis nullo suo peccato privari.

5. Hæ ergo similesque querelæ undique ad Vasconem de Castro, quem remansisse Cuzci diximus, deferebãtur, quibus non aliter tunc satisfecit, quàm non dubitare se, Cæsarem aliter edoctum aliter judicaturum, eligendos ex omnibus qui omnium nomine Cæsarem adeant, eique pro asperarum legum moderatione supplicent, se Limam profecturum, ibi commodiùs eorum, de quorum damnis agitur, conventum instituendum, alii Cuzco se sequantur, consilio quidem pro ratione temporis non imprudenti, verùm apud severum & inflexibilem Proregem non nisi ad proprium consulentis vituperium profuturo.

6. Nam cùm Kalendis Novembribus anni M. D. X LIII. è portu *San-Lucar* de Borrameda Prorex & Auditores solvissent appulissentque prosperè Nomen-Dei; (a) ibi exactis aliquot diebus, paratisque, quæ ad navigationem in Mari Pacifico erant necessaria, Prorex, relictis ibi Auditoribus nimiâ ejus festinatione indignatis, indè solvit medio Februario anni sequentis, appulitque in portum *Tumbez*, deinde itinere pedestri pergens in interiora Peruviæ, ubique relinquit rigidæ Regiorum decretorum observationis vestigia nullis pro dilatione, donec aut ad Regem scriberetur, aut cæteri advenissent Auditores, precibus admissis, quòd decreta illa leges esse diceret in commune imperii Peruani bonum latas. Ita *Guavram* Limâ octodecim leucis Septentrionaliorem pervenit, tardiùs tamen quàm obstinati rigoris fama totam Limam, quò Vasconem de Castro conventum præcipuorum vocasse diximus, occupasset, perculissetque. In tanta multitudinis agitatione variè consulebatur, omnes in eo erant, ut contra leges exciperent, Blasconem Nuñez utpotè injustâ obstinatione indignum Vasco ad imperium Peruviæ non admittetet: quod si abnuat non defuturos alios qui id præstent. Vasco & pacato omnes animo esse jussit indubitatâ spe omnia adventu reliquorum Auditorum esse lenienda, & constantissimè negavit se quidquã contra Proregis pro quo Cæsaris literas vidisset, admissionem esse moliturum. Imò in *Guadachili* (distat Limâ leucis omninò viginti) egregiâ moderatione se Præfecturâ abdicavit, Regiam authoritatem suorum posthabens obtrectationi. Illi cum nec Vasconem trahere in suam sententiam & partes potuissent, & novum Proregem aversarentur, deserto Vascone Cuzcum redièrunt aliorũ se accessione stabilituri, *Guamanga* in transitu omnibus tormentis & commeatu, quæ ibi post Didaci de Almagro cladem remãserant, per vim in potestatem redactis. Redux Limam Vasco nihilo quietiorem civitatem invenit, plerisque acerrimè Proregis admissionem oppugnantibus, tandem tamen Vasconis exemplo ut reciperetur, Magistratus evicit. Atque ita Prorex solemnissimâ pompâ Limam introductus, alterâ die Vasconem in communem cum cæteris facinorosis carcerem, nullâ gestæ dignitatis discretione, summâ injuriâ conjecit, præcipiti nimis opinione, quòd eo authore alii Cuzcum discessissent, superatus. Precibus tamen & cautione Magistratûs concessit, ut mox in Regias ædes traduceretur, bonis ejus omnibus fisco adscriptis. Gravem injuriam atrociorem reddidit recens Vasconis modestèque gesta dignitas, quàm quantò celeriùs subvertere

(a) Nombre de Dios portus.

vertere nitebatur, tantò gravius immoderato suo imperio odium concitavit, quod brevi infelici partu enitentur, qui nunc ne supplicare quidem pro moderatione rigoris, certo repulsæ metu, dignantur. Ipse verò non aliud magis curare videbatur, quàm ut novis factis minisque terrorem augeret. Ideò palàm jactabat se Gonsalvi Pizarro cervicem à reliquo corpore revulsurum: ob eandem causam, cùm Limam hoc ferè tempore Auditores advenissent, sigillum Regium equo impositum solemnissimo ritu ad Audientiæ locum deferri curavit: Nec ob aliud paucis pòst diebus Antonium de Solar virum præclarum inauditâ causâ ad laqueum condemnavit, à quo cum vix tandem Archiepiscopi aliorumque magnatum preces eripuerunt, suspendii pœnâ in carceris commutatâ, quam sustinuit duos menses Antonius pedes ferro onustus, nullâ causæ indictione, à quo, cùm reus non probaretur, per Auditores, frustrà obnitente & indignante Prorege, absolvitur, non exiguo natæ pridem inter Proregem ac Auditores simultatis incremento. Tantæ Proregis in Antoniũ indignationis non aliam causam comperio quàm versus pauculos in rigorem ejus cum comminatione invectivos in ædibus Antonii, quas *Guavra* habebat magnificas, utpote totius territorii Dominus, repertos, cum in iis Prorex in Peruviam adveniens hospitaretur.

7. Verùm cùm tot tantisque ferocis animi documentis stabilire auctoritatem nititur, eâ prorsus amissâ omnes ad ultionem excitavit. Plurimi Limâ Cuzcum profugiunt, & Proregis severitatem per se satis odiosam additis commentis execrabiliorem reddunt. Illuc Guamangâ tormenta duxerant, qui primi à Vaseone discesserunt: (a) illuc ex possessionibus, quas in *Chiaqui* juxtà Potosium habebat, advenerat Gonsalvus Pizarro Peruviæ Præfecturæ, sibi ut ajebat, debitæ, inhians: Magistratus incertus primùm

(a) non. prec.

de admissione Proregis consiliis fluctuans, tandem Gonsalvum Procuratorem elegit adjuncto ei Didaco Centeno, quem illuc cum suis querelis miserant habitatores civitatis Argenteæ seu Argyropolis. (b) Hi nomine omnium apud Audientiam Limensem pro moderatione edictorum supplicarent.

(b) de la Plata.

8. Hic primus Gonsalvo publicis tabellis titulus datus: permissum insuper, ut militem conscriberet, pecuniamque ad hoc ex ærario regio, atque defunctorum depositis sumeret. Variæ conscriptioni causæ prætendebantur. A modestioribus hæc, ne ab Indis, quos ex Vilcabambæ montibus Manco Inga frequentibus excursionibus emittebat, pauci opprimerentur: ab aliis ut ipsi Gonsalvo, de cujus capite apud Proregem planè erat decretum, plena esset securitas. Plerique nullâ dissimulatione pronuntiabant militem legi ut violentiam obstinati Proregis armis propulsarent, licitumque fuisse semper vim vi repellere. Gonsalvus celeriter Franciscum de Amendras cum additis militibus occupare omnia itinera jussit, ne rerum, quæ Cuzci gerebantur, nontia Limam deferri possent: Alphonsum de Toro, & mox eo infirmo Franciscum Caravajal veterem militem & Ducem, Legatum exercitus constituit. Vitam penè totam Caravajal in militia egregiâ fortitudinis laude exegerat, (c) sed quam avaritiâ, impietate, & crudelitate fœdavit. Nunc annum agens supra octuagesimum, quartum, cum partis in novo mundo divitiis in Hispaniam cogitabat. Verùm cùm *Arequipæ* ventorum favorem suâ patientiâ diutiùs expectaret, dixisse fertur, *Quando me cæli tenent, terram concutiam.* Et fecisse sanè in sequentibus enarrabimus.

(c) Franciscus Caravajal sub Magno Duce Cordoua militavit, interfuit prœlio Ticinensi in quo Franciscus I. Galliæ Rex captus est, & Romanæ vastationi sub Clemente VII. interfuit in Mexico, &c.

9. Argyropolitani cùm quæ Cuzci agerentur ex literis Magistratûs Cuzcensis didicissent, rogarenturque ut animum in communi causa viresque jungerent, agentibus maximè Luisio de Ribera & Antonio

Alvarez

Alvarez responderunt; *Didacũ Centeno à se missum, ut mandatorum regiorum mitigationem, si posset, rationibus & precibus obtineret, non ut iis jungeretur qui vi & armis illa impedire & repellere missas à Rege ministros niterentur: se hactenus in fide semper Regis perstitisse, & porrò perstituros quacumq; demum fortuna Peruviam agitaret, atque ideo se Didacum Centeno revocare.* Quæ etsi à Magistratu scriberentur non pauci tamen Gonsalvo Pizarro faventes mortem Luisio de Ribera & Antonio Alvarez machinabantur, &, cùm inferre non possent, Cuzcum discesserunt. Magistratus autem acceptis posteà à Prorege literis paruit, & viginti quinque milites sub Duce Luisio de Ribera eidem contra Gonsalvi molimina misit: eodem etiam animo plures se Cuzco Proregi junxerunt, ut jam sexcentos milites cõputaret æquali numero in equites, sclopetarios & Lancearios; distributos. Suspicaci tamen animo nondum de Vascone de Castro securus, eundem capi rursùm cum Petro de Cabrera, Ferdinando Mexia de Gusman, Laurentio de Aldana, (a) Melchiore & Balthasare Ramirez fratribus, omnesque in navem abduci jussit, eorum custodiâ Hieronymo de Zurbano commissâ. Ex his restituto in libertatem Laurentio Petrum de Cabrera & Ferdinandum Mexiam Panamam, Ramirezios fratres in Nicaraguam in exilium misit, servato in nave Vascone, acceptisque in subsidium imminentis belli centies mille pesis, quæ Regi in Hispaniam destinare Vasco parabat.

(a) Laurentius ille de Aldana magnus Ordinis nostri posteà benefactor fuit. Vide infrà lib. 12, ca. 2.

10. Opportunè verò accidit quod Alphonsus de Cazeres & Hieronymus de la Serna binas naves, quas in portu Arequipensi à mercatoribus acceptas Gonsalvus Pizarro militari commeatu instruxerat, corruptis naucleris invaserint deduxerintque in portum Limensem *Callao* duas circiter leucas à civitate Limensi remotum. Iam enim Prorex lætus defunctum se periculo vidit quod anxiè formidabat, potuisset siquidem Gonsalvus salvis navibus facilè in omnem partem commeatum transmittere, occupare naves ex Hispania venientes, impedire ne ullæ illuc nisi suo arbitratu solverent, maria denique portusque omnes reddere infestos: ut nec ipse portus Limensis ab impetu, si inferre vellet, tutus haberetur. Ita continenti imperare solet quicumque maria occupavit.

11. Gonsalvus Pizarro intereà paratis non segniter Cuzci commeatu, armis, ac viginti machinis bellicis, quas campestres vocant, collectisque militibus circiter quingentis speciem publici boni suæ ambitioni prætexens ita suos est allocutus. *Nemini vestrûm ignotum esse arbitror quorum primùm labore, fortitudine, sumptibus amplissima ditissimaq; metallorum terra Regis Hispaniarum imperia fuerint subjecta. Nimis recens est Francisci fratris (ut alios fratres taceam) actuumq; memoria quam ut novâ commemoratione me eam vivaciorem posse reddere sperare possim: ita ejus labores, tolerantia, diligentia, animus, liberalitas, modestia, fidelitas, mors omnium adhuc oculis obversantur. Nihil nunc natis restat Rege in eos, qui nondum has terras viderint, illas transferente. Imminet navarum legum, quibus bona nostris periculis & virtute parta omnibus auferuntur, immitis & nullâ ratione superabilis exactor, ad mortem nisi citò pareamus, designans unumquemque nostrûm, ut à servorum conditione nostra non sit discrepatura. Huic verò ingenuorum ac nobilium animorum vituperio Magistratui Cuzcensi, præcipuisq; ac ferè omnibus visum est occurrere. In eum finem ad Audientiam Limensem Orator mittor, ut ab ea precibus tantillam executionis dilationem, donec novis ex Peruvia literis Rex de legum impossibilitate doceatur, obtineam. Quæ tamen si iteratâ post nostram supplicationem voluntate Regis roborentur, meo exemplo & veneratione docebo, subditorum esse non præscribere sed accipere leges. Ad istum autem, quem videtis, aliqualem belli apparatum nulla nos ambitio, sed inevitabilis*

necessitas

necessitas coëgit, ne vel in itinere inimicorum Indorum impetu, vel Limæ injustâ Proregis violentiâ opprimamur.

12. Accensis hac oratione præsentium animis ac pro eo extrema omnia subire paratis lætâ omnium acclamatione Cuzco excessit, machinis bellicis in Indorum, qui eas ferrent, humeros injectis. Singulis machinis duodeni succollabant: his totidem recentes post centũ passus succedebant, rursumque post simile spatium alii, ut non pauciores sex millibus illâ viginti exiguarum machinarũ vectatione Indi fatigarentur. At verò Gabriel de Royas, Gomesius de Royas superioris nepos, Garzilasus de la Vega, Petrus del Barco, Martinus de Fiorentia, Hieronymus de Soria, Ioãnes de Saavedra, Hieronymus Castilla, Gomesius de Leon, Ludovicus de Leon, Petrus Mangiares; aliique, numero omnes viginti quinque observatis non-obscuris rebellionis, quantumvis eam communis boni larvâ velare Gonsalvus satageret, indiciis, proficiscentem deseruerunt. Idem pari numero mox alii machinabantur, insolens ejus imperiũ aversati. Horum præcipui erant Gaspar de Rojas Petri Anzures Frater, Philippus Gutierez, Arias Maldonado, Frãciscus Maldonado, Petrus de villa Castin. Veniam tamen suę à Rege defectionis cũ Prorege, cujus, utpote hominis nimis-quam severi, fidei se committere non satis tutum arbitrabantur, pacisci priùs voluerunt, delecto ad id missoq; Limam Balthasare de Loaysa Sacerdote, qui non difficulter à Prorege & Audientia pro omnibus veniam impetravit, acceptisq; securitatis literis primâ vesperâ (a) Limâ excedens ad suos in exercitu Gõzalvi festinavit. Nihil quidẽ ipse Limæ circũspectionis intermiserat ut lateret, sed quis mutuæ diffidentiæ tempore omniũ oculos effugiat? Erant siquidem Limæ non pauci partium Gonzalvi studiosi, ne scilicet uno impetu à Prorege, si nullus obsisteret, opprimerentur. Ex his viginti quinque alterius diei summo manè Balthasarem insecuti ad quadragesimum à Lima milliare in hospitio (*tambo* Peruani vocant) dormienti, quotquot reperiebantur, literas abstulerunt, missoque celeriter nuntio, quem omnes sequebantur, ad Gonsalvum præmiserunt. Gõsalvus secretò lectas Francisco Carvajal, aliisque aliquot in fide integris Centurionibus exhibuit, singulorum non magis admiratione quàm furore ad necem omnes deposcente; quam Philippo Gutierez & Ariæ Maldonado, qui Guamangæ rerum in itinere necessariarum causâ substiterant, & Gaspari Rodriguez ducentorum militum ductori omnibus charo in ipso Gonzalvi exercitu illatam invenio cæteris timore incusso. Hæc prima, quæ Gonsalvus sumpsit, supplicia fuerunt, sed semina plurimorum quæ crescente robustâque tyrannide sequentur. Miserat etiam Franciscum Carvajal, qui Balthasarem de Loayla sociumque Ferdinandum de Zavallos, antequàm ad exercitum ducerentur, in viâ strangularet, qui felici ambage ad Gonsalvum periati multitudine intercessorum vitâ donati sunt.

(a) in Septembri anno 1544.

13. Eâdem causâ, quâ Balthasar de Castro ejusque complices (b) ad insequendũ Balthasarem de Loayla Limâ profugerant, Petrus de Puelles Hispalensis veterein Peruvia militiâ clarus *Guanuci* Præfectus, neglecto Proregis imperio, quo ad se militem suum ducere jubebatur, ad Gonsalvum cum equitibus quadraginta, peditibus verò viginti paulò antequàm hæc detegerentur, deflexerat, firmaveratq; non magis tam insigni incremento quàm forti oratione nutantem in proposito Gonzalvum, quem non-parùm Gabriëlis de Royas sociorumque (c) desertio fregerat, ut non pauci arbitrentur Gonzalvum tunc copias fuisse dissoluturum, nisi Petri de Puelles animus robutque opportunè accessisset. Secundo ab adventu Petri die novâ lætitiâ Gonzalvum cumulârunt alii circiter triginta, qui

(b) inter complices principales numerantur, Laurentius Me m, Rodrigo de Salazar, Didacus de Carvajal, Franciscus de Escovedo, Hieronymus de Carvajal, Petrus Martin.

(c) nu. prec.

M

qui à Prorege ad intercludendum Petro de Puelles iter sub Vela Nuñez Proregis fratre missi, cùm conceptam in suum Ducem necem *Illatopa* Centurionis Indi indicio detectam exequi non potuissent, cum mulis, quos ingenti pretio (a) Prorex festinatâ emptione comparaverat, Gonzalvi copias suo numero auxerunt. Tantum obfuit regiis partibus importuni temporis rigor, quem execrabiliorem nova reddidit Proregis sævitia, & destruendæ Limæ inconsultum obstinatumque propositum quæ nunc ordine exequemur.

(a) amplius duodecies mille ducatis.

14. Habitabat Limæ Illandus Suarez de Carvajal Regius Quæstor, vir virtute suâ plurimis acceptus, sed, quod ruinæ causa fuit, iisdem cum Didaco Carvajal, Hieronymo Carvajal & Francisco de Escovedo consanguineis, quos Gonzalvi partes secutos diximus, ædibus. Hunc mox ut nuntium fugæ aliorum ex Didaco de Vrbina sequenti nocte Prorex accepisset, misso ad eum Velâ Nuñez fratre, lecto extrahi & sibi sisti jussit, tanquàm cõsiliorum omnium conscium. Adducto proditionis crimen acribus verbis ingessit: quam injuriam cùm Quæstor non ferret, responderetque se non minoris quàm Proregem esse in Regem fideliratis, Prorex in iram concitatus educto pugione Quæstorem si non percussit, astantibus famulis percutiendi signum & audaciam dedit. Illi namque arreptis, quæ obviàm erant, armis, multis vulneribus, nullo dato confessionis spatio, confossum fœdè trucidârunt. Veritus autem Prorex tam concitatæ non vindictæ sed iræ prorsus in justitiæ ministris indecentis infamiã, & populi, quem non latebat quàm studiosè Illandus pro admissione Proregis laborasset, veritus tumultum si occisum intelligeret, dimissum secretò cadaver in vicino templo humandum per æthiopem famulum curavit. Nox, quâ scelus hoc commissum fuit, notatur decimatertia Septẽbris anni M. D. XLIV. Verùm neque nocturnæ tenebræ, neque quæsitum studiosè secretum satis flagitium celaverunt. Sciebant domestici abductum noctu ad palatium Proregis, mandato Proregis, à Proregis fratre, indè non reddisse. Quare totâ mox civitate cæsum à Prorege magnâ indignatione proclamabatur, adeò ut non tantùm suorum frequenti defectione infelix, sed & civium Limensium vituperio despectus Prorex haberetur: nec audiebatur quidquid in criminationem Quæstoris aut suæ defensionem innocentiæ adferret.

15. Ob hæc pertæsus Limæ, sibi etiam metuens non magis à vicinis Gonzalvi copiis quàm internis civibus, consilium iniit deferendæ Limæ, &, ne quis adventantibus inimicis quibus imparem se tot suorum defectionibus videbat, commeatus esset super, destruẽdæ, translatis Trujillum civibus. Quod Proregis propositum cùm allatis seriò rationibus Auditores dissipare non potuissent, palàm obstiterunt, negãtes se aliò Audientiam, nisi regio mandato pressos, translaturos: tandemq; Proregem armatâ manu adigere illos ad transmigrandum volentem ipsi favore populi fortiores ceperunt XIV. Kalendas Octobreis (b) anno M. D. XLIV. impositumque tati in Insulam portui Limensi vicinam trãstulerunt curâ custodiæ Licenciato Alvarez ex Auditoribus uni cõmisâ. Causa eum in Insulam transferendi fuit non Auditorum odium vel insolentia, sed, ne facilè aut Gonsalvi Pizarri, aut Illandi Quæstoris amicorum injuriæ aut cædi pateret, quam suâ occasione non fuisse hoc rerum statu illatam quàm ægrè in Hispania à se amoliri possent, manifestè verebantur. Proregis captivitatem nonnulli ægrè tulerunt: at verò Alphonsus de Montemayor, Paulus de Meneses, Alphonsus de Cazeres, Alphonsus de Barrionuevo fœdus ineunt liberandi, statuuntque exequi propositum, si aliter non possent,

(b) 18. Septem. die.

possent, vel cæde Auditorum: sed cōjuratione immaturè, detectâ probataque, exulare Peruvia jussi sunt. Libertatem tamen, quam vis non potuit, studium adulandi dedit, Licentiatus siquidem Alvarez, qui cæteris ferventiùs consilia antè capti vandi Proregis agitaverat, cuique jam captivus fuerat creditus, multis in aliorum criminationem & sui excusationem parùm ingenuè commemoratis, exoratâ etiam præteritorum errorum veniâ, se aliosque decem ad securiorem Proregis custodiam à cæteris Auditoribus adjunctos ac navem illi subjecit.

16. Dum hæc in Insula agerentur, qui in Vrbe remanserant Auditores ad Gonzalvum Pizarrum Regiæ Majestatis nomine scribenda censuerunt hæc ferè capita, *Se à Rege in Peruviam missos ut quidquid ad justitiam quietemq; patriæ facere videretur, administrarent, se libellos supplices pro regiarum legum suspensione admisisse distulisseq; executionem, Proregem insuper captivum in Hispaniam, adjuncto Auditore qui quid in Peruvia agatur, Regem sedulò doceat, remisisse, ideoq; amplius jam factum quàm fuerit pro bono tranquillitateq; publica ullius querelis petitum: præcipere itaque se ut quamprimùm exercitum dimittat, sine illo urbem ingredi fas esse, permitti etiam, si vim ullam timeat, ad corporis rerumq; secum allatarum securitatem quindecim viginti ve.*

17. Scriptas verò tabellas qui ad Gonzalvum ferre auderet, reperiebatur nemo. Tandem id Augustino de Zarata Auditori commissum securiùs à cæteris, quàm ab illo factum. Gonzalvus quippe Pizarro legationis ad se venturæ certior factus, ne adventu ejus in anhelante ad Limensis Vrbis prædam exercitu tumultus cieretur, venienti obviam ex *Xauxa* (ubi tunc castra metabatur) Hieronymum de Villegas Centurionem cum militibus XXX. misit. Hic Augustinum, ablatis ab eo literis, incussoque non levi mortis timore captivum in *Pariacaca*, donec illuc Gonzalvus adveniret, detinuit. Gonzalvus audito Augustino pro Regia anthoritate & bono publico orante non aliud respondit, diceret collegis Auditoribus *sibi Peruviæ Præfecturam, si illæsam Regiam Majestatem, si salvam patriam vellent, conferrent; si abnuant, se daturum civitatem ferro & igne vastandam.*

18. Quibus per Augustinum de Zarata ad collegas Auditores perlatis non obscurè intellexerunt Gonzalvum dejectâ Procuratoris, quo titulo & militem scribere & petere Limam putabatur (a) larvâ, Peruviæ imperium adfectare, ipsamque jam remedium morbo esse periculosius. Responderunt tamen Conciliorum morem esse non aliter quàm scripto atque ad supplicationes scripto oblatas quidquam decidere. Quo intellecto accurrerunt mox Limam Civitatum, qui Gonzalvi castra sequebantur, Procuratores, exhibitoque libello petiverunt *ut ad patriæ salutem Peruviæ Præfectura Gonzalvo decerneretur.* Auditores cùm nec, quod petebatur, licitum sibi viderent concedere, nec recusare vicino cum exercitu Gonzalvo; qui jam non ampliùs leucâ ab urbe castra collocârat, possent, convocatis celeriter Hieronymo de Loaysa ex Ordine Dominicanorum Archiepiscopo Limensi, Ioanne Solano Episcopo Cuzcensi, Garciâ Dias Episcopo Quitensi, Thomâ de S. Martino Dominicanorum Præfecto Provinciali, aliisque regiis ministris, quid in re tam ancipiti & periculosa statuendum judicarent, consuluerunt, non tam, quid respondendum foret, ambiguitare, nam præsens vis omnia consilia excluserat, sed, ut plures oppressionis testes suâ signaturâ irrevocabiles haberent, prudenti cautione.

(a) num. 7.

19. Gonsalvus intereà propiùs civitati copias duxit aberatque ab ea jam non nisi uno leucæ quadrante, ubi, cùm differri Præfecturæ suæ tabellas videret, exercitum explicavit, machinas bellicas disposuit, Franciscum Carvajal sui exercitus Præfectū quaquaversum discurrere

atque obvios captivare nocte sequente jussit. Cepit autem ex his, qui Cuzco ad Proregem fugerant, vigintiocto, eosque communi civitatis, quam vi occupabat, carceri mancipavit, nullâ conditionis, quâ erant omnes principali, consideratione. Præcellebant tamen inter illos Gabriel de Royas, Garzilasus de la Vega, Melchior Verdugo, Licentiatus Carvajal, Alphonsus de Caçeres, Petrus de Manjares, Luisius de Leon, Antonius Ruiz de Guevara, Petrus de Barco, Martinus de Florentia, Ioannes de Saavedra. (a) Alterâ die manè nonnulli Gonzalvi Centuriones civitatem ingressi minabantur Auditoribus, nisi citissimè tabellæ darentur, eam mox insolentiæ militari concedendam. Et, ne inanes minæ haberentur, quatuor ex carcere videlicet Luisium de Leon, Martinum de Florentia, Petrum del Barco, Ioannem de Saavedra extractos Franciscus Carvajal ad extremum supplicium trusit, & attulit tribus posterioribus indignâ insultatione exobvia ad civitatis portas arbore suspensis, ut congruentem suæ tyrannidi arcum triumphalem Gonsalvus intraturus haberet. Primo precibus fratris in Gonzalvi castris militâtis vita concessa. Omnis nunc tergiversatio nõ modò inutilis sed & nociva erat. Quapropter ab Auditoribus ex consilio cæterorum expeditæ & regio sigillo signatæ tabellæ sunt. *Gonzalvus Peruvia Præfecturam, quoad Regi videretur, administraret; eandem Rege volente dimitteret; sponsorem daret Limæ se habitaturum, subiturumq́, si quis adversus eum querelas deferret, Auditorum judicia.*

(a) num. 12.

20. Tabellis ad Gonzalvum perlatis, ille ovanti similis in civitatem cum exercitu, qui non minori quàm mille ducentorum militum numero constabat, ingressus est deficiente Octobri anno M. D. XLIV. die à Proregis captivitate trigesimo. Mox ab ingressu quæsitis Auditoribus juramentum præstitit deditque sponsionem, Francisco Caravajal interim milites per civium domos, imperato victu, distribuente. Ex quo tempore Gonzalvus belli administrationem, civilibus causis Audientiæ permissis, orsus est, & pauló pòst Alphonsum de Toro Cuzco, Petrum de Fuentes Arequipæ, & Franciscum de Almendras Argyropoli (b) præfecit. Qui verò Cuzco, Chuquisacâ, Argyropoli pauló antè, ut Proregi se jungerent, discesserant, cùm per ambages & vias invias magnis difficultatibus Limæ appropinquarent, translatam à Prorege in Gonzalvum felicitatẽ atque omnia desperationi proximâ invenientes in varios adfectus abierunt. Nonnulli, quòd extremæ fortunæ solum hoc solatium superesse judicarent, Gonzalvi arbitrio se dediderunt, vitamque consecuti sunt bonis omnibus spoliati. Alii in montes confugerunt de barbarorum minùs quàm de Christianorum atq; popularium feritate solliciti. Fuerunt etiam qui in summâ hac desperatione pertinaciter Proregem sequerẽtur. Tam nullis malis fatigatur fidelis & conscius recti animus.

(b) Villa de plata.

21. Et appulerat certè navi à Licentiato Alvarez acceptâ cum ipso Alvarez paucisque comitibus in portum *Tumbez* Prorex, & vel solâ miseriarum cõmemoratione Tumbensium vicinorumque animos alliciebat. Satagebat insuper missis Quitum, Portum-veterem (c) Michaëlipolim, (d) in Bracamoros Centurionibus literisque debiti in Regem obsequii monere hortarique ut adessent sibi Regi rebelles castigaturo. In quem etiam finẽ debitam Regi pecuniam sibi numerari jussit. Et parebatur in omnibus, nec illubenter, ut non infelicia putarentur reparandæ fortunæ exordia, nisi fuga Proregis ex levi nimis metu orta ea mox dissipasset. Etenim Gonzalvus rerum omnium, quæ in Tumbez agebantur, certior factus non segniter instabat, ut Regis aurem misso in Hispaniam Legato præoccuparet, non ignarus quanto proscriptionis periculo exponeretur,

(c) Porto viejo
(d) San Miguel.

tur, vel Licentiatus Vasco de Castro, qui è portu Limensi corruptis aut conciliaris sibi nautis & custodibus, acceptâque in qua captivus tenebatur, navi Panamam solverat, vel aliquis amicorum Proregis illuc prævenisset: posse autem sibi Præfecturam stabilire si præsens Peruviæ status in suum ibi favorem narraretur: parum interesse in humanis ritè an perperam quippiam factum sit, si pro virtute altis audaci oratore persuaderi possit: scelera ipsa successu honesta reputari.

22. Variis conventibus super rebus in Hispania nuntiandis, super personâ Oratoris habitis designatus Liso de Tejada est ex Auditorum collegio. In quo uno duo suæ ambitioni non-parum opportuna Gonsalvus mente designabat, in Hispania authoritatem Auditoris pro ejus causa dictori; in Peruvia dissipationem, cum luberet Audientiæ, in qua soli restabant Cepeda & (a) num. 1. Zarate (a) facile oppressioni obnoxii si separarentur. Nam Licentiatum Alvarez Proregis fortunam (b) num. 15. secutum narravimus. (b) Adjunctus Lisoni de Tejada est Franciscus Maldonado Gonsalvi partibus impensè addictus. Hos navi, in qua Vasco de Castro custoditi adhuc putabatur, in Hispaniam veheret crudelis, impius & in Deum divosque blasphemus Bachicao. Ille cum in portu Limensi, Callao nomine, nullam reperisset navim, intelligeretque Vasconis de Castro fugam, horum narratione rediens vehementissimè Gonzalvum concitavit, tùm quod legationi suæ tàm desideratæ injectam remoram cerneret, tùm quod Vasconis molimini favisse è suis aliquos suspicaretur. Et carceri mancipabantur indiscriminatim omnes, in quoscumque suspicio ferebatur, & Licentiatus (c) num 14. Carvajal Illandi Quæstoris (c) frater, quem nuper ad Gonzalvum defectio atque injuria fratri à Prorege fœdo homicidio illata securum reddere potuisset, vix precibus multorum mortem evasit.

23. Intereà in portum Limensem navis Arequipâ appulit ad festinationem legationis, quam Gonzalvus paraverat, oppidò opportuna; refectæ tumultuario opere aliæ duæ, datæque Bachicao ut Auditorem Tejada Franciscumque Maldonado Hispaniæ traderet. Navibus Bachicao non magis ad defensionem quàm ad res novas, si se occasio offerret, agendas milites sexaginta imposuit, delatusq; quodam manè in portum Tumbensem, quòd Gonzalvus eum omnibus copiis adesse putaretur, tantâ consternatione Proregem confudit, ut nullâ de rei veritate inquisitione factâ, nullâ tentatâ defensione, cum centum quinquaginta, quos secum duxit, militibus, parùm certè decorè, Quirum fugerit. Naves duæ in portu Tumbensi inventæ sine cæde aut sanguine venêre in Bachicao potestatem, quique residui erant homines ultrò se illi, cui resistere à Prorege deserti non poterant, tradiderunt. Atque ita auctus animo simul ac navium militumque (hos centum quinquaginta computabat) numero etiam Panamam simulatione pacis & innoxii sui adventus promissione occupavit, & oppressâ mox Magistratus authoritate tyrannidem exercens in bona pro libitu involabat, in homines sæviebat. Vasco autem de Castro, qui hactenus Panamæ se navemque reparabat, ejus metuens adventum, celeri profectione ac relictis Panamæ, quæ secum vexerat, bellicis tormentis, discesserat Nomen-Dei. (d) Indè resumptâ per mare Septemtrionale navigatione in *Azores* insulas delatus, tandem declinatâ studio Hispali, (e) ubi ob Ioannem Tello Didaci de Almagro junioris rebellioni faventem atque ideò occidi à se in Peruvia jussum inimicitias verebatur, aut vereri se simulabat, per Lisbonam in aulam venit, dictaque illi causâ ad quinquennium detentus, tandemque absolutus in fidelis felicisque in Peruvia administrationis mercedem Commendam

(d) Nombre de Dios, civitas est & portus ad Septemtrionale Isthmi inter duo Maria interjecti latus.

(e) Sevilie.

mendam Palomas Ordinis Sancti Iacobi & vigesies novem mille ducatos in singulos annos accepit; assignatis insuper vigesies mille Ducatis ejus filio Antonio, Petroque altero filio natu minori diversis gradibus ad Audientiam primùm Vallesoletanam, ad Præsidentiam deinde Granatensem tandemque ad Archiepiscopatum promoto. Circa hæc etiam tempora in Hispaniam appulêre Franciscus Maldonado, Augustino de Tejada in itinere extincto, & Didacus Alvarez de Queto Proregi ductâ ejus sororeattinis, acceptisque celeriter equis in Germaniam ad Carolum V. Cæsarem & Hispaniæ Regem uterque festinavit, hic (a) pro Prorege, ille (b) pro Gonzalvo Pizarro oraturus.

(a) Didacus Alvarez (b) Franciscus Maldonado.

24. Prorex autem cum centum quinquaginta suis Quitū post longa incommodaque itinera perveniens humanissimè à civibus acceptus est, ac soli fertilitate delectatus statuit ibidem morari suos ad ducentorum numerum aucturus. Hîc opportunè Proregi junctus est Franciscus Ferdinandus Giron Pasto adveniēs, quem posteà rebellio & infelix factum famosum reddent. Et quia eum toto hoc itinere secutus fuerat Alvarez Auditor facto novo sigillo quælibet nomine Regio velut per Audientiam expediebat: quod idem per Auditorem Cepeda faciebat Gonzalvus, ut non rarò contraria nomine Regis mandarentur. Accidit ut quatuor milites Gonsalvi injuriâ irritati ad Proregem fugâ delapsi Gonzalvi crudelitatem avaritiamque multis criminarentur, ideoque eum omnibus non invisum modò sed execrabilem esse, quærere occasionem excutiendi tyrannidis intolerabilis jugum, solumque desiderari cujus id patrocinio exequi possint. Hæc Proregi mutandæ mentis causa fuêre, ut qui subsistere Quiti proposuerat, Michaëlipolim quinto latitudinis Australis gradu Quito dissitam contenderit. Hîc, si qui à Gonzalvo deficerent, celeriùs securiusque recipi posse; hîc quotquot ex Hispania seu Europæa seu Mexicana aut aliis Indiæ Occidentalis partibus in Peruviam milites contenderent, posse detineri; hîc instrui posse classem, quâ mari dominentur omnemque hostibus seu in Hispaniam ituris seu inde redituris transitum præcludant. Neque consilium successus fefellit, brevi enim quingentos milites computavit non indecorè armatos, arma & commeatum præparavit.

25. Quæ cum celeriter Gonzalvo Pizarro à Gonzalvo Dias de Pineda & Hieronymo de Villegas Centurionibus, qui Michaëlipoli advenienie Prorege ejus copias formidantes cum militibus circiter octuaginta cesserant, nuntiarentur, Pizarrus, expensis non otiosè rationum dictarum momentis, veritus, ne nimiis incrementis commearuum copiarumque, nisi tam fortunata exordia turbarentur, Prorex roboraretur, timensque etiam, si sinistra sibi ex Hispania à Rege mandata adferrentur, exercitûs sui dissipationem, proficisci contra Proregem præmissis Trujillum impedimentis statuit, eumque aut loco tam opportuno depellere, aut, si resistere auderet, ad prælium lacessere nondum milite satis firmatum.

26. Solvit è portu Limensi Pizarrus mense Martio anno M. D. XLV. & recens receptâ à Prætore Arequipensi pecuniâ & præcipuorum omnium comitatu tantùm non ad blasphemiam tumidus, relicto Limæ Vicario Laurentio de Aldana viro potente prudenteque, quem opulentissimis fundationibus illustrem posteà dicemus (c) Auditorem Cepeda cum regio sigillo secum ire jussit, atque ita, remanente dumtaxat Limæ Auditore Zarate eoque infirmo, Audientiam extinxit. *Santam* primùm appulit ibique exercitum exposuit, deinde per Trujillum profectus *Colliquam* ibi eum lustravit, rebusque necessa-

(c) lib. 12. cap. 2.

tiis

riis licèt magnis incommodis in locis utpote ad viginti duas leucas arenosis, sterilibus, & inaquosis, instruxit. Tum emissis per desertum, quod ibi latè patet, equitibus viginti quinque Proregem opinione appropinquantis eodem itinere exercitûs fallere fategit, ipse quâdam declinatione Michaëlipolim properaturus. Verùm per exploratores omnium certior factus Prorex signo dato milites in armis esse jubet, eosdem ex oppido contra advenientem hostem quasi prælio eum periturus educit. Non ignorans tamen etsi numero non admodùm utrimque discreparent, suos tamen à Gonzalvi militibus militari industriâ experientiaque, armis, ac pulveris bonitate longè superari, judicansque proptereà non posse se sine culpanda temeritate suam suorumque fortunam certamini tam inæquali committere, aliò per montana *Caxas* deflexit, continuisque itineribus Quitum contendit, plurimos, qui festinationi fugæ laboribusque, utpote tyrones, impares erant, in via deserere coactus, qui in sequentis celeriter Gonzalvi potestatem venerunt, ex quibus, quos lubuit, suspendio necavit, reliquos, quò ire vellent, dimisit, nemine inter suos adscripto, arbitratus nec illos fideles, & suos nimisquàm potentes ad delendum Proregis debilem exercitû futuros. In *Ayabaca* persequi Proregê destitit miseratione suorû quos difficillima longissimaq; quinquaginta leucarû itinera fregerant, ac diffidentiâ assequendi præcedentem: tùm quòd Proregem proditione suorum, quos ad id maximis promissis & impunitate sollicitaverat, trucidandum speraret. Verùm Prorex detectam proditionem cæde authorum suppressit, pergensque Quitum sensit hostem refectis corporibus ferociùs insequentem, quàm ut diu subsistere posset. Pizarrus autem omni præsidio vacuam civitatem cum quinquaginta supra septingentos militibus intravit, Proregemque *Pastum* (*a*) usque secutus cùm profugisse (a) Pasto. eum *Popayam* (*b*) intelligeret, Quitum (b) Popajan. reversus de hoste securus, omni luxui & luxuriæ, in quam erat naturâ & consuetudine pronissimus, genere defluxit. Suâ insuper prosperitate ac militum multitudine insolescens jactare non erubuit non ausurum Hispaniæ Regem alium, quàm se Peruviæ Præfectum nominare; & se, si fortè alium nominasset, armis obstiturum: ut scilicet blandientis fortunæ, quam robustissima licèt pectora vix unquàm innocuè admittunt, à debita Regi veneratione & obsequio dejectus.

27. Dùm hæc Quiti ac in viciniâ agerentur non uno in loco contra Gonzalvum Pizarrum ejusque socios tumultuarum fuit, sed ferè una ex causa, tyrannide scilicet, & natâ ex ea oppressione. Laurentii tamen de Aldana seu modestiâ seu dissimulatione factum ut qui Limæ Proregis partes superare volebant non nimiùm insolescerent, neque adversarii nimiùm sævirent. Acriùs verò Argyropolitanos Francisci de Almendras, quem Præfectum civitatis Gonzalvus Pizarro constituerat, immodestia & crudelitas concitavit, præsertim autem cum Gomesium de Luda præcipuum inter eos potentissimumque non aliam ob causam, quàm quod inter privatos parietes dixisse ferretur impossibile esse non aliquando Regem suos in Peruvia proditores superaturum, nullis pro eo Magistratus precibus admissis in carcere strangulasset, elatumque sequenti die in forum cadaver, quasi in opprobrium civium, decapitasset. Huic præcipuâ amicitiâ jungebatur Didacus Centeno ex Ferdinando Centeno Mitobricæ (*c*) in finibus Castellæ Veteris natus non minùs humanitate, liberalitate, fortitudine aliisq; variis virtutibus quàm opibus insignis. (c) Ciudad Rodrigo. Qui communicatis cum Lupo de Mendoza, Alphonso Perez de Esquivel, Alphonso de Camargo, Ferdinando Nuñez de Segura, Ioanne

Ortiz de Sarate Lupo de Mendieta aliisque paucis, consiliis tantam omnibus illatam contumeliam ulcisci, & fugatam Regis authoritatem statuit revocare. Vtriusque (a) exordium à cæde Francisci de Almendras sumpsit, simili ferè, quo ipse in Gomesium de Luda sævierat, spectaculo, nam aliquot pugionis ictibus confossum publico in foro capite plexit, velut proditionis in Regem reum. Post hæc conscriptis copiis variâ fortunâ cum Alphonso primum de Toro Cuzci Præfecto pugnavit, donec dispersis per Franciscum de Caravajal, quem contra eum Gonzalvus Pizarrus Quito miserat, ejus copiis, abdere se cavernis montium fuerit coactus, ubi beneficio Cazicæ nutritus ad adventum Præsidis Gascę delituit.

(a) Vindiciæ & vindicationis Regiæ authoritatis.

28. Intereà Prorex *Popaya* restituendę fortunæ non segniter intentus, missis quaquaversum Centurionibus nuntiisque conscribendis militibus & pecuniis, quæ fuerunt semper suntque fortissimi bellorum nervi, operam dedit congregandis. Ioannes de Yllanes Panamam profectus qui militum sacramenta susciperet, & cum opinione Proregis tardiùs munus perficeret, eum Velam Noñez fratrem sequi jussit. Adversâ utrumque fortunâ, nam hic (b) in potestatem Petri Alphonsi de Hinojosa in itinere venit: ab illo (c) idem Hinojosa Panamæ receptus omnes diverrit. Feliciùs vero *Popaya* Præfectum Benalcazar, & Ioannem Cabrera egregium belli Ducem cum militibus omninò centum perstraxit; ac missis in novum Granatense regnum & Cartagenam literis plures indè accepit. Nummos, quotquot *Carthagena, Cali, Ancermæ,* (d) *Antiochia* (e) pro Rege servabantur, ad se deferri jussit, corrasitque septuaginta quatuor florenorum millia. Cumque fratris Velæ & Ioannes de Yllanes infortuniis omnis aliorum auxiliorum spes esset absumpta, ne morâ hostisve sollicitatione, quos secum habebat, milites diffluerent, ad prælium totus exarsit.

(b) Vela Nuñez.
(c) Ioanne de Yllanes.
(d) S. Ana de Ancerma.
(e) S. Fe del Antiochia.

29. Gonsalvi etiam Pizarri hæ unæ & insomnes curæ erant ut Proregem solum fortunæ suæ & securitatis obstaculum quocumque modo è medio tolleret. Præsens quidem Proregis status eum omni formidine liberabat, sed crescere amicis & viribus poterat, Regis item voluntas ex Hispania adferri manifestior, quæ proculdubio multorum animos concuteret, fortuna ipsa favoris diuturnitate & magnitudine fatigari solet. Quare quem per longissima spatia insequendo capere non potuerat, fallere necessarii discessus simulatione decrevit. Didacum Centeno diximus Argyropolim totamque Provinciam *Charcas* ad arma adversùm Gonzalvum Pizarrũ concitasse. Horum nuntia simulandi abitûs occasio fuêre. Miserat ad tumultus illos sedandos Franciscum de Caravajal, sed ut illius auxiliis majores esse viderentur, etiam se illuc profecturum finxit, adeòque duplici, & absentiæ videlicet suæ & majorum vero virium, quæ cum Centeno essent, fraude Proregem decepit. Copias ęqualiter in duas partes distribuit, remanentibus Quiti Petrum de Puelles præfecit, alias secum eduxit, sedulò curans ut cuncta per literas exploratoresque in Proregis notitiam pervenirent. Prorex doli ignarus occasione absentis Pizarri utendum ratus mox *Popayâ* Quitum movit, & Oravali duodecimo à civitate Quitensi miliario substitit. Gonsalvus verò de fraudis successu lætus festinantissimè Quitum copias reduxit, ubi omnium lustro instituto computavit equites centum triginta sub Petro de Puelles & Gomesio Alvarado Centurionibus: pedites quingentos quinquaginta expeditos omnes & armis instructissimos. His præerat Ioannes de Acosta, Ioannes Velez de Guevara, Ferdinandus Bachicao, & Benedictus Suarez de Caravajal

Certior

Certior porrò factus ad secundum à civitate lapidem accessisse Proregem ac castra juxta fluvium metatum, obviam illi copias eduxit XVIII. Kalendas Ianuarii (a) anni M. D. XLVI. castris ita vicinè locatis, ut mutuò proditoris opprobrium objicere possent & audire. Arbitratus autem Protex non paucos tyrannidis Pizarri pertæsos ad se accessuros si Quitum occuparet, desertis noctu castris, relictisque, qui ignium in eis exstructione integrorum speciem ostentarent, Indis, Quitum primo manè intravit, idem ab insequente & potentiore Gonzalvo mox relinquere coactus, firmissimè tamen & quasi de victoria certus intrepidè statuit cum hoste confligere. Toti sub illo exercitui imperabat Ioannes Cabrera: singulis equitum cohortibus Cepeda & Basan; peditum verò Sancius Sanchez de Avila. Franciscus Ferdinandus Giron, Petrus de Heredia & Rodericius Nuñez de Bonilla. Regium vexillum ferebat Alphonsus de Montemaior. A quibus rogatus ne pro animi promptitudine, quæ singularis notabatur, in prima acie confligeret suoque periculo omnium fortunam in discrimen evidens vocaret, sed acceptis secum equitibus quindecim in postrema vigilaret, cui opportuniùs cornu suppetias ferret; ipse nihilominus tatus suis, qui nullâ numeri æqualitate (non enim erant plures trecentis triginta) essent congressuri, animos esse verbis & exemplo addendos, brevi oratione suos affatus primus cum Alphonso & Basan in hostem procurrit. Fervebat utrimque pugna, & ruptis lanceis, cominùs gladiis, securibus, & malleis certabatur. In primo congressu Protex, Montalvo à se cæso, à Ferdinando de Tores bipenni in capite ictus atque ex equo dejectus, suorum, qui ubique furentibus similes in hostem ferebantur, animos non parùm labefactavit. Prudentiùs Gonzalvus suotum consilio cum aliquot equitibus in postremâ acie stetit, egitque ut nullâ parte sui dejicerentur, econtrà verò hostem magnâ illius, exiguâ suorum clade loco pelleret. Benedictus Suarez de Caravajal Illandi Zuarez de Caravajal Quæstoris, quem impotenter à Prorege trucidatum diximus, (b) frater, vindictæ magis cupidus, quàm Gonzalvi, à quo morti nullâ legitimâ causâ adjudicatus vix eam multorum precibus effugerat, studiosus, sagaci oculo Protegem investigabat, inventoque atque post priùs vulnus adhuc spiranti caput amputavit, nullâ victoriæ parte, quam vindictæ satietate lætior. Desiderati in hoc certamine ex Gonzalvi militibus non plures septem: ex Proregis plùs minùs ducenti, & inter eos Ioannes Cabrera & Sancius Sanchez de Avila viri fortissimi. Læsi utrimque plurimi. Proregis caput Petrus de Puelles & Benedictus Zuarez de Caravajal fori Limensis patibulo imposuerunt: quâ ignominiam idem Petrus à Roderleio de Salaçar posteà confossus sustinere coactus est, capite ejus in eodem patibulo collocato. Modestior certè clementiorque Gonzalvus fuit, qui junctum capiti corpus insigni pompâ funebri ipse lugubri veste indutus in principali Ecclesia sequenti die (c) humari jussit. Velam etiam Nuñez Proregis fratrem ad se per Centurionem Alarcon evocatum, libertatique restitutum humaniter apud se habuit. Paucis (d) in crucem actis cæteris venia data, quos etiam ad obsequia sua assumpsit. Alphonsum tamen de Montemaior, Rodericium Nuñez de Bonilla aliosque octo, quibus ob constantissimum erga Proregem adfectum fidendum non rebatur, in Chilen ablegavit, curâ illuc deducendorum Antonio de Vlloa commissâ, sed qui admirabili sestratagemate in libertatem asseruerunt.

30. Decretum apud Patres Augustinianos erat hoc anno M. D. XLVI. primos in Peruviam

(a) 15. Ianuarii.

(b) hoc cap. num. 14.

(c) 19. Ianuarii 1546.

(d) Iundecim.

Ordinis sui Apostolos destinare. Dilatæ autem profectionis causas, tempusque, quo ingressi sunt, alibi (*a*) opportuniùs exequemur.

(*a*) lib.4. cap.2.

CAPVT IV.

Gonzalvi Pizarri tyrannis, clades, mors. Licentiati Petri de Gasca Præfectura & victoria.



1. PRORECE cæso dissiparoque omni hostili exercitu, omni nunc metu liber ebriusque tot fortunæ blandimentis Gonzalvus, ut curas minueret voluptatibus, quibus, dedere se proponebat, inimicas, magnam exercitus partem dispersit, nonnullis cum Benalcazar Popayæ Præfecto, aliis cum Antonio de Vlloa Centurione in Chilen in subsidium Petri de Valdivia, aliis aliò missis. Ipse quingentos apud se detinuit, quibus & defenderetur, si casus ingruisset, abundè, & quorum fidelitate exuere omni se anxietate posset. Semestre igitur, id est tempus omne à decimo octavo Ianuarii die, quo supremâ clade interiit Prorex, ad medium Iulium illius anni (*b*) conviviis, lusibus, venere absumpsit. Post hæc Limam proficisci statuit, an majori de Laurentio de Aldana, vel de Francisco de Caravajal diffidentiâ, an insolenti Regii tituli ambitione, incertum. Laurentii certè magna erat Limæ potentia authoritasque adfectu civium stabilita: in nupero Limensi tumultu (*c*) nihil pro Gonzalvo, nihil contra Regem egerat: atque ob id plures fortesque ad Gonzalvum de eo querelæ fuerant delatæ, non illo quidem effectu, ut Laurentium aut vitâ, aut bonis, aut officio vicariæ administrationis privaret, quorum singula contra eum committere videbat illo tempore periculi esse plenissimum; isto tamen ut tyranni animum anxietate, ne ejus, si vellet, ductu civitatem Peruviæ maximè necessariam amitteret, flagellaret.

(*b*) 1546.

(*c*) cap. præc. nu. 27.

2. Nec minùs Francisci de Caravajal, quem adversùs Didaci de Centeno molimina miserat ingenti continnâque felicitate in tanta locorum distantia, quâ Provinciæ Argyropoli (*d*) vicinæ Quito semoventur, cruciabatur, perpetuâ scilicet Principum maximè verò Tyrannorum calamitate, ut iis non minùs molesta sit nimia suorum ministrorum prosperitas quàm magnæ clades. Fregerat autem Franciscus de Caravajal Didaci Centeno vires, & in speluncam compulerat. (*e*) Lupum de Mendoza perdito Centeno fugitivum & in itinere copiis, quas à fluvio-argenteo (*f*) ducebat Petrus de Heredia, auctum, bellaque fortiter reparantem extinxerat, ipsis Lupo de Mendoça & Petro de Heredia decollatis. Cōspirationes adversus se initas detexerat, & pœnarum in authores Luisium Pardomo, Alphonsum de Camargo aliosque duodecim, quos in quatuor partes concîdi jusserat cęteris in exilium actis, crudelitate adeò compresserat ut nulli animus in posterum nocendi superesset. Et ut faventis fortunæ in hominem improbissimum pervicaciam mireris, ditissimum totius Orbis argenteo montem Potosium illo tempore (*g*) detexit, ut mox in Francisci de Caravajal, qui cuncta pro arbitrio in potestatem redigebat, census accederet. Adeò ut tam potentem & tot fortunæ bonis superbum ministrum non immeritò tyrannus timeret secuturum, quò ipse exemplo perfidiæ præcesserat.

(*d*) Villa de la Plata.

(*e*) cap. præ. num. 27.

(*f*) Rio de la Plata.

(*g*) anno scilicet 1545. quæ autem de Francisco de Caravajal hic scribimus, anno 1546. acciderunt. De montis Potosii divitiis vide infra lib. 16. ca. 4.

3. Atque ut tertiam quoque mutandi

mutandi loci causam libemus, Gōzalvus spe sua, &, ut putabat, debito Regis Hispaniarum, sibi totum Peruanum imperium adscripserat. Hujus capescendi nullus Limâ locus opportunior judicabatur. Petro igitur de Puelles, cujus fidelitatem non uno experimento didicerat, Quiti Præfecto constituto, additis ei militibus trecentis, Iter est aggressus. Cum Michaëlipolim pervenisset, in *Carrotbabamba* munitionem exstrui jussit pacandæ patriæ obtentu magis quàm necessitate: reipsâ verò, ut Petro de Puelles, si quod periculum ingrueret, presto ad suppetias esset. Huic Centurionem Mercadillo præfecit, subjecitque milites centum triginta. Centurioni Porzel præcepit, iter in Bracamoros cum sexaginta militibus ut prosequeretur. Ipse per Trujillum Limam contendit. Recipiendi in civitatem Pizarri non eadem omnium sententia fuit, aliis alios modos decernentibus. Erant qui vellent eum sub throno, Regum, alii dejectis aliquot domibus viâ factâ veterum triumphantium more introduci. Ipse autem Benedicti Zuarez de Catavajal consilium secutus eques intravit, circumequitantibus hinc inde Archi-Episcopo Limensi, Cuzcensi, Quitensi, Bogotensi (a) Episcopis. Centuriones equos pedites ducebant: Laurentius de Aldana Magistratusque pari humilitate sequebantur. Notatus fuit ex hoc tempore nemini pileum deposuisse; nulli concessisse, ut se presente assideret: asperiùs solito fuisse locutum, magnâ plurimorum irritatione tunc quidem metu potentiæ suppressâ, sed per occasionem paulo post prodendâ.

(a) Santa Fe de la Bogota.

4. Didacum Alvarez de Queto & Franciscum Maldonado diximus, mox ut in Hispaniam appulecant, citatis equis in Germaniam, ubi tunc Cæsar Religionis negotiis distinebatur, provolasse. (b) Ille in Proregis, hic Pizarri favorem statum R. Peruviæ exposuit, uterque adhuc inscius supremi Proregis fati. Cæsar tàm variâ imò tàm contrariâ relatione fluctuans quid potissimùm in adflictissimis Peruviæ rebus statuendum esset, inter varia consilia decrevit misso illuc Petro de Gasca notæ prudentiæ, modestiæ, ac magnanimitatis viro Gonzalvi animum oblatâ præteritorum veniâ ad obsequia revocare. Ad hoc ampla illi potestas data. Hanc omnibus manifestam voluit: addidit aliam secretiorem, si pervicaciter Gonzalvus aliusve resisteret, conscribendi militem & compellendi armatâ manu, quò duci clementiâ nollent. Profecturo titulum Præsidis Audientiæ Peruanæ dedit, quo deinceps compellabitur.

(b) cap præc. num. 23.

5. Ita instructus Præses nullâ tergiversatione solis domesticis comitatus mense Maio anni M. D. XLVI. ex Hispania solvens, cum vicina Nomini-Dei (c) in mari Septemtrionali litora legeret, emisso in terram Alphonso de Alvarado, qui ex Hispania in Peruviam redibat, adventum suum adventusque causam significari incolis jussit. Loco præerat Ferdinandus Mexia de Gusman cum centum octuaginta viris à Petro Alphonso de Hinojosa Panamæ Præfecto constitutus: hunc antè Prorex Panamam in exilium miserat. (d) Ferdinandus audito Alphonso de Alvarado ultrò Præsidem in oppidum invitavit, receptoque perhumaniter multa de Peruviæ oppressione, de Gonzalvi tyrannide, de indigna Proregis cæde dixit, exposuitque quantis adventus ejus votis esset expetitus: &, ne dubitaret, se ante omnes publicato bello & tyrannum persecuturum, & prosecuturum regiam causam. Nec diffidere se Petrum Alphonsum de Hinojosa ejusque Centuriones auditâ regiâ asperarum legum moderatione in eandem sententiam ituros. Præses actis ei pro prompto in obsequium Regis animo gratiis, pacem se adferre ait non bellum nimiis calamitatibus

(c) Nombre de Dios.

(d) cap. præc. num. 9.

& offensioni infidelium obnoxium. Petrū Alphonsum de Hinojosa receptione Præsidis se inscio factâ indignatum Ferdinandus Panamam, dissuadentibus licèt amicis, profectus non tantùm placavit, sed insuper ut ab eodem Panamæ reciperetur, effecit. Ea porrò erat Præsidis mansuetudo, benevolentia & in rebus agendis dexteritas ut brevi omnium animis illaberetur, Centuriones devincîret, tantoque validiùs ad obsequium Regis animaret, quòd quilibet sibi uni crediram Regis voluntatem & Præsidis consilia arbitraretur, adeò nihil nisi singulis communicabat. Ab ipso etiam Hinojosa licèt nondum Gonzalvi Pizarri partem repudiante suâ consuetudine evicit, ut Petrum Ferdinandum Paniagua qui Cæsaris suasque ad Gonzalvum Pizarrum literas ferret, in Peruviam destinaret.

6. Cæsaris literę istæ erant. *Gonzalve Pizarre Ex vestris literis & aliorum narratione didicimus quantus mutationibus novitatibusq́ ob adventu Blasconis Nuñez Vela Proregis nostri & Auditorum fuerit concussa Peruvia ob rigidam legum à Nobis ad majus patria bonum & mitius indigenarum regimen conditorum executionem. Arbitramur nec Te nec Tibi adhærentes quidquam adversum Nos moliri voluisse, salamq́, tumultuum causam fuisse insuperabilem in admittendis in contrarium precibus Proregis animum. Franciscum Maldonado in omnibus, qua tuo, qua civium, incolarumq́ illorum regionum nomine proponenda duxit, benignè audivimus. Ab illo ergò aliisq́ sufficienter instructi Præsidem illuc Licentiatum de la Gasca generalis Inquisitionis Assessorem mittere decrevimus, comissione datâ ut fugatam ex illis regionibus pacem reducat statuatq́, qua in Dei servitium, ornamentum illius regionis, commodum salutemq́ Hispanorum, qui illuc colonias traduxerunt, pariter ac indigenorum judicaverit convenire. Quapropter, ut dicta Præsidi à nobis misso in omnibus obedias, suppetias, quas petet aut quas necessarias ipse judicaveris, quia nostro nomine actare, feras, mandamus: Quod cùm à Te futurum confidamus, scies obsequia tua fratrisq́ tui Francisci Pizarri nullo unquam apud Nos oblivione delenda sed debitam remunerationem consecutura. Datum Venlona XIV. Kalendas Martias (a) anni M D. XLVI.*

(a) 16. Februarii.

7. Præses verò prolixis literis, egregiâ humanitatis & oblatæ pacis præfatione, reponere, Gonsalvum, si ad belli consilia animum deflecteres, jussit naturale & divinum ad obediendum Principibus suis Regibusque mandatum, nobilitatis debitum, rebellionis fœditatem, rebellium à suis periculum, fortunæ, maximeque quæ plurimùm favit, inconstantiam, mutatam, quæ in armis videbitur, causam, pugnatum hactenus fuisse contra Proregis in executione legum rigorem, illas nunc à Cæsare mitigatas, ideoque optimum quemque ac potentissimum ad Cæsaris partes rediturum, ac denique invictam Cæsaris potentiam, quâ trecenta amplius Turcarum millia Viennâ sugaverit, potentis Galliæ magnum Regem ceperit, Romam Orbis caput diripuerit, Gallo-Turcicum fœdus dissipârit, maximas rebellantis Germaniæ vires domuerit. Hæc Panamâ scripserat Præses VI. Kalendas Octobreis (b) anni M. D. XLVI.

(b) 26. Septembris.

8. Nondum in Peruviam Paniagua advenerat, cùm Gonzalvus Pizarrus Petri Alphonsi de Hinojosa literis de adventu Panamam Præsidis Gascæ certior factus sollicitè suorum consilia requirit, qui consiliorum varietate Gonzalvi anxietatem auxerunt. Erant qui misso Panamam sicario occidendum arbitrarentur, alii in Peruviam, ubi ad arbitrium quælibet extorquerent, admittendum, hoc prætextu evasuros apud Cæsarem rebellionis notam, nihil tamen Præsidem se invitis ausurum. Concordi verò sententiâ censebant deputandos, qui in Hispania referrent quæ post discessum Didaci Alvarez de Queto & Francisci Maldonado

nado

(a) cap. præc. n. 23.

nado (a) in Peruvia contigerant, qui Peruviæ Præfecturam pro Pizarro à Rege sollicitarēt, ac à Pontifice Regis pro eodem Pizarro titulum. Postremum personis Ecclesiasticis Hieronymo de Loaysa Limensi Archiepiscopo, Hieronymo N Bogótensi Episcopo & P. Thomæ de Sancto Martino Dominicanorum Provinciali commissum: reliqua Laurentius de Aldana & Gomesius de Solis exequerentur. Mitti potuissent Gonzalvi rebus faventiores, hi tamen placuerunt ut securiùs velut ab omni rebellione alieni ad Cæsarem accederent majoriq́ue authoritate, si pro Pizarro peterent, impetrarent; si adversarentur, tàm notabiles Pizarri hostes è Peruvia honesto titulo abessent.

9. Cæteros autem, dùm se ad iter longum præpararent, celeri navigio præcedere Laurentium de Aldana Gonsalvus voluit exploraturū Præsidis authoritatem animumq́ue, addito mādato ut mox, quid Panamæ ageretur, in Peruviam nuntiaret: & cùm mense Octobri Laurentius è Peruvia solveret, ad Kalendas Ianuarias anni sequētis M.D.XLVII. ut tardissimè Panamā Gonsalvus nuntia expectabat. Laurētium paulò pòst alii secuti sunt. Ille porrò bonis ventis Panamam appellens hospitio à Petro Alphonso de Hinojosa vetere amico suo honorificè susceptus est, & prudenti silentio voluntatem, donec quid aliis Centurionibus animi esset, cognovisset, celavit. Tùm oblatis Præsidi obsequiis testatus est non Pizarri se sed Regis causam tractare. Idem ut Petrus Alphonsus de Hinojosa faceret, Ferdinandus Mexia aliquot dierum suasionibus evicit. Petri exemplum cæteri Centuriones magno Præsidis gaudio secuti sunt, conventione factâ ne fama in gregariū militem immaturè serperet. Præses oblata obsequia nomine Regis acceptans suam cuiq; Centurioni cohortem, Petro de Hinojosa supremam Præfecturam reddidit. Intereà etiam Archiepiscopus Limensis cæteriq; Deputati Panamam appellunt, læti illuc se pervenisse, ubi de vita, quam non nisi precariam in Peruvia à cœpta Gōsalvi tyrannide egerant, tutis sibi esse liceret. Horum adventu de molimine Gonzalvi confirmatus Præses, desperatis pacis remediis, viribus subigere tyrannum decrevit, perpendensq́ue quæ ex mora nasci pericula damnaque possent, instructas commeatu & trecentis militibus naves quatuor Laurentio de Aldana, de ejus fidelitate, testimonio omnium securus, tradidit, quas rectò cursu in portum Limensem, antequàm aliquid Gonzalvus suspicari posset, induceret, ratus isto se facto & Limensibus Regi semper addictis solatium allaturum, & injectâ inopinato audaciâque conatu consternatione nutantes à Gonsalvo animos prorsus alienaret. Ad Antonium de Mendosa Nova-Hispaniæ tunc, posteà Peruviæ Proregem Præses etiam Ioannem de Mendosá petitum auxilia misit, indem per alios à Balthasare de Castilla Guatimalæ & Nicaraguæ, ac Sancti-Dominici (b) Praefectis rogavit, ne diutiùs Regis in Peruvia causam copiarum inopiâ ad cujusvis ambitionem temeritatemq́ue sinetet periclitari.

(b) San Domingo primaria Hispaniolæ civitas.

10. Sub idem ferè tempus, quo à Laurentio de Aldana Gonzalvus avidè nuntia expectabat, advenit cum Cæsaris & Præsidis literis, quatum suprà meminimus, Petrus Ferdinandus Paniagua, felix quòd inter studia calumniatorum ejus necem suadentium solâ tūc modestiâ Gonzalvi eam evaserit. Pœnarum tamen acerbitas tantâ Limenses diffidentiâ constrinxerat ut ne amicissimo quidem de rebus publicis verbulum quis mussitaret. Auditorem Zarate ægrum à Gonzalvo veneno datò fuisse extinctum constans fama fuit. Franciscus de Caravajal ex Charchis (ita Gonsalvus jusserat) advenit centum quinquaginta secum milites adducens, afferensq́ue trecenta selopeta & ampliùs septingenta florenorum millia.

 11. Lætum

11. Lætum hunc divitemque Francisci adventum, alternante inter prospera & adversa fortunâ, anxius admodum rumor excepit, visa fuisse Portu-vetere (a) quatuor navigia, quæ se detectâ terrâ mox in altum mare recepissent. An fortunatæ Gonzalvo an infortunatæ venirent incerta conjectura fuit, quia tamen in formidinem pronior humana natura est graviùs quodcumque ignotum animo Gonzalvi illabebatur, sibique diligentiùs cavere cœpit. Et nescio sanè quæ non aliquando sensibilem hominem concutiant præsagia malorum. Paulò enim pòst Laurentius de Aldana naves suas in portum *Malabrigo* (abest hic Trujillo leucis omninò sex) illapsus, accedente ad eum cum suo milite nonnullisq; civibus & commeatu Didaco de Mora Trujilli Præfecto, hoc quasi quodam futuræ victoriæ prænũtio animatus dãdas felicitati suæ habenas censuit, & Didacum de Mora Cajamalcam occupare jussit, & missis Guanucum, Quitum, in Chachapoyas ac alia loca nunciis ad Regis servitium contempto tyranno animavit, crevitque insperatis auxiliis. Garziâ siquidem de Leon, dato navigio, Trujillum, ut illi pro Didaco de Mora, quem Panamam fugisse arbitrabatur, misso, assignatis ei fugitivorum bonis, datoque ad cogendas in exilium eorum uxores atque ad matrimonia cum suis militibus viduas mandato, etiam tunc austeritatem fortunæ sensit Gõsalvus, Garzia quippe obvius Præsidis classi factus, eidem se pro-Rege cum suis omnibus navigioque submisit, pariterque cum ea Trujillensem portum intravit.

(a) Puerto viejo.

12. Tot malorum successuum concatenatione irritatus Gonzalvus nimiam suam de Laurentio de Aldana, quem toties ad mortem aliorum consilia poposcissent, fiduciam serò damnavit, & quas anteà copias suas Præsidis contemptu neglectim habuerat, jam eas novis conscriptionibus augere, & cohortium ordinatione exercitatas reddere satagit, pecuniâ in singulos Centuriones copiosissimè erogatâ. Scribunt nunquàm aliàs aut alibi fuisse exercitum superbiùs instructum: numerus militum lustro facto millenarius fuit. Missis prætereà nuntiis literisque Argyropolim, Cuzcum, Arequipam, Quitum, Guamangam alioq; celeriter, quotquot possent, adesse jussit, expressis, quibus veniendum esset, viis, ut Præsidis copias evitarent. Conatus etiam Præsidem falsis criminationibus reddere odibilem, & Regis in veniæ promissione benignitatem sinistrâ interpretatione fraudis insimulare, ac conceptam à se contra Præsidem ejusque asseclas sententiam stabilire calculis llotorum.

13. Sententiæ porrò hæc erat forma. *Viso Licẽtiati Gascæ Centurionumq; ei adhærentium crimine, quo, qui à Rege ad pacem Peruviæ dandam est destinatus, eandem turbare bello & replere sanguine innocentium cogitat: attentâ insuper malorũ inde secuturorum sequelâ, habitis eorum legitimis informationibus & maturâ consideratione eundem Licentiatum Gascam commotæ contra regiam voluntatem patriæ reum, capitis* (aliis Centurionibus suas singulis pœnas hic exprimebat) *condemnandum censemus & de facto condemnamus.* Sententiæ subsignavit Auditor Cepeda: ab aliis peritis cùm idem peteretur, Licentiatus Pololion de Gardo injectâ Anathematis, quòd in Sacerdotem, qualis Gasca erat, sæcularis sententiam mortis diceret, religione, Gonzalvum ab ejus pronuntiatione & publicatione deterruit.

14. Calumnias fortior veritas superavit. Saavedra Guanuci Præfectus literis Laurentii de Aldana provocatus cum equitibus quadraginta Cajamalcæ Didaco de Mora se junxit. Idem Mercadillo & Porzel Centuriones, quos illuc securitatis causâ Gonzalvus antè destinaverat, fecerunt. Didacus Centenus, qui ampliùs anno in spelunca latuerat (b) intellecto Præsidis adventu, renascentibusque Regis viribus, è latibulo

(b) e præc. num. 27.

latibulo egressus parvâ quadraginta militum manu inauditâ audaciâ Cuzcum præcipuam & præsidio ut minùs quadringentorum militum ac civibus munitam civitatem unâ nocte oppugnavit, expugnavitque. Lucam Martini à Gonzalvo, ut Arequipense præsidium (constabat id militibus cētum triginta) Limam duceret, missum, ipsi milites captivuum secum ad Didacum Centeno duxerunt.

15. Didaci autem Centeni gloriosius fuit stratagema quàm ut strictim præteriri possit. Ipse igitur qui cavernarum tenebras potiùs quàm infidelitatis erga Regem dedecus sustinere maluit, exortâ nova spe rei benè gerendæ, collectis aliquot ejusdem animi sociis, nominatim Ludovico de Ribera, Alphonso Perez de Esquivel, Didaco Alvarez, Francisco Negral, Petro Hortiz de Zarate & Dominico Nuiz Ecclesiastico, Cuzcum perrexit, prorsus temeritate, nisi tēporis opportunitatem inter vires suas numerasset, culpandus. Præfuerat Cuzco pro Gonzalvo Alphonsus Hinojosa: illi amoto idem Gōzalvus Antonium de Roblez insolentis animi juvenem succedere mādaverat, quo facto nō magis Hinojosam offendit, quàm civium voluntates à se avertit. Ex utroque commodi aliquid Centenus expectabat. Roblez verò, qui militem ad quartū ab civitate lapidem in *Xaquijaguana* duxerat, accepto advenientis Centeni nuntio rursus Cuzcum properavit, aciem in foro, in acie trecentos milites contra hostis irruptionē constituit, Franciscum de Aguirre Peruchi de Aguirre, quem Caravajalii crudelitas strangulaverat, fratrem extra civitatem missum explorare jussit hostis numerum animumque. Hic fraternæ injuriæ ultioni intentus, cùm Didaco, quid in ciuitate ab Antonio de Roblez ageretur, quò aciei frontem direxisset, ex qua parte irrupturus putaretur, aperuisset, discessit. Centenus neque hostium numero, neque acie territus, sed vincere pro Rege certus aut pro eodem mori, noctis etiam tenebras in rei gerendæ momenta assumens, illâ quidem plateâ, quâ expectabatur, equos sine ephippiis cum solis, qui illos ducerent, Indis in aciem immisit, ipse verò ex alia parte incertos, ubi maximè esset dimicandum, validissimo impetu aggressus aciem turbavit, & cæsis multis in fugam brevì cōvertit, fugæ initio ab Hinojose domesticis, ut ipse etiā contemtûs sui opprobrium vindicaret, exorto. Alterâ die Antonium de Roblez publicè capite plexit; centies mille pesa in civitate reperta, quæ pro Gonzalvo servabantur, magnâ benignitate in militem distribuit; auctis ad quadringenta capita copiis Petrum de los Rios, Ioannem de Vargas, Franciscum Negral & Ludovicum de Ribera præfecit, atque ita adversus Alphonsum de Mendosa Argyropoli à Gonzalvo præfectum festinavit.

16. Centeni potentiam subitis incrementis se augentem Gonzalvus opprimere missis contrà militibus trecentis Ioanne de Acosta Duce sategit, ipse, si necesse esset, cum majoribus copiis sequeretur. Profusa, præsertim appropinquante ab alia parte hoste, promissio in exercitu vulgavit Gonzalvum rebus suis desperantem auxiliorum obtentu in Chilen aut longiùs ad fluvium argenteum (a) cogitare. Hic plerisque rumor displicuit, ideoque celeri fugâ longam periculosamque peregrinationem redimere maluerunt, extremum tamen supplicium Laurentio Mexia & Antonio Altamirano vexillifero suo illatū oriens fugiendi desiderium hac vice suppressit, non extinxit, quidquid in contrarium vi extortum juramentum expressisset. Nam hoc ferè tempore ad famam visi in mari Laurentii de Aldana non modicè Lima concitata fuit. Externa in omnibus trepidantium facies verum in multis gaudium occultabat. Ista (b) ut Gonzalvi fallerent tyrannidem omnibus crudeliter imminentem

(a) *Rio de la plata.*

(b) trepidantium facies.

hoc

(a) verum gaudium.

hoc(a) ut eandem præsentis Aldani occasione evaderent. Idem cùm Gonzalvus declinantibus jam rebus suis vereretur, vulgato sub mortis pœna, ut omnes se viri sequerenrur, mandato, medio civitatem inter & porrum Limensem itinere ad primum scilicet lapidem castra locavit, ut æquali celeritate & hostem portu excluderet, & tumultus, si qui excitarentur, in civitate compesceret, compelleretque derrectantes tardantesve exire in castra cives, consilio ad conservandas vires non imprudenti, nimiâ tamen in cives culpando severitate, quàm non minùs atrociter, quàm imperatum erat, relictus in civitate Petrus Martini de Sicilia vir senex sed improbus & ferox exequebatur.

17. Classe præterea Aldani, quàm extorquere vi desperabat, potiri fraude tentavit, misso ad Aldanum Ioanne Hernandez, qui obsidem se illi offerret, peteretque obsidem pariter ad Gonzalvum mitti, ut consiliis priùs quàm viribus intereà negotia tractarentur. Annuente Aldano Peña Centurio ad Gonzalvum obses ivit. Fortunatior tamen, quàm Gonzalvus, Aldanus fuit, nam cùm nullis Peña promissis (lego hęc fuisse centies mille pesorum) induci potuerit ut modũ potiundæ classis Gonzalvo aperiret, Ioannes Hernandez ultrò se Aldano pro Regis servitio obtulit: uterque autem in Gonzalvi exercitu concessam à Rege præteritorum criminum veniam prioresque leges mitigatas, quæ ne inter suos evulgarentur sollicitè Gonzalvus caverat, propagavit, Peña palàm Centurionibus præseutibus, Ioannes Hernandez à classe redux occultè in qua publicatione securæ felicitatis momenta constituta esse Aldanus non vanè augurabatur. Facilè id reduci Ioanni fuit, cui Gonsalvus ob recens obsequium omnia fidebat.

18. Ad hæc nuntia deserto Gonzalvo plurimi fugerunt, inter quos primi præcipuæq; authoritatis fuerunt Nicolaus de Ribera Limensis Senator, Basco de Guevara, Ferdinandus Bravo de Lagunas Franciscus de Ampuero, Didacus Tiuoco, Alphonsus Ramirez de Sosa, Franciscus de Barrio nuevo, Alphonsus de Barrio nuevo, Martinus de Menesez, Didacus de Escovedo, aliique. Ferdinandus Brauo ab insequente Ioanne de la Torre ad Gonzalvum reductus, instantissimis patris, sororis Centurionumque precibus vix mortem patibulo proximus, laqueo in collum immisso, evasit. Hîc fictæ adulationis notatus fuit Alphonsus de Cazeres, qui osculo Gonzalvi genis impresso Principem mũdi appellasse fertur, quem tertiâ pòst horâ cum eodem Ferdinãdo Bravo deseruit, fallaciâ adulatoribus usitatâ. Quâ re incesus Gonzalvus, quotquot extra castra reperirentur, cõfodi jussit. Didacus Maldonado Senator Cuzcensis ab opulentia dives vulgò dictus, cùm Martini de Roblez indicio didicisset se à Gonzalvo morti designatum, inscijs etiam famulis & nocturnâ fugâ tyrannum declinans per ambages solus ad litus pervenit, ibique Indi fortuitò reperti auxilio, rate celerrimè confectâ summo vitæ discrimine, laxantibus se maris impactione stramineis, quibus dumtaxat nectebatur, compagibus, ad Aldani classem penetravit. Martinus de Roblez, qui de fugâ apud se statuerat, non nisi tutè fugiendi occasionem captabat. Hanc ex Didaci subirò discessu arripuit, manè namque facto ejus tentorium ingressus, vacuum fuisse repertum mox Gonzalvo nuntiavit, suasitque, priusquàm cæteri plerique abscedant, locum mutaret castrorum, nulli in civitatem eundi veniam daret, se, ut reliquis necessaria indè mittantur, curaturum, extracturumq; ex PP. Dominicanorum monasterio, ubi latitare putabatur, Didacum ad exemplum cæterorum in castris publicè castigandum. Longe fidelitatis securitas etiam hoc consilium à Gonzalvo probari jussit, quo ipse prode-retur.

retur. Acceptis etenim Didaci Maldonado equis fuisque Limâ Trujillum festinãter processit, apertè pronuntians se Gonzalvum tyrannum odisse, Regis partes sub Præside Gasca, quò cunctos naturale debitum movet, quærere. Et ne singulos Gonzalvi desertores numerare necesse sit, Benedictũ Suarez de Caravajal jungemus, in quo neque Illando Quæstori fratri mors indignè illata; (a) neque vindictæ studium, (b) neque Gonzalvi, qui omniũ consiliorum secreta in eũ influebat, amicitia reverentiam Regi debitam diutiùs supprimere potuerunt. Castra jam Gõzalvus duodecimo à civitate Limensi lapide collocârat, in quibus cum vigilias ageret Caravajal, aliorum incuriâ usus per Limam Trujillum pervolavit, fugâ tantò Gõzalvo tristiore, quòd cùm eo arcana illius, veneratio, timorq; secessissent. Nam & secũdo pòst die duo gregarii milites pedibus in stapedes immissis ausi sunt in ejus exercitu proclamare *Vivat Rex, pereat Gõzalvus tyrãnus*, equorum pariter velocitati & Gonzalvi anxietati, quâ omnes amittere, modò occasio faveret abeũdi, timebat, fisi: Lima quoq; adnitentibus maximè Antonio de Ribera, Martino Pizarro & Antonio de Leon, Regis nomen insonuit, publica vitçq; literas à Præsidio Gasca missas, non minore Gonzalvi consternatione, quàm excitatione Laurẽtii de Aldana in vicino mari providè in omnes eventus excubãtis, seu recipiendi profugi seu danda essent indigentibus auxilia. Quare & suos in portum Limensem 5. Idus Sept. (c) anno 1547. exposuit & in civitatem magnis letitiç significationibus intravit. Ibi per exploratores edoctus abesse Gonzalvũ Limâ leucis ampliùs octuaginta missis celerrimè terrâ mariquenuntiis ad citum in Peruviam adventũ, narratâ successuũ felicitate, Præsidẽ adhuc Panamæ morãtem invitavit.

19. Nec fortunatiùs alibi quàm in suo exercitu res Gonzalvi gerebantur. Nam Ioannes de Acosta, cui trecentos contra Didacum Centenum ituro attribuerat, (d) jussus à Gonzalvo se illi jũgere, vix centũ octuaginta adduxit, ut Gõzalvus, qui paulò antè Limæ mille quingentos in suo exercitu computaverat, vix jam quingentos cum Ioanne de Acosta reliquus inveniret, cæteris aut fugâ dilapsis, aut crudeliter ab ipso & Ioanne de Acosta, maximeq; Frãcisco de Caravajal propter solã fugæ suspicionem necatis, nullo dignitatis aut status delectu, non paucis etiam Ecclesiasticis in crucem cum improperio actis. Martinus de Almẽdras, qui cum viginti viris fortissimis à Ioãne de Acosta antequàm Gonzalvo jungeretur, defecerat, Cuzcum Regi, mutato, quẽ Ioannes de Acosta constituerat, Magistratu asseruit. Didacus Centenus Alphonsum de Mendosa Argyropolis (e) pro Gonzalvo Præfectum, propositâ dicti Gonzalvi, sub quo ne fortissimis optimisque quidem viris tutò vivere licebat, tyrannide, Regii autẽ debitâ reverentiâ, indebitâq; ejus clemẽtiâ, ut Regem sequeretur, certis cõditionibus evicit. Gomesium Estacio *Culata*, & Petrum de Puelles Quiti Præfectos, idem ut facerẽt, monitos sed detrectantes tardãtesve Ioannes Dolmos & Rodericius de Salaçar Toletanus trucidarunt: illum (f) Ioannes, qui Porrus-veteris (g) à Gonzalvo Gubernator cõstitutus ab illo desciscebat loco ad Regis obediẽtiam redũcto; hunc (h) Rodericius, Regis servitio lõgam Petri posthabens familiaritatem, ut jam Quito Argyropolim usq; omnia Regi loca ante Præsidis Gascæ in Peruviam adventum parerent, fortunâ prorsus cũ Præside adversus Gonzalvũ conspirante.

20. Verùm uti clariorẽ fulgorem explicare solent luminaria mox interitura, ita extremæ ruinæ, quâ opprimere Gonzalvum fortuna meditabatur, victoriæ Charchensis, quã Guatioç vulgariter appellant, splendorem præstruxit. Gonzalvus Centenũm studiosa beneficiorũ à se illi collatorum commemoratione & oblatâ præteritorũ bellorum veniâ ad se pellicere conatus cùm nihil obtinuisset, innocuũ cum suis copiis transitum per Charchas, ne eum vi

(a) c. præc. num. 14.
(b) c. præc. num. 19.
(c) 9. Septembris.
(d) Sup. num. 16.
(e) Villa de la plata.
(f) Gomesium Estacio.
(g) Puerto-viejo.
(h) Petrum de Puelles.

parare cogeretur, postulavit. Et hunc Centenus negavit, & deficientis Gonzalvi fortunæ contemptu, & sui exercitus, qui Alphonsi de Mendosa accessione millenarium complebat, fiduciâ. Contra utramque Gonzalvus ipsâ suarum rerum desperatione luctabatur, illam (a) virtute suâ revocaturus si posset, hanc (b) superaturus; spem feliciseventûs augens ex longa Centeni periculosaque infirmitate, quæ non corporis modò sed & judicii vigorem debilitârat. Quâ factum, ut, etiamsi ad nuntia advenientis Gonzalvi efferri se lecticâ in cōspectum militū curâsset, non aciem instruere, non moderari suorum omnia neglectim ex hostium cōtemptu agentium imprudentiam, non ferre suppetias infirmioribus cornibus posset. (c) Hâc occasione Gonzalvus dimidio numero inferior Centeni copias ingenti clade cecidit, defideratis, victorum cētum, cùm supra trecentos quinquaginta ex Centenianis in ipso conflictu periissent, cessissentque in victorum prædā supra millionem quadringenta pesa. Bachicaūm, cujus non semel suprà meminimus, hominem improbum, qui, inclinâte sub initium in Centenum prælio, deserto Gonzalvo transfugerat, captum suspendi Franciscus de Caravajal jussit, vulneratos barbarè fustibus trucidari, obvios immisericordiret occidi, in omnibus impotēter victoriâ usus. Duæ fœminę illati per vim corporibus ludibrii, ne suæ Peruanis Lucretiæ deessent, impatientes hausto veneno sibiipsis mortem cōsciverunt. Hâc Centeni clade infaustus fuit dies Octobris vigesimus anni M. D. XLVII.

(a) de sicientem fortunam.
(b) fiduciā Centeni.
(c) de eau sis cladis vide etiam lib. 16. cap. 11. num. 4.

21. Intereà Panamâ cum quingentis militibus opulentoque commeatu ad portum Tumbensem (d) appulerat Præses Gasca Aldani literis provocatus, ubi subitis undique accessionibus auctus ac clade Centeni nondum intellectâ, ratus externis se auxiliis non indigere, id celerrimè Novæ-Hispaniæ, Nicaraguæ, Guatimalæ & Hispaniolę Præfectis; actis benignè pro benevolentia gratiis nuntiari jussit, rebusq; in Peruvia Septemtrionali ritè constitutis ac classe Paulo de Menesez commendatâ, ipse itinere pedestri Trujillum contendit, indè in speciosissimam vallem *Xauxa* perrecturus non minùs contra hostiū irruptiones quàm ad commeatus suâ fertilitate opportunam, quò convenire ad condictum diem, quotquot Regi militare vellent, imperavit. Adfuerunt autem in valle *Xauxa* non-magno temporis intervallo non pauciores mille quingentis, & cum eis Archipræsul Limensis, Cuzcensis & Quitensis Antistites, Dominicanorum & Mercenariorum Præfecti Provinciales, magno omnium gaudio & congratulatione ex indubitatis opprimendæ è propinquo tyrannidis conjecturis. Nuntia hîc cladis Centenianæ Gasca accepit, gravia certè sed quæ eâ magnanimitate dissimulavit, ut superesse Centeni exercitus atque per Gonzalvi copiis crederetur, atque ita dilatatis fiduciâ animis plus in suis vicisse quàm perdidisse in Centeno se sensit. Quare animosum militem è valle *Xauxa* die Decembris XIX. anni M. D. XLVII. eduxit, Cuzcum tutioribus commodioribusque, quibus posset itineribus petiturus. Proficiscentem Petrus de Valdivia, qui ex Chile, quam Regi subjugabat, per mare Limam venerat rerum quidem Peruanarum ignarus, militem autem & res necessarias suo exercitui paraturus, est assecutus incredibili Præsidis lætitiâ quòd hominem nactus esset bellandi peritiâ celebratissimum, quemque cum Francisco de Caravajal, cujus ductu Gonzalvus Pizarrus omnia administrabat, committere auderet. Advenit & Centenus cum triginta viris diligentiâ amicorum ex prœlio Guarinensi (e) elatus, non superstes modò sed & sanus, egregium lenimen malorum, quæ totâ penè hieme in *Andaguaylas* ex continua pluvia, maizii insalubritate, secutisque indè morbis passi erant.

(d) Tūbez.
(e) ubi sita Guarima scies ex lib. 16 cap. 13. num. 2.

22. Imminentis nascente vere aquis ex *Andaguaylas* ad pontem *Abancay* vigesimo

vigesimo à civitate Cuzcensi distantem lapide castra translata. Restabat *Apurima* magnum flumen rapidumque, nisi septuaginta leucarum circuitione illud declinare maluissent, transeundum, disjecti per hostem pontes ipsusque non longè absens hostis transitum difficilem faciebant. Omnia igitur ad pontium confectionem diligentissimè parabantur, atque ut incertitudine hostē Gasca falleret, tria loca designavit à se invicem duodecim leucarum intervallo sejuncta, atque in singula materias ad pontes necessarios cōportari jussit. Magnum Gonzalvi peccatum fuit hæc ipsa ab altera fluminis ripa suarum copiarum distributione non occupasse, quibus non difficile fuisset transitu advenientes prohibere, quem exploratores, dum reversi ad castra nuntia ferrent, concesserunt. Totum igitur exercitum, qui tūc mille octingentos quinquaginta viros complectebatur, in loco *Cotabāba* Gasca transmisit, præoccupatiq; mox jussit altissimi montis fastigiū, ipse mox securus. Gonzalvus nongentos Cuzco eduxit & *Xaquixaguana* (a) locum castris delegit naturâ munitum, ad quem non nisi ab unâ parte accessus patebat, reliquas aut flumen aut montes aut palus cavernæque tuebantur; ibi instructâ acie hostem expectaturus. Gasca autem differre prælium, ut multis ad se ex Gonzalvi castris fugiendi spatium daret, maluisset, nisi immite frigus & aquarum penuria, magna exercitûs incommoda, montem deserere coëgissent, nonnullis intereà à Gonzalvo ad velitandum immissis, quos fortiter regii rejecerūt. Ad pedē montis cùm descendissent, instructâ acie pedetentim in hostē promoverunt, atque mox à Gonzalvo Auditor Cepeda, Garcilazus de la Vega, Alphonsus de Pedra-Sita aliique aliquot ad præsidem defecerunt, quorum exemplo plurima fuga secura est, his Cuzcum, aliis Præsidem petentibus, ut Gonzalvus à suis desertus nullâ ferè clade acceptâ in Præsidis venerit potestatem die Aprilis nona, quæ tunc erat feria post Dominicam in albis secunda, anno M.D.XLVIII. Capti cum eo Ioannes de Acosta, Ioannes Velez de Guevara, Ioannes Perez de Vergara. Fugientem Franciscum de Caravajal palus tardavit tradiditque insequentibus.

(a) distat Cuzco quinque leucis.

23. Sequenti die causa Gonzalvo dicta, Auditor Cianca & Alphonsus de Alvarado Mariscalius judices dati, qui eum capitali sententiâ condemnarunt. Caput Limæ in loco ad id faciendo statueretur hac subscriptione, *Caput hoc Gonzalvi Pizarri est, qui Regi in Peruvia rebellis prælio in Xaquixaguana victus est.* Bona ejus omnia fisco adscripta, ędes ejus Cuzci destructæ, & earum fundus in abominationem criminis sale consperssus, ac simili inscriptione notatus. Eodem die Franciscus de Caravajal in quatuor partes distractus. Obiit Gonzalvus veri doloris & singularis erga Deiparam cultus indiciis, à Francisco vix impetratum ut peccata confessione extremâ expiaret, qui eam ante suprema supplicia petentibus negârat, in Deum impius, in homines Gonzalvo, in quo aliqua ut plurimùm humanitatis indicia patuerunt, multò crudelior; namq; ex trecentis quadraginta, quos durante tyrannide supplicia extinxerunt, trecenti Francisco, reliqui dumtaxat Gonzalvo tribuuntur. Pauci prætereà (b) jussu Præsidis strangulati proprias culpas suo supplicio, alienas exemplo expiârunt.

(b) 8. vel 9.

24. Cuzcū deinde profectus etiā ibi nonnullos morte, nonnullos exilio mulctavit. Atque ita pacatam Præses Peruviam habuisset, si tam facilè de suorū cupiditatibus quàm de hostium exercitu triumphasset. Nam cum victorum quilibet optima sibi suâ sententiâ prædia & commēdas seu hostiū seu defunctorum adscriberet, illaque numero petitorū longè superaretur, cōsequens videbat beneficiis in aliquot, ut posset, collatis multò plures irritādos, itaq; conventu suorū habito vacantiū bo-

norũ distributionem Hieronymo de Loaysa Archipræsuli Limensi commisit, qui ad evitandas sollicitantiũ molestias in Aputimã (distat Cuzco duodecimo lapide) secedẽs, diligentiùs illud integriusq; quàm fortunatiùs est executus, distributione siquidem publicatâ (a) adeò offendit, ut de trucidando Archipræsule, nullâ sacratissimi status veneratione, nonnulli consilia inire non dubitaverint. Ista veritus Gasca Limam præcesserat, ex longinquo tardiùs ob distantiam, tutiùsque ob primæ iræ, quæ esse solet impotentissima, mitigationem quam tempus daret, consilia capturus, si, quod timebatur, accidisset. Usus autem Gasca est & loci distantiâ & futuræ novæ distributionis promissione adeò feliciter, ut septendecim mensium, quos Limæ ante abscessum exigebat, spatio nulla erumperet turbatio, ipse autem statueret utilissima. Conculcatam Audientiæ authoritatem erexit, novos Auditores aut dedit aut promulgavit Cianca, Saravia, Santillam, & Maldonado. Tributa ab Indis solvenda, quæ quilibet anteà Hispanus impunitate, bellis aliò mentem avocantibus, fretus pro sua libidine extorquebat, taxavit. Obtuere Indos sarcinarum aliorumve onerum vectatione prohibuit. Plurimos in Chilenses expeditionem non magis novæ conquisitionis, quàm avertendorũ novorum tumultuũ causâ destinavit.

(a) 24. Augusti.

25. Rebus Peruviæ in hunc modum constitutis ut ingens thesaurus ad Regem seu ex quintis (b) effossi argenti seu ex justa bonorum confiscatione pertinens, quem fuisse ajunt duos milliones & centum coronatorum millia tutò integreque ad illum deferretur aliasve ob causas, ipse in Hispaniam redire constituit, profectionis propositio in ipsum discessûs diem celato. Discessurus secundæ distributionis, cujus spe tot jam mensibus querulosos lactaverat, tabellas clausas sigillatasque Audientiæ Secretario porrexit, non nisi post abitũ Auditoribus & per hos Archipræsuli Loaysa tradendas, quarum publicatione tantò impatientiùs, qui neglecti fuerant, sunt commoti, quantò diuturniùs fiduciâ adipiscendæ mercedis se deceptos senserunt, ut nonnulli arbitrentur Gascæ vitæ tutum nil fuisse futurum nisi priùs in classem conscendisset. Omnia rursus in novas seditiones prona videbantur, publicæ de ministrorum regiorum injustitia querelæ, nocturni conventus, fœdera inquietorum secessionesque, concursus ad Franciscum Ferdinandum Giron honorum æquè ac rerum novarum cupidum, qui pessimum quemque admittebat, obtentu quidem quasi *Chunchos* iret debellaturus, reverà autem rebellionis occasioni intentus, in quem propterea Ioannes de Saavedra Prætor Cuzcensis summo studio invigilavit, prudentia autem Antonii de Mendoça Proregis qui proximè Gascæ successit prurientem animum, quoad vixit, suppressit (c) à cujus tamen morte in manifestas turbas erupit. (d)

(b) Quintæ ex effossis metallis Regi debebantur, sicut passim ex fructibus decimæ.

(c) lib. 4. cap. 1. nu. 9.
(d) eodem lib. cap. 4.

26. Solvit è portu Limensi Gasca VIII. Kalendas Februarias (e) anno M.D.L. Panamæ duorum fratrum Ferdinandi & Petri de Contreras vix furorem evasit. Hi Roderico de Contreras & Mariâ de Peñalosa Petri Arias Davila Nicaraguæ Præfecti filiâ nati, irritati, quòd, cùm Auditores patri Nicaraguæ Præfecturam, in qua socero Petro successerat, abstulissent, ipse nihil contra Auditores in Hispania apud Regem obtinere posset; excitari prætereà exulum Peruanorũ contra Gascam querelis, congregatis nonnullis acceptisque navibus statuerunt advenientem Gascam in mari adoriri & spoliare. Quod facilius fore rati si Panamæ priùs potirentur, eam noctu numero trecenti occuparunt, tardiùs quidem quàm ut Præsidem aut bona per illum allata consequi possent, opportunè tamen ut in ærario Regio Panamensi quadringenta pesorum millia invenirent extraherentque. Qui quidem paulo-pòst

(e) 25. Ianuarii.

lo-pòst miserabili fato obiêrunt, Gasca autem secundis ventis in Hispaniam appulit, ubi primò Palantiæ (a) in Legionis regno, deinde à Philippo II. Serguntiæ (b) in Castella-Vetere infulis est honoratus.

(a) Palencia (b) Siguença.

27. Vix aura siccaverat stillantes sanguine plateas, nondum isti Panamensium vulneri cicatrix obducta erat, quando commodi illuc consolatores advenerunt (c) Augustiniani, quorum numerum, discessum ex Hispania, per Panamam transitum, in Peruviam adventum tempusque, merita, in Hispanis æquè ac infidelibus fructus ac his cognata sequentibus quindecim libris dicere aggredimur.

(c) lib 4. cap.4 nu 8.

HISTORIÆ PERVANÆ LIBER IV.

De ingressu Augustinianorum in Peruviam.

CAPVT I.

Quorum studio operâque facta sit prima Augustinianorum in Peruviam missio.

1. Atet Ordini Augustiniano universus Orbis in quem fidem Catholicam aut plantavit primus, vel plantatam inter primos studiosè rigavit. Tredecim sæculorum decursus non potuit eum aut persecutionibus extinguere aut laboribus fatigare, ira magnus ille ignis in institutoris Augustini fibris accensus, deinde in filiorũ pectora transfusus molliter illa adurit & impellit ad animarum lucra, transmititque, dùm opus est, per maria, gladios & flammas.

2. Et ne tribus Orbis partibus olim notis immoremur, quis in quarta, Americæ nomine nota, angulus præcedenti præsentive sæculo fuit detectus, in quem non mox Ordo ille non auri cupiditate sed animarum zelo penetravit? Exantlati in singulis Novi-Orbis Imperiis, Provinciis, ac Insulis labores, ac læti ex illis proventus, singulos libros merentur: factos in Nova-Hispania seu Imperio Mexicano locisque adjacentibus describit P. M. Ioannes de Grijalva Augustinianus; In Peruvia P. M. Antonius de la Calãcha nativitate Perüanus, Religione Augustinianus & in ea Definitor; (a) In Insulis Philippinis (pro quarum primatu nullus se cum Ordine Augustiniano opposuit unquàm) Antonius de Morga Auditor Manilæ ac posteà Audientiæ Quitensis Præses. In Iaponia plurimaque ibi eorum martyria varii. Expeditionem Nostrorum in maximum, potentissimum, populosissimum, legibusque politicis quàm ornatissimum Chinæ Imperium (quæ Christianorum fuit omnium prima) & exhibitum in eo Legatis nostris supra omnem fidem hono-

(a) libro Barcinone impresso anno 1639. sub titulo, Coronica moralizada del Orden de San Augustin en el Peru &c.

rem posteritati tradidit P. M. Ioannes Gonzalvus de Mendoza ex Ordine Augustiniano Pœnitentiarius Suæ Sanctitatis. (a)

(a) libro Madriti impresso anno 1586. cui titulus, Historia de las cosas mas notables, ritos y costumbres del gran Reyno de la China: & quem in latinum translulimus.

3. Nos hîc Peruviam damus Augustinianam P. M. Antonium de la Calancha secuti autorem gravem eôque fideliorem, quòd veritatem adstruat ex monumentis originalium scriptorum.

4. Primam Augustinianorum in Regnum Perüanum, sub ipsis detectionis primordiis, missionem decreverat Paulus III. Ordinis, antequàm ad supremam Ecclesiæ cathedram sublimaretur, Protector. Verùm nata ferè cum ejus subjugatione bella civilia (b) sæpiuique non tàm novis causis, unà enim omnium erat ambitio & regnandi cupido, nullis quantumvis ingentibus terrarum spatiis satis terminata) quàm occasionibus prætextibusque resumpta, faciebant, ut non tantùm non intenderetur barbararum gentium conversioni, sed ut Religio Catholica apud illas esset odiosa haberetur que contemptui, quasi in nullo esset idolorum suorum veneratione sanctior, cuius professores tàm subdolis à se mutuò defectionibus scinderentur, & implicarentur concursibus in se invicem tàm cruentis. Vndè & aliud sequebatur atque non exiguum propagandæ fidei impedimentum, dum externæ illæ nationes ex infaustis his Christianorum initiis arbitrarentur obtentui solùm haberi fidem, reipsâ autem Hispanos suis familiis, agris, thesauris, ipsi denique regno pronissimâ cupiditate inhiare.

(b) lib. 3. de scripta.

5. Fervebant prætereà adeò illę Hispanorum factiones, ut in eas veluti torrentis exundantis impetu raperentur quoque, à quorum statu omnem quàm longissimè abesse decet sævitiam, Ecclesiastici, ut felicitari non immeritò tribuerim Ordinis nostri, isto eum tempore ad illas nationes fuisse destinatum, quo primùm terrenarum rerum divitiarumque contemptu (c) apud illas probare poterat alias à se merces, animarum videlicet, in tàm diffitis, morumque ac idiomatum diversitate discretis regionibus conquiri; minoraque reperiret à sua natione fidei evestigiò propagandæ impedimentà.

(c) hoc capite nu. 7.

6. Istud Iulii III. Pontificatu accidit. Ordinem autem universum moderabatur P. M. Hieronymus Seripandus Neapolitanus, Vir, quem etsi plures, novissimeque ac prolixè P. Cornelius Curtius (d) Provinciæ Belgicæ Prior Provincialis, laudârint, omnibus suis laudibus major, quandò humilior, qui intra cellulæ angustias latêre maluisset etiam tunc, quando in solemnissimo Prælatorum Principumque ac doctissimorum hominum conventu, ipso dico Oecumenico Concilio Tridentino mandato Pontificis (e) jussus est præsidere. Vt & hinc non fuerit otiosum præsagíre quàm solidis accessibus profectura essent Peruana Augustinianorum molimina, quorum tàm profunda sapiens hic architectus jaciebat fundamenta.

(d) in Elogiis Virorũ illustrium Antverpiæ impressis.

(e) Pii IV.

7. Carolum V. certè, Imperatorum Regumque maximum ac pientissimum (cujus temporibus Divina Providentia tam vasta populisque frequentia terrarum spatia voluit ab Europæis inveniri ac superari, ut esset qui non ardentiùs imperii terminos studeret dilatare, quàm Crucis salutiferæ trophæum illis inferre) dicere invenio solitum, *idcircò se missi isti Augustinianos operarios desiderare, quòd experientiâ didicisset esse humiles magis, & minùs cupidos.* Quæ biga virtutum humilitatis, terrenarumque seu divitiarum seu voluptatũ contemptus, cum vehat illecebras capiendi barbarorum animos maximas, causa fuit, quæ Carolum impulit, ut tam operosè Seripando Indorum per suos conversionem commendârit, spoponderitque se proficiscentibus naves, commeatum, pharmaca ex ærario regio præbiturum; sumptus item in structurâ monasteriorum templorumque,

tumque, atq; eorum ornatum. Quâ tam prolixâ rerum omnium necessariarum promissione, nulli Ordinum anteà facta (a) monstravit, quàm avidè desiderârit videre in Peruanorum culturâ Augustinianos, conscientiæ suæ quieti istis suis virtutibus suffragaturos, quam præcedentium temporum crudelitas & contra jussum suum facta per Hispanos oppressio non modicum lancinabar.

(a) cap. seq.

8. Neque segniter hanc arripuit occasionẽ noster Seripandus suopte ingenio ad suppetias infidelium necessitati ferendas quàm maximè proclivis. Nam de iis, dum Hispanias anteà visitaret, egerat cum P. M. Alphonso de Madrid Provinciæ Castellanæ id temporis Præfecto à vitæ sanctitate & propagandæ fidei Catholicæ zelo commendatissimo, qui deinde tam profundè se Philippi II. gratiæ insinuavit, ut Rex ille tam serius ingeniorum censor illum à se, seu consilio seu familiari consuetudine esset agendum, abesse ne pateret, fundârit Mantuæ Carpetorum (b) perfeceritque monasterium sumptuosissimum, quòd à nomine Patroni sui dictum est *Sancti Philippi*.

(b) Madrid.

9. Videns autem nunc Seripandus desiderium suum Regiâ petitione corroborari, mandat per litteras P. Francisco Serrano Castellæ Provinciali ut duodecim seligat Religiosos, in numero virtutibusq; Apostolorum in Peruviam profecturos. Addit ex regiis precibus, jubeat ut ex Provincia Mexicana, quæ adhuc Castellanæ suberat, alios quatuor eisdẽ qualitatibus præditos ad eandẽ expeditionẽ concurrere. Nõ ignorabat scilicet Imperator quãtos in Mexicanis terris fructus vitæ sanctimoniâ & doctrinæ opportunitate Augustiniani produxissent, quantique momenti res esset futura, si illis duodecim recèns ex Hispania venturis, jungerentur alii longâ consuetudine gentium infidelium edocti, eoque peritiores ad curandas aliorum mentes in infidelitate ac morum asperitate consortes, ac quibus artibus vincendæ, quâ patientiâ sustinendæ, assueti. Mandatum hoc Serranus P. M. Alphonso de Vera Cruce Mexici Præfecto Provinciali transmisit. Cujus, illiusque Provinciæ laudes dum Grijalva copiosè prosequitur, in Hispaniam reversi, Serranum omninò ignorari non patiamur, cujus nomeo meritaque, utpote primi Legis-latoris, illustriora reddent Provinciæ Peruanæ primordia.

10. Fuit Serranus, animo candido sinceroque, quem omnigenâ virtute exornaverat. Religiosarum legum observantiam primus in se studiosissimè exprimebat, quam deinde exemplo tanquàm leni manu molliter subditorum animis affricabat, sed tantò tenaciùs adhæsuram, quòd olei in modum ipsâ suâ lenitate in intimas fibras penetrasset. Neque validiùs imperabit unquam Superior, quam si mandantis vocem præcesserit aut comitetur ad Inferiorum sensus, ejusdem vita. In corrigendo patrem se meminerat, reddique clementiâ ac mansuetudine Resp. securiores diuturnioresque, quod & Alexandrum Severum ajunt respondisse matri improperãti quòd mollitie ac lenitate statum imperii labefactasset. In omnes tamen occasiones, quibus aliquid irrepere posset vitæ Religiosæ nociturum, erat intentus, præcidebatque antequàm nocerent. Ad prælaturas adscendit non suffragiis emendicatis, sed virtutibus: dùm delatæ erant, in eum, ut diximus, modum illas administrabat, quo Confratrum suorum animos ita sibi adstrinxit, ut cùm anno 1548. in Comitiis Toletanis Provincialis esset renuntiatus, dictus Magistratus illi in novennium, nullo aut raro exemplo, approbante id contra ordinarium Constitutionum præscriptum Generali, fuerit prorogatus. Solemne illi fuit seriò suis sæpinsque inculcare ut fugerent novitates, quæ neque Prælato adferant venerationem, neque apud subdi-

tos

tos inveniant approbationem, exiguique temporis duratione si non incommodum, certè inutilitatem suam contestentur. Et hanc quidem lectionem fatebatur se accepisse à Magistro suo B. Thoma de Villanueva, postea Archiepiscopo Valentino, dicere solito, *oportere fratres magis esse sollicitos interioris compositionis, quæ veros efficit Religiosos; quàm exterioris, quæ gignit hypocritas.*

CAPVT II.

Qui fuerint primi ex Ordine nostro Peruviæ Apostoli.



1. Ix classicum ad novum hoc sanctumque bellum infidelitati inferendum insonuerat Serranus, mandati, quod à Seripando acceperat, publicatione, cum ecce tantus illuc properantium numerus occurrit, ut non duodenarius tantùm, qui expressus erat, Apostolorum numerus, sed & septuagenarius binarius discipulorū nullo negotio potuisset conscribi. Sed retentus duodenarius est eorum honore qui in pari numero nascentē Ecclesiam in omnes mundi plagas intulerunt: tùm ut mandatum Generalis non excederetur. Quamquàm & alia Serrani animum cogitatio vellicaret, reputabat scilicet quàm facilè Charitatis locum novitas ipsa rei, vel curiositas profecturi soleat occupare, ut charitatis impulsu se petere arbitrentur, quod petunt impetu vel novitatis vel curiositatis. Qui deinde molliter ad veras suscipiendi Apostolatus causas erudiendi sunt & deducendi exemplo Salvatoris, qui Iacobum & Ioannem à vana primorum locorum supplicatione ad verum martyrii desiderium traduxit.

2. Atque ita quidem Prælati hortamentis ad seriam solidamque proficiscendi in Indias voluntatem excitabantur roborabanturque, verùm retardabantur absentiâ Cæsaris in Garmania, ubi eum bella continua occupabant, procurante id procul dubio humani generis hoste, ut distracto alibi Imperatore, aut non, aut lentiùs infidelium conversio tractaretur, dùm neque Imperator literas expediret, neque sine illis nostri essent profecturi. Decreta sanè profectio fuerat anno 1546. conscripta nomina profecturorum 1548. sed nihil ante annum 1550. fuit peractum. Placuit tamen nostris ad tam sanctum laborem anhelantibus, dùm cæteri literas Cæsareas operirentur, præmittere qui Perüanorum animos, veluti terram, suscipiendæ Euangelii sementi præpararet, ac se barbaræ linguæ perceptione aptum redderet qui secuturos doceret.

3. Lætus id suscipit P. M. Augustinus de Sanctissima Trinitate, exequiturque non aliis quàm Serrani literis (obedientiales vocamus) munitus. Solvit autem anno 1547. vel 1548. eodem navigio quo vehebantur, qui illuc primi ex magno S. Francisci Ordine sub Commissario P. Francisco de Victoria contendebant. Nam etiamsi ex Mexicana Provincia ad illas partes cum duobus tribusve sui Ordinis Seraphici Religiosis anno 1543. accurrisset, nòn tamen ultra Quitum, (a) initium Monarchiæ Perüanæ, penetravit. Sociorum etiam paucitas non permittebat ut solida novæ Provinciæ fundamenta jaceret, adeò ut hæc tribuantur ab Ordinis Franciscani Scriptoribus, debeanturque his, in quorum, sub Commissario Francisco de Victoria, consortium incidit noster Augustinus, quo plurimùm in tam longæ navigationis tædio fuit recreatus.

(a) Quito.

4. Invenit & aliud hujus consortii emolumentum. Ducebat eâdem classe eâdemque nave in Indias com-

Commissarius neptem suam, nobilem virginam Ioannam de Cépeda. Huic Patris nostri mores, vivendique ratio vel inter nautas servata placuerunt in tantum, ut eo ad conscientiæ spiritusque directionem uteretur, non tàm fortè similium ductorum necessitate, cum adessent Viri ex Ordine S. Francisci eminentes, quàm ordinatione divinâ, quæ occultis modis præparabat illius animum Virginis, quàm posteà deberet habere altricem. Illuc & pertinuisse credo morbum, quo, puella dùm esset, fuerat conflictata, in quo voverat *Matri gratiæ*, (a) singulari Ordinis Augustiniani patronæ, se quotannis ejus ferias singulari devotione celebraturam.

(a) *à nuestra Señora de Gracia.*

5. Appellit classis ad portum Limæ vicinum, egressique, qui vehebantur, singuli suis negotiis commodisque intendunt. Augustinus noster in tuguriolum deflectit, indigam quidem, si corpus spectes, aliquamdiu ducens vitam. Nam neque literas adferebat, quarum mandato ex ærario illi regio necessaria præberentur, neque quisquam receptioni Religiosorum studebat, omnibus in hoc intentis, ut aut mortem inferrent aut evaderent; ita divina humanaque fœdum in modum bellis civilibus confundebantur. Post paucos tamen ab ingressu menses, nupsit Ioanna Nobili opulentoq; viro Ferdinando Gonsalvo de la Torre, ipsa pro omni dote adferens virtutem nobilitati conjunctam. Quod connubium illi Augustinus noster faustum ut esset, fuit apprecatus, simul, ut jam dives necessitati suæ subveniret, commendans. Gaudebat illa non solùm voto pro nuptiarum felicitate facto, sed magis etiam de oblata benefaciendi occasione: arbitrabatur tamen, quò abundantiùs succurreret, mariti consensum postulandum, quem mox obtinuit in omnem illimitarè, quam vellet, eleëmosynam. Quare accersito, postero die, Augustino cum tugutioli incommodis conflictante, *Eia*, inquit, *Pater filia à me adfectu semper, à quo te cognovi, dilecte, & reverentiâ observate, bono animo esto. Deus, in cujus subsidio magis quàm humano, dùm ejus causâ tam longa pelagi spatia es emensus, scio spem Te tuam collocasse, nō patitur se confidentiâ in se sperantium vinci Nam & nuptias mihi honestas, præterq; opinionem divites providit, & per eas, (quod majus mihi gaudium est) facultates, quibus explicem, quantâ me olim devotione Matri gratiæ consecrârim. Illi nunc Sacellum non longè à nostris adibus excitare & mariti & meus animus est, & illi junctam usibus tuis domum, in qua vives are nostro sustentatus, habiturus pro me una, duplicem, mariti accessione, fautorem.* Nec dixit tantùm, sed opere explere eveſtigiò dicta sategit, ac non multò pòst perfecto Sacello, imaginem *Matris Gratiæ* in eo collocavit.

6. Exegit hîc Augustinus duos annos, quibus alii ex Hispania expectabantur, & Anachoretæ Sancti æstimatione, & fructibus Prædicatoris, quos ex fidelibus infidelibusque omni studio colligebat, quorum merito associatus ex hac vita abscessit, antequàm alii ex nostris advenissent.

7. Illi verò per hujus Augustini præcursum, non volebant numerum duodenarium, quem in honore habebant, imminutum, quem facilè implebant in illa desideratiū copia. Nomina eorum, qui profecti sunt hâc expeditione, posteritatis oculis hoc catalogo objicio.

- *P. Andreas de Salazar*
- *P. Antonius Loçano*
- *P. Ioannes de Sancto Petro*
- *P. Hieronymus Melendez*
- *P. Didacus Palomino*
- *P. Petrus de Cépeda*
- *P. Andreas de Ortega* seu *de Sancta Maria,*
- *P. Ioannes del Canto*
- *P. Ioannes Chamorro*
- *P. Franciscus de Frias*
- *P. Ioannes Ramirez*
- *F. Balthasar Melgarejo.*

Postremus Diaconus erat, cæteri omnes Sacerdotes. Et ut Religionis speciem etiam in mari observarent, in Vicarium suum Provincialem, P. Andream de Salazar elegerant discessuri.

Beati Patres, Permittite enim ut isto vos nomine modò appellem quos neque inquies voluptas aut lucri cupido, non animi levitas aut ambitio, sed Dei amor calculo Superiorum approbatus, animarum Christi sanguine redemptarum zelus, dilatandæ & ornandæ Ecclesiæ splendor per tam immensa & vixdùm nota maria ad ter mille leucarum à patria distantiam compellit, Beati, inquam Patres gaudete digni tanto honore habiti, & in memoriam revocate peregrinationem, quâ, jubente Deo, Abraham desertâ patriâ in ignotam terram concedens, id cōsecutus est, ut in ea filiorũ Dei hæreditas designaretur. *Terram omnem quā conspicis Tibi dabo.* (a) Confidite, non minori vos benedictione eadem vos manus cumulabit. Totus, quaquà patet, novus Orbis laboribus vestris merces deputatur, & accedet ad sortem filiorum Dei. Invidere vobis possent qui ire non permittuntur, tantæ gloriæ participes futuri, nisi sentirent non alio se vinculo quàm obedientiæ, quā victimis præferri voluit Deus, religari. Vestrę tamen nationi Hispanicæ invidere, si Sancti invidere possunt, non desinent aliæ, quas Regum vestrorum leges (b) ab apostolicis illis professionibus excluserunt.

(a) Gen 13. 15.

(b) *la ley 5. prima del titulo primero de Religiosos en la recapitulation de leyes por las Indias Occidentales.*

CAPVT III.

Literæ regiæ quibus imperatur ut Augustinianis ære regio monasteria templaque ædificentur.



HAs Hispanico, quæ scriptæ sunt, idiomate referre placuit. 1.

Presidente y Oidores de la nuestra Audiencia Real de las Provincias del Peru. Nos somos informados, que en esa tierra al presente no ay monasterio ninguno echo de la Orden de San Augustin, y porque aora nos embiamos a ella de estos Reynos doze Religiosos de la dicha Orden: & de la nueva España provee-mos que vayan otros quatro, que entiendan en la instrucion y conversion de los naturales desas Provincias, y porque no teniendo como al presente no tiene hecho monasterio donde residan, convendrà què se les haga. E porque Nos tenemos proveido en la dicha nueva España, que se hagan monasterios en la parte donde mas conveniere, y que en los lugares donde se huvieren de hazer, si fueren pueblos, que estuvieren en nuestra corona Real, se haga a mi costa, è que ayuden ala obra y edificio dellos los Indios de los tales pueblos: y que si fueren en pueblos encomendados à personas particulares, se hagan a mi costa è de tal encomendero, y que tambien ayuden los Indios de los tales pueblos encomendados, y la mesma ordenes nuestra merced y voluntad que se tenga en esa tierra enhazer de los dichos monasterios. Porende yo Vos en cargo y mando que luego os informeys è sepays en que partes è lugares de esas Provincias del Peru ay necessidad que se hagan monasterios de la dicha Orden, y en las partes

tes que hallaredes que conuiene hazerse, proveays como se hagan, teniendo intento a que las casas se hagan humildes, y no aya en ellas superfluidad; y en los lugares donde se huvieren de hazer, si fueren en pueblos que estinuieren en la corona Real, deys orden como se hagan a nuestra costa, y que ayuden a la obra è edificio dellos, los Indios de los tales pueblos. Si fuere en pueblos encomedados a personas particulares, bareys que se hagan a nuestra costa & de los tales encomenderos, que tambien ayuden los Indios de los tales pueblos encomendados, como dicho es, que siendo como a de ser en beneficio de todos, è la obra tan buena, justo es que todos ayuden a ella. Fecha en la villa de Valladolid a veinte y tres dias del mes de Março de 1550. años. Maximiliano. Por mandado se su Magestad Su Alteça en su nombre. Iuan de Samo.

2. Eximium certè Cæsarel Regiique erga Ordinem nostrum animi & de eo æstimationis argumentum, qui tam sollicite curârit sumprus in ædificia nostrorum, in quibuscumque seu civitatibus seu municipiis judicarentur opportuna, præbere, quod nulli anteà præstitit Religioni. Nam neque Numerator major (a) Francilcus Lupus de Caravantes Regis mandato Regem informare jussus, post sedulam inquisitionem in archivo Audientiæ seu Cancellariæ Limensis (b) quæ in Peruvia est principalis & Proregum sedes, aliud simile diploma invenit; Neque ipse etiam P. Bonaventura de Salinas Franciscanus novâ diligentiâ pro conquirendis sui Ordinis monumentis in eodem archivo Limensi factâ.

(a) *Contador Mayor.*

(b) Lima sive Civitas Regum Caput Regni Peruani post subjectionem per Hispanos factum, sicut ante eam erat Cuzco.

3. Sed neque posteà cuipiam Ordini specialiter reperitur concessum. Nam quod à Philippo II. dùm Societas Iesu aliorum Ordinum, nominatim nostri, S. Dominici, S. Francisci, Mercenariorumq; labores suis viribus adjutura, prima Aprilis anni quingentesimi sexagesimi octavi supra millesimum (c) Limam intravit, datum fuit, commune fuit cæteris in eodem nominatis. De quo ne cui dubium possit suboriri, ponam diplomatis (d) verba prorsùs immutata.

(c) septem decim annis post nostrorum ingressum

(d) dati anno 1568. 30. Nov.

Por quanto soy informado del gran fruto que las Religiones de Santo Domingo, San Francisco, San Augustin y la Compañia de Iesus hazen en ese nueve Orbe del Peru con predication y exemplo asi en la conversion y dotrina de los Indios, como en el provecho de los fieles, os mando que en todas la ciudades, villas, y lugares, que os pareciere convenir se funde un Convento de cada una destas quatro Religiones, y se hagan à costa de mis Reales cajas de qualquier oro ò plata, que en ellas huviere, con atention que sean las Iglesias y Conventos bechos con moderation sin superfluidad.

4. Ministri item Regii, dum supplicationi Patrum Societatis subscriberent, (e) ad diploma Augustinianis datum, neque ad aliud respexerunt. *Que se le diesen*, inquiunt, *para el sitio de su fundacion otros dos mil y doçientos pesos, como se avian dado a los Religiosos de San Augustin.*

(e) 2. Iulii 1568.

CAPVT IV.

Abscessus nostrorum ex Hispania; & suprema eis à Præfecto Provinciali Francisco Serrano præcepta data.



Am Reglæ exstantliteræ expeditæ, jam conscriptus duodenarius Missionariorum numerus, quorum animi igne divini Amoris, salutisque Infidelium desiderio exæstuantes impetu quodam in vastam illam, totque maribus dissitam messem ituriebant, cùm illis Serranus extremam elargiturus benedictionem, *Ite*, inquit, 1.

quit, filii, & animos ad tolerantiam obfirmate. Excipient mox vos pelagi non tantum tædia sed pericula jactationesq́;. Invenietis barbaros non magis linguis quàm moribus, legibus, Religione dissentientes; &, quod durius est, exacerbatos Hispanæ avaritiæ & crudelitatis provocatione. Videbitis etiamnum campos ignotos nostræ nationis sanguine ossibusq́;, quem bella civilia profuderunt projeceruntq́;, fœdatos, neque certo adhuc fœdere inter se satis coiisse. Magna hæc malorum difficultatumq́; congeries est, sed ideò non tacenda, ne improvidis occurrens consternat imparatos. Contra hæc induite armaturam Dei; neque velim vobis subrepat arbitrari vestris illa viribus superanda: solius hoc opus divinæ opus est, in qua si fidentes eritis, eritis simul fortes, ut per quæcumque adversa vivi incolumesq́; transeatis; aut mortem inveniatis vitâ quibuscumq́; tandem bonis abundante gloriosiorem beatioremq́;, portam scilicet ad illam vitam, quam statu Religiosi professione, totq́; quotidianis imò momentaneis luctis jampridem consectamini; ibi fortè eam consequemini per compendium. Vt ut erit, Dei, quam modò acturi estis, causa est, cui se obedientia Superiorum adjungit: illa animabit, hæc reddet securos.

2. Hæc cum breviter (nec enim pluribus opus erat apud scientes excitatosque) monuisset, subjecit præcepta, Provinciales in Peruvia futuri ut Provincialibus Castiliæ subjiciantur, donec distinctæ Provinciæ declarentur: Nihil in cæremoniis, legibus, usibus, vitæ communis ratione immutetur, inducaturve à consuetudine Provinciæ Castellanæ diversum, nisi quòd impræsentiarum permittantur quatuor, ad majorem vitæ austeritatem, clariusque charitatis & paupertatis testimonium pertinentia: habitus, quàm usus ferat Hispaniæ, grossior: ternæ in septimanas singulas per nodosos funiculos castigationes; (a) Plures pro defunctis confratribus missæ; & abdicatio redituum, eò in ingressu servitura, ut opinionem de avaritia Hispanorum conceptam ab animis infidelium abradat aut tegat.

(a) disciplinas.

Concedebatur etiam ut nascentibus Parochiis (b) inservirent, non aliâ tamen lege quàm ut omne temporale lucrum excluderent. Tanta erat nostrorum Patrum sollicitudo, ut minutissimè, quidquid quoquo modo Euangelii prædicationi posset obsistere, removerent, excluderentque, etiam quæ vetus receptaque Constitutionum forma admittit.

(b) Doctrinas Hispanicè vocant.

3. His præceptis instructi & exhortatione alacres, Prælati pedes, ac Confratrum manus exosculantur abeuntes, mutuasque à se preces non sine lacrymis exquirunt. Tùm obversum profecturis Serranum dixisse constat, *Isote beati qui & messem copiosam reperturi, & copiosiorem consecuturi estis gloriam.*

4. Discedunt Salamancâ Hispalim (c) octavo Kalendas Aprilis (d) anno supra sesquimillesimum quinquagesimo. Vbi dum tempus navigationi opportunum operiuntur, paterna Prælati cura eos sequitur literis iisdem, quæ subjungo, verbis, conscriptis.

(c) Sevilla.
(d) 25. Martii.

Reverendos y carissimos Padres la gracia y bendicion de nuestro Señor Dios sea siempre en su guarda y los lleve y conserve en salvamento, para que dignamente le sirvan en las obras, para que los escogiò. Yo è rogado al Padre Provincial de las Indias (e) tomase ese trabajo par amor de Dios, de querer ir hasta Sevilla, para que los encaminase en su viagie, y el por me hazer plazer, y a vuesas Reverencias buena obra lo a tenido por bien; por tanto en todas las cosas haran lo que el les digere hasta su partida. El modo que se tendrà para el, que a de ir por mayor, sea este: juntarse han un dia quando al Padre le paresciere, y diràn una missa del Espiritu Sancto y dicha, juntarse han en un cierto lugar, y elegidos dos escrudiñadores con el Padre Provincial de las Indias, que se hallara presente, elijan un Prior canonicamente, y este tal elegido y nombrado yo le confirmo por tal prelado vuestro, In nomine Patris & filii & Spiritus Sancti Amen. Y al tal eleto, le mando en virtud de Sancta obediencia, que luego lo sea y se tenga por tal Prelado, y mande en todas

(e) Mexico.

las

las cosas asi como lo disponen nuestras Constituciones y manera de vivir: y este tal sea siempre Prior y Prelado de todos vuesas Reverencias en esas partes del Peru, hasta tanto que vayan los Religiosos, que han de ir de Megico. Y idos, juntar oseys todos en la ciudad ò pueblo, que os pareciere que mas conviene, y dicha la Misa del Espiritu Santo, y guardado el modo y concierto, que quieren nuestras Constituciones, eligirse ha uno del cuerpo de esa congregacion, y el tal eleto llamarse ha Provincial, y su officio sera el que exercita el Provincial destas partes en Castilla, y este modo se guardarà de ai adelante en todos los trienios que sucidieren, juntados en el dia, que en estas partes nos juntamos, eligereys vuestro Prelado y Provincial por la manera susodicha, el qual tendrà la governacion de esas partes, y regira sin ningun escrupulo, porque en nuestros Capitulos el que allà eligieredes, y los que fueron de aì adelante eligidos, seràn el y todos los demas sugetos à esta Provincia de Castilla, y estarà a su voluntad y determinacion privar y suspender al tal Prelado ò Prelados que fueren, y proveer à quien el quisiere y por bien tuviere todas quantas vezes fuere su voluntad y parecer, porque con tal condicion os damos la tal elecion y nombramiento, y asy os mandamos en virtud de Santa obediencia, y so pena de escomunion lata sententia que guardays y cunplays todo lo sobredicho, porque esta es nuestra determinada voluntad; y en lo demas y en otras cosas particulares, que se podràn ofrecer aì en Sevilla, remito me al Padre sobredicho, el qual les informarà de algunas cosas que allà les seràn provechosas.

Item mando so pena de escomunion lata sentensia trinâ canonicâ monisione pramissâ, que ipso facto que eligieredes mayor en Sevilla y Provincial en el Peru, donde vays, los que fueren eligidos, luego lo aceten guardando la forma sobredicha.

Quiero, Padres mios, advertirselo y juntamente mandar selo que huyan de hazer novidades, sino que procureys de plantar la regla y manera de vivir de nuestra Orden, porque si otra cosa quisieren hazer, luego caerà. No os rijays por algunos ervorcillos ò devociones que fueden algunos tener, mas mirad vuestras leyes, y con mucha prudencia tened siempre respeto a los tiempos venideros que se mudan, lo qual podeys manifiestamente ver, quando los Apostoles començaron a predicar, como en breves tiempos se mudaron muchas cosas de las, que ellos instituyeran, y en sus mismos tiempos, y si al presente os pareciere no recibir rentas, sea en orabuena, mas sea de tal manera, que no cerreys la puerta para que quando os pareciere a vosotros, ò a vuestros sucesores, podeys recibir lo que os dieron sin escandalo; y si allà recibieredes Religiosos, mandaos que las legitimas que dellos vinieren, las eredeys y tomeys, como lo manda nuestro Padre. Porque hazer lo contrario me pareçe ser muy pernicioso, y en grande agravio de la Religion.

Quiero, mis carissimos Padres, dar fin a esta carta, encomendando les lo que Christo nuestro Señor al fin de su partida encomendò a sus dicipulos, que fue la paz, que esta procuren de guardar con gran diligencia y cuydado. Tened siempre, mis amados Padres, delante la obra de tan grand servicio de Dios que vays a començar, y que el demonio nuestro adversario se a de efforçar a perturbar os, mirad que no le querays dar lugar, resistilde, y si alguno no le resistiere como es razon Vos qui spirituales estis instruite illum in spiritu lenitatis.

Otras cosas, mi Padres, les quiero advertir, y es que huyan de opiniones, sino que prediquen su Euangelio; procurad de tener afabilidad con todos; y obedeced a los Governadores y Obispos, y con todas agradable conversacion. Mirad que no querria que en menos posesion os tuviesen en estas partes y el Enperador y su Consejo, que tienen à las Padres de nueva España (a) por los quales tenemos mucha onra, y esto vereys claramente por lo que con vosotros se ha hecho mas que con ninguna otra Orden, lo qual os mostrarà el Padre Provincial de las Indias. Suplico yo a nuestro Señor que siempre sea en su guarda, y les dè gracia para que siempre haga su santa voluntad, y que oyga yo muy buenas nuevas siempre de vuesas Reverencias, y ruegoles por amor de nuestro Señor me encomienden a Dios, que me dè gracia para que siempre yo le sirva, P 3 *yo le*

(a) Megico.

y le dè buena cuenta de lo que me à encomendado, lo qual espero alcançar por sus oraciones, y tiengan por cierto que en todo lo que yo pudiere, les favorecerè aora y en todo tiempo. Deste nuestro Convento de Medna del Campo y de Abril a catorze, año de mil y quinientos y çincuenta.

5. Literæ quæ præter prudentiam Prælati scribentis, digito quasi demonstrant, quàm profunda fuerit Apostolorum nostrorum humilitas prælationisque fuga cum nihil æquè severè aut sub Excommunicationis pœna debuerit edici quàm Officiorum præcipuorum acceptatio, apud talem maximè nationem, quæ suàpte naturâ non solet esse aut honorum aut dignitatum prodiga.

6. Ille etiam, qui sæpè repetitur Indiarum vel Novæ-Hispaniæ Provincialis, nomen habebat Ioannes de Sancto Romano, qui & simul Provinciales Ordinum Sancti Dominici & Sancti Francisci nomine Regni Mexicani anno 1544. exiverant Legati apud Cæsaream suam Majestatem supplicaturi, ne executioni mandarentur leges contra primos illarum terrarum subjugatores latæ, quam in remotam usque Germaniam sunt prosecuti, nec rediit in suam Provinciam nostri Ordinis Provincialis nisi nono, ab exitu suo, anno (a)

(a) 1553.

7. Solvit tandem ex portu Cadiz classis Regia, & in ea nostri, eâ modestiâ, servatâ silentii lege, exercitiorum assiduitate, ut viderentur secum in mare monasterium aliquod transtulisse, ita navigii cameras orationi meditationique fecerant servire, & pro cathedra concionatoria ipsos rudentes, ex quibus graviter dicendo vincula peccatorum disrumpebant. nam horum exhortatione multi delicta sua confessione auriculari expiare, plerique statis temporibus ad sanctissimi Rosarii aliarumque precum recitationem concurrere, ipsi etiam profanissimi nautæ non parùm de consuetis & veluti agnatis jurandi formulis dimittere. Facies ipsis semper serena, conversatio candida & ferè sacrarum rerum narratione respersa, verba lenia, affabilitas ad omnes communis, ut ex nunc per hos fructus præludere viderentur maximis quos posteà essent consecuturi, & per opinionem sanctitatis, quam apud omnes obtinebāt, viam sternerent ad prædicationem Euāgelii fructuosiorem. Hæc causa erat ut quilibet gauderet dùm Confratres suos *Sāctos* appellari audiret, &, dùm idem ad se nomē transferri, confunderetur. Magnoperè etiam incumbebant, ut aliqua Indicæ linguæ haberent rudimenta, hinc vocabula ignota sæpè sciscitari, & pronuntiando repetere, eadem, ne exciderent, codicillis mandare, à se invicem exigere, & per hoc memoriæ facere experimentum. Adeò omnia studiosissimè dirigebantur ad eum finem, propter quem, relictâ patriâ, navigabant. Ita agebant, & quasi athletæ ad futuram luctam exercebantur & ungebantur donec classis portum Nominis-Dei (b) & exinde Panamæ teneret, quò pervenerat navigatione tā fortunatâ, ut passim diceretur, Cælum ad obsequium Sanctorum Augustinianorum ventos disposuisse.

(b) Nombre de Dios portus.

8. Expositos excipiunt Supremæ Iustitiæ ministri (c) providentque de domo, supellectile, victu copiosè, non tam Regiarum literarum mandato, quàm celeris famæ præcursu, omnium de eis æstimationem publicantis. Nomine-Dei Panamæq; quatuor solidos menses coguntur subsistere, tantò instantiùs quantò commodiùs Religiosis exercitiis fūctionibusque incumbentes. Dicebant pro concione frequenter, in administratione Sacramentorum Pœnitētiæ & Eucharistiæ, in infirmorum visitatione erant assidui, ut voluissent rogarentq; obnixè incolæ apud se ut, relictâ ulteriori navigatione, permanerent. Verùm non ignorabant nō tam suâ quàm Superiorum volūtate in hac se profectione agi, à qua deflexisse, peccasse sit, omnemque eius fructum impedivisse.

(c) La justicia mayor.

Recto

Recto scilicet *tramite obedientiæ graditur, neque ullos novit anfractus, quos si proprium judicium adjicere tentet, præcipitem ducit in ruinā.* Quo enim eventu Ionas præceptam à Deo in civitate Ninive prædicationem fugit? nónne incidit in soporem gravem, naufragii periculum, ejectus tādem in spumantis maris gurgites? ita suâ se voluntate à mandato Dei deflectenti omnia adversabantur. Nec minorem nostri castigationem in locum iperatorum fructuū metuebant, si Panamæ aut Nomine Dei, non in Peruvia, quò ire jussi erant, prædicare statuissent.

CAPVT V.

Adventus eorum in Peruviam.

1.  Ctis igitur Panamensiū humanitari adfectuiq̀ue; quas poterant, gratiis, confessā rursus nave prætoriā vela faciūt per mare Pacificū, & quatuor ampliùs mensium navigatione appellunt ad portū *Callao* non longè Limâ totius maritimi tractus excultissimâ metropoli distātem. Quò iterū fama prævolaverat, multò etiā, quam Panamę in laudes Augustinianorū indulgētior, ita ut jam ferè non esset hominū cōcio aut domus, in qua eorū virtutes non prędicarētur, dicereturq; advenisse homines planè Apostolicos, qui nullarum rerum, quàm lucrandarū animarum cupiditate traherentur, cætera omnia, ipsamq; auri, quod tam multos mortalium in Peruviam alliciebat, copiam, ut stercora, reputantes: habitus quidem eorum in testimonium pœnitētiæ esse asperos rudesq̀ue, jejunia rigida, severas silentii leges etiā in navi observatas; sed consuetudinem, mores, sermones re omni suaviores gratioresq̀ue, ut etiam tunc placerent, quod rarum est, dum vitia reprehenderent. Neç tacebatur quid in hoc, quid in illo, esset magis cōmendandum. Quæ omnia eò credebantur faciliùs, quòd illa in horum Patrum præcursore P. Augustino de Trinitate oculis suis observassent. Quapropter non tantùm Callaani sed & Limenses effusè ad portū, quasi in eo solemnes essent feriæ, ferebantur nihil aliud sciscitantibus, quò irent, respondentes, quàm, ad videndū *Sāctos*, qui appulerant, *Augustinianos*. Cūque illuc progressi essent ut cernere eos daretur, certatim aut manibus aut vestibus osculum figere genuflexione venerabundi nitebantur. Ac posteà, propter notam sanctæ eorum vitæ rationem, mos obtinuit ut plebs seu Hispanica seu Indica genuflexa, præcipui profundè inclinati transeuntes honorarent.

2. Nec minor pro dando hospitio quàm exhibenda veneratione pugna fuit, quolibet sibi primas efflagitante, sed quodam prævenrionis jure obtinuerunt, qui primi P. Augustinum de Trinitate exceperant, Ferdinandus Gonsalvus de la Torre, ejusq̀ue conjux Ioanna de Cépeda, qui singulare ex eorum adventu conceptū gaudium pręsentibus verbis operibusq̀ue, quæ per omnem vitam continuârunt, sunt contestati.

3. Erat sanè par illud conjugium non minùs splendore generis quàm multarum virtutum illustre. Et quidem genus scire cupientes ad P. M. Antoninm de la Calācha (a) remitto. Fidelitas autem Ferdinandi erga suum Regem per viginti-duosq; annos inter tot proditores rebellesq̀ue fuit inconcussa, & cum facere stipendia cœperit sub ipsis conquisiti imperii Perūani exordiis, nulla famæ ejus nitorem labes potuit inficere, multa autem reddiderunt fulgentiorem. Qualia certè sunt strenuam Francisco Pizarro operam navâsse in comprimenda generali Infidelium rebellione, obsidionem Limēsem solvisse; tulisse obsessis Cuzcanis suppetias; expurgasse ab inimicorū infestationibus vias, reduxisse à rebellione & continuisse in officio dissectas

(a) lib. 1. de la Coronica de San Augustin en el Peru ca. 21.

diffectas ad ducentarum leucarum spatium Provincias de *Guaylas* finitimasque; cùm factio Chilensis Duce Didaco de Almagro Iuniore Marchionem Franciscum Pizarrum in suis ædibus trucidaret, non tantùm non consensisse novis tumultibus, sed iisse qui advenientem illis componẽdis Gubernatorem Bacam de Castro ultrò accerseret, juvaretque, quoadusquè in prælio *Chupanensi* superatum captumque Ducem extremo supplicio adfecisset; fuisse ex primis qui cõtra Ferdinandũ Pizarrum colligeret militem sustentaretque in auxilium Gascæ Pacificatoris, donec rebellem, eique adhærentem Caravajal, crudelissimum certè tyrannum, prospero ad *Xaquixaguana* conflictu profligatos, capitali sentẽtiâ castigasset; Proditorem Franciscum Ferdinandum Giron variis certaminibus fregisse. Quæ omnia, & eorum quodlibet perpetua erunt fidelitatis testimonia.

4. Vtriusque autem misericordia eleëmosynæque in omnes collatæ fuerunt singulares, maximè in Augustinianos. His primò vixit P. Augustinus de Trinitate, habuitque domum & sacellum. Et, ut perpetuò comites graderentur misericordia pietasque, his structa posteà sumptuosissima Capella; his constitutum ut duo per hebdomades singulas dicerentur sacra, altero pro animabus suis, altero pro Infidelium conversione solliciti; his empta templorum ornamenta, & Conventuum reditus. Quas eorum eleëmosynas si in computum redigamus, constat eum quinquaginta pesorum millia excedere: reditusque posteà nepris eorum Ludovicæ liberalitate adjectos mille & octingenta pesa annua superare. Prætet hæc, pharmaca ægrotis nostris per annos quinquaginta, quibus Ioanna vixit post cœpta conferri Augustinianis beneficia, administrata. Hoc breve benefactorum Ferdiuandi & Ioannæ encomium posteritati aliisque terris gratitudo voluit transmittere.

5. Apud hos ergò Apostoli nostri in suo ingressu sunt hospitati, manseruntque dies triginta. Ingressi siquidem Kalendis Iunii anno quinquagesimo primo supra millesimum quingentesimum, IV. Idus ejusdem mensis literas Regias Andreæ de Cianca, Bravo de Sarabia, & Ferdinãdo de Santillan Concilii Limensis Auditoribus, præsentârunt. Quibus illi debito honore acceptis obtemperare satagentes mox ingentes Ioannis de Morales ædes ad occiduam soli partem versus mare sitas pretio bis mille & ducentorum pesorum compârarunt; earumque partes religiosissimè distribuerunt. Hîc Ecclesia, ibi Conventus cellulæque fratrum, alibi officinæ non tantùm designatæ videbantur, sed & aptatæ eâ celeritate, ut in eas ultimâ illius mensis, quo appulerant, die, transierint habitatori. Quæ tamen succedente tempore in Parochiam Sancti Marcelli sunt transmutatæ.

CAPVT VI.

Temporis, quo Augustiniani Peruviam ingressi sunt, opportunitas.



ON istâ peste, quæ plurimos moderni temporis scriptores infecit, tabesco, ut imminutum eam sanctissimos aliorum Ecclesiasticorum aut Mendicantium exantlatos in conversione Infidelium labores, quasi tunc gloriosè Ordinis nostri facta commendavero, si improbavero aut tacuero ubi dicenda sunt, aliorum. Istud non aliud unquàm judicavi nisi puerilis animi pruritum, molli muliebrium plebeiarumque laudum ungue scabi desiderantis, seseque inaniter extollentis si apud multitudinem obtinere 1.

tinere potuerit, ut credat dicatque suæ Religionis alumnos primos in omnium Infidelium terras penetrâsse. Excellentes gloriandi materiæ, sed si quis in Domino glorietur, neque injustâ persuasione præripiat, quod zelantes licet humiles aliorum labores meruerunt. Hoc ego probrum, nec mitiori vocabulo appellandum censeo, protsus à me oppo alienum, reque ipsâ ostendissem si factorum in Peruvia per alios Ordines commentarios, quos ab ipsis petivi, habere potuissẽ. Quos dùm non sum consecutus, nostra quidem scribo, ut tamen dum possum, monstrem me non invidere alienis, si aliena dicenda quæ ejusdem Spiritus fœcunditate sunt prognata.

2. Ingressi sunt ergo Augustiniani Peruviam tempore quidem, quàm gloriosissimi S. Dominici, S. Francisci, & Mercenariorum Ordines, posteriores, sed adeò opportuno, ut cum primis in magna illa messe simul cœperint operari; non negligentiâ eorum qui præcesserunt, sed temporum iniquitate tumultibusq; ferventissimos eorum animos impedientibus. Quæ dum probare contendo, repetenda breviter video, quæ in libro 2. & 3. prolixè sunt enarrata.

3. Dum Franciscus Pizarrus primò Perüanum imperium conquirere pararet, progressusque cum duodecim ejusdem animi fortitudinisque militibus esset ad Insulā Galli (a) (nec ultrà tùm poterat) nullus ipsis aderat Ecclesiasticus. Dumverò anno supra sesquimillesimum trigesimo-primo ex Hispania redux in Coaquam (b) irrupisset, secum habebat P. Vincentium de Valverde egregium magni Dominicani Ordinis lumen, posteà Episcopum Cuscanum, tandemque in odium prædicationis Euangelicæ occisum, & Ioannem de Sosa Sacerdotem sæcularem. Valverdius autem capto per Pizarrũ anno 32. (c) in Cajamalca Ingâ Atagualpâ, in Hispaniam profectus est, unde non rediit nisi 37. solo apud Pizarrum manente intereà Ioanne de Sosa. Advenerat tamen cum Benalcaçar alius ex Mexicanis finibus Ordinis de Mercede Sacerdos, aderat etiam cum suo collega quidam Ocaña dictus; nec plures tunc habebat Peruvia Sacerdotes, eosque, non quidem sui ratione, sed tamen incommodis aliundè illatis, inutiles. Quandoquidem anno 32. cœpta est generalis notabilisque illa Indorum contra Hispanos conspiratio duravitque ad annum 36. Ingâ *Mancocapac* non tantùm incentore sed & ardentissimo nutritore. Secuta sunt bella inter Hispanos civilia multò hâc funestiora Ducibus Didaco de Almagro patre, & Francisco Pizarro quæ omnem regionem usque ad annum 40. occupârunt. Quæ deinde alia ex aliis longo ordine sunt nata ut verissimè dicetetur.

(a) *Isla del Gallo.*
(b) *Coaque.*
(c) *alii dicunt.*

Finis alterius mali
Gradus est futuri.

Nam anno insequenti Didacus de Almagro filius patris mortem, suique ac suorum contemptum vindicaturus, violentiâ militum manu in ipsum Gubernatoris Francisci Pizarri palatium Limæ irrupit, Gubernatorem interfecit, collectisque suæ factionis copiis, atque aliis etiam propter gratam recentemque parentis memoriam aggregatis dominari Peruviæ instituit, quem Baca de Castro prœlio superatum, in Cuzcensi civitate capite plecti anno 43. imperavit. Circa quod quidem tempus intraverant quatuor Dominicani totidemque Franciscani Ordinis Religiosi; hos ex Mexico adduxerat P. Marcus Nisensis (d) quos non ultrà Quitum potuit deducere, ipse properè in Mexicum recorrens. Sed quid facerent in Euangelii prædicatione Religiosi inter bella, quibus nulla vidit Peruvia crudeliora aut magis tyrannica? Gonsalvus siquidem Pizarrus, qui latissimum totius tractus, quantùm à Quito ad Æquatorem sita, ultra Tro-

(d) de Nisa.

picum Capricorni excurrit, dominatum sibi destinabat, venientem cum Regiis literis, & Proregis potestate tituloque, Blascoue (a) Nuñez Vela aditu prohibere statuit, ingressum compellit retrocedere, persequiturque fugientem, donec collatis tandem signis pugnantem indignè occidit anno 46, (b) a quo ipse cum suo Caravajal usque ad 48. aut rexit tyrannicè, aut contumaciter cum Gasca nomine Regis regiones pacificaturo bellum gessit, usquedum victus tandem captusque, suâ morte lictoris manu illatâ (c) testatus est quàm rarò constet apud rebelles tyrannos, ue secundior fortuna, eamque illis ut plurimùm non arridere, quàm ut possit irridere. Successit mox Francisci Ferdinandi Girón rebellio, quàm Regii multis difficillimisque prælius vix tandem frangere potuerunt (d) Adeò ut ab exordio subjugatæ Peruviæ usque ad annum illius sæculi quinquagesimum-primum (quo cum titulo & Authoritate Proregis in eam intravit Religiosissimus Antonius de Mendoça Ordinis nostri faventissimus patronus) non nisi seriè quadam numerentur, rebelliones, conspirationes, infidelitas Auditorum, (e) tyrannicæ præcipnorum oppressiones, fugæ & latebræ aliorum, homicidia, latrocinia, immania bella, quæ omnem de propaganda fide cogitatum præscindebant.

(a) Blasco.
(b) 18. Febr.
(c) 4. A rilis 1548.
(d) lib. 5. cap. 4.
(e) tempore Proregis Blasconis.

4. Eratque illorum temporum calamitas eò major, quòd in paucos, qui aderant, Ecclesiasticos sævire auderet tyrannica ambitio, quæ tres, unum Dominicanum, Mercenarium alterum, tertium sæcularem, Sacerdotes contrucidavit; alios exulare jussit aut factioni suæ aggregavit, quos partâ dein victoria abscedere compulit justa Regiorum indignatio.

5. Certè hanc prædicationi Euangelii remoram mutuis Hispanorum tumultibus injectam doluit, doloremque suis literis (f) testatus est Catholicus Cæsar; clarâ verò abominatione deduxit Christianæ charitatis igne flagrans magnus vir Bartholomæus de las Casas ex Ordine Dominicanorum Episcopus Chiapensis (g) in suo, quem sub titulo *Destructio Indiarum* Hispali (h) impressit, (i) libro, quo Cæsarem Senatumque negotiis Indicis præsidentem de eorum statu instruere satagebat, quem his verbis concludit.

(f) datis 16. Febru. 1546.
(g) de Chiapa, quæ habet altitudinis Septentrionalis octo gradus.
(h) Sevillæ.
(i) anno 1552.

6. *Hasta oy, desde sus principios, nunca se a tenido mas cuydado por los Españoles de procurar, que les fuese predicada la fè de Iesu Christo a aquellas gentes, que si fueran perros ò otras bestias; antes han proibido de principal intento à los Religiosos con muchas afliciones y persecuciones, que les han causado, que no les predicasen, porque les parecia que era impedimento para adquirir el oro y riquezas, que les prometian sus codicias. Y oy en todas las Indias no ay mas conocimiento de Dios si es de palo ò de cielo, ò de tierra, que oy a cien años entre aquellas gentes, sino es en la Nueva España, donde han andado Religiosos, que es un rincongillo muy chico de las Indias. Y asi han perigido y pereçen todos sin fè y sin Sacramentos.*

7. Quæ latinè sic redduntur. *A principio usque in hodiernum diem non magis solliciti fuerunt Hispani ut illis gentibus Iesu Christi fides prædicaretur, quàm si essent canes aliave animalia bruta. Quin potiùs expressissimè Religiosos, multis adflictionibus persecutionibusque illatis, ne prædicarent, prohibuerunt, arbitrati hoc fore adquisitioni auri divitiarumque, quas insatiabili sibi cupiditate promittebant, impedimentum. Neque major modò, quàm fuerit à centum annis, in totis Indiis est Dei cognitio, ignorantibus an sit ex ligno, an cœlo, an terrâ; si modò Novam-Hispaniam, in quam Religiosi intrarunt, quæque non nisi minimus est Indiarum angulus, excipias. Atque ita perierunt, pereuntque omnes sine fide & Sacramentis.*

8. Neque hoc malū prorsus extinxerat providentia pii Cæsaris, non aliâ lege permittentis Hispanis dari Indiarū terras in Commendā quàm ut indi-

indigenas in fide Christi erudirent, aut Religiosum, qui erudiret, constituerent. Civilibus enim bellis id agebatur ut brevissimo tempore apud eundem Commendæ constarent; aut occuparentur, expulsis per vim legitimis Commendatariis, à rebellibus, quibus nulla erat minor quàm observandi Cæsarei mandati cura, aut certè non inveniebantur ob causas modò expositas, qui instruerent, Religiosi. Commendatarii autem quidam religiosiores, vel potiùs magis de retinendis aliquo titulo Commendis solliciti Hispanū aliquem mutilatione, senio aut propriâ socordiâ ad alia inutilem, dato victu aliâve mercede ad instructionem Indorum sibi Commendatorum conduxerant, qui duas tresve, prout sciebant, orationes linguâ Castellanâ recitando præibant Indis illas non magis, quàm si Græcâ Hebraicâve dicerentur, intelligentibus; præterquàm quòd in malè educatis suique impotentibus non levia vitia, quæ citiùs quàm fidei rudimenta ita proposita assequerentur, observarent. Quapropter tantùm aberat ut in ea proficerent, ut illam dotiùs contemnerent doctorū suorum sorditie, ineptitudine, vitiisque provocari; quos etiam conviciosis vocabulis palàm irridebant, appallantes eos suis verbis *Sayapayac*, quod est, alieni mandati observatores; vel ordinariè *Bixaaraicos*, quod est, cibo potuique intentos ac deditos: atque hoc modo, quæ in illis animadverterant, vitia exprimentes. Hunc verò instituendorum Infidelium abusum edoctus Cæsar, suis legibus, & Synodus posteà Limensis (a) abrogato fategerunt, ut providâ præcautione prævenirent nasciruros in fide errores, cum jam serò deplorarent similis omissione diligentiæ tam luxuriosè pullulasse vitia morum.

(a) anno 1567. c. 85.

9. Decreti Cæsarei verba sunt quæ sequuntur, *Porque tengo informacion, que teniendo los Castellanos las encomiendas de Indios, con cargo de dotrinarlos y enseñarlos la fe Catolica, no lo avian echo, a cuya causa se estavan en su infidelidad sin nunguna luz de fè. Por lo qual los Encomenderos son obligados a restituir los frutos, que han llevado, porque el origen destas encomiendas fue representando siempre el bien de los Indios para que fuesen dotrinados en las cosas de la fè, y para que ningun agravio recibiesen, y es cargo anejo a la encomienda, de tal manera, que no lo cunpliendo, demas de la restitucion de los frutos llevados, es legitima causa para privarlos de las encomiendas. Por lo qual mando, que se tenga gran cuydado en saber si los Encomenderos cunplen con la obligacion que tienen, y constando acerca de lo dicho, no cunplen con lo que son obligados, se proceda contra ellos por todo rigor de derecho, y esta sea la causa legitima para privarlos de los Indios, y para haʒerlos restituir las rentas que ayan llevado despues de la notificacion desta orden; y lo que desta condenaçion se sacàre, se gaste en la conversion de los Indios.*

10. Suum verò decretum ita Synodus complexa est.

Aunque por la falta que basta aora a avido de Sacerdotes, se a permitido, que algunos seculares ayan enseñado a los Indios los articulos de la fè, y oraciones que comunemente a los Christianos enseñan en la Iglesia. A parecido que de aqui adelante no se dè lugar a esto, porque aora al principio no acontezca por ignorancia senbrar algunos errores, que despues con mucha dificultad se ayan de desarraygar, por tanto manda esta Santa Synodo a todos los Visitadores y Vicarios, que de aqui adelante ninguno dellos dè licencia a seglar alguno debajo de socolor de qualquier licencia que tengo que lo pueda haʒer. Y qualquier Español que de aqui adelante se atreviere à enseñar lo susodicho en algun pueblo sin licencia particular in scriptis del Diocesano, ò de la persona a quien cometiere sus vezes en esto, sea descomulgado por descomunion mayor.

11. Ex hac, ni fallar, rerum in 2. & 3. libro dictarum synopsi, breviq; aliarum adjectione constat Augustinianos, etiāsi cū ipsis Conquisitori-

bus in Peruviæ regnum non penetraverint, in prędicatione Euangelii nulli Ordini primas concedere debere, utpote cum ante illorũ ingressum tot prædicationem incommoda, (ut zelum aliorum Religiosorum quàm maximè meritoque laudemus) præpedirent. Vixq; ingressi (a) per adventum Proregis Antonii de Mendoça eodem illuc anno ex Nova Hispània accedentis nanciscerentur prędicandi opportunitatem. Verè dici hîc possit quod dixit de cursu ad Salvatoris monumentum, Petri Ioannisq; Evangelista. (b) *Currebant duo simul & ille alius discipulus præcucurrit citiùs Petro, & venit prior ad monumentum, vidit linteamina posita, non tamen introivit: venit ergo Simon-Petrus sequens eum & introivit ad monumentum.* Currebant Religiones ad conversionem Peruanorum, prævenerunt que juniores cursu veteriorem S. Augustini, ideò tardiùs currentem ut intereà Regiis literis munita prima esset cui ex ærario Regio necessaria cuncta præberentur; ut illo tempore accurreret, quo mox in Euangelicæ prædicationis messem intraret. Generatim verum est illud Cõmici. (c)

(a) 1551.

(b) Ioannis 20.

(c) Terentius.

In tempore ad eam veni, quod rerum omnium est primum.

CAPVT VII.

Mox ab Augustinianorum ingressu cœpta est prædicatio.



1. TEMPORIS opportunitatem arbitratus sum (d) non in eo solùm consistere, quòd non ante nostrorum in Peruviam ingressum, propter inextricabilia bellorum incommoda calamitatesque, initium dari Euangelicæ prædicationi potuerit; sed &, eandem statim ab illorum adventu fuisse stabilitam. Et hæc quidem posterior pars, ut probaretur, restabat, pro qua totum hujus in sequentibus historiæ decursum, unicum volo esse argumentum, si tantum hoc capite, ne alibi indecorè sit exhibendum, præmissero literas Philippi II. tunc nondum Regis, mirificè Religiosorum labores, ex iisque ortos fructus commendantis, & suâ benevolentiâ remunerantis; Nisi forte censeamus illas negligendas, quæ non tantùm nostræ historiæ institutum confirmant, sed confundunt etiam manifestè eos, qui præcipiti in Religiosos odio, aut obtrectandi consuetudine, eorum vellent in conversione Infidelium studia profectusque evacuare. Ostendunt prætereà gloriosos coævosque cum nostris, Dominicanorum & Franciscanorum, secutosque postcà (e) Iesuitarum, de dæmone viriisque Perüanorum animos excæcantibus, triumphos. Et quidem, si tempus, quo à me primo loco ponendæ, scriptæ sunt, (f) observes, colliges fortasse miraberisque mecum laborum improbitatem, qui tam paucorum annorum (g) lapsu in adeò difficiis ac immenso pelago seclusis regionibus exantlati, meruerint tam eximiam tanti Regis æstimationem.

(d) ca. præcedenti.

(e) Iesuitæ intrarunt in Peruviam anno 1568. die 1 Aprilis, 17. annis post ingressum nostrorum.

(f) 1557. die 9. April.

(g) Sex.

2. Primæ Regis literæ.

Que por quanto muchos Religiosos de las Ordenes de Santo Domingo, San Frãcisco y San Augustin, que en esas partes residen, y otras que de nuevo van à ellas, se ocupan en procurar de traer al conoçimiento de nuestra santa fe Catolica à los naturales dellas, y para ello andan en diferentes pueblos y Provincias, y que convenia mandasemos, que cada y quando los tales Religiosos quisiesen hazer casas en los lugares, que les pareciere, queriendo los Indios recebirlos de su voluntad, las pudiesen hazer solamente con licentia y parecer del Prelado.

3. In secundis eodem anno datis non requirendo Prælati Ecclesiastici consensum aliam constituit formam ex ipsa notandam lectione.

E por

E por quanto somos informados que el principal fruto, que hasta aqui se a hecho, y al presente se haze en aquellas Provincias en la conversion de los dichos Indios, a sido y es por medio de los Religiosos que en las dichas Provincias han residida y residen llamareys a los Provinciales, Priores, y Guardianos y otros Prelados de las Ordenes à los que de ellos a Vos os pareciere y dareys orden con ellos, como se hagan, edifiquen y pueblen monasterios con acuerdo y licencia del Diocesano. E aora por parte de los Religiosos de las Ordenes de Santo Domingo, San Francisco, y San Augustin, me a sido hecha relacion, que si los monasterios que se huvieren de hazer en esa tierra, huviese de ser con parecer de los Prelados della, nunca se hara ninguno, y seria en grand daño de las dichas Ordenes y en perjuizio de la dotrina Cristiana y de los privilegios, que las dichas Ordenes tienen, para poder libremente edificar monasterios adonde les pareciere convenir, y me fue supplicado lo mandase proveer y remediar, è yo tuvelo por bien. Porque vos mando (scribit ProregibusNovæ-Hispaniæ & Peruviæ) *que veays lo susodicho y deys Orden que hagan monasterios en esa tierra en las partes y lugares, donde vieredes que conviene, y ay mas falta de dotrina, sin que sea necessario acuerdo è licencia del Diocesano.*

4. Terras dedit Philippus Rex octavo, postquam etiam accesserat Societas Iesu, mense (a)

(a) videlicet 3. Novem. 1568.

Por quanto soy informado del gran fruto, que las Religiones de Santo Domingo, San Francisco, San Augustin, y la Compañia de Iesus hazen en ese nueve Orbe del Peru con predication y exemplo, asi en la conversion y dotrina de los Indios, como en el provecho de los fieles, os mando (scribit Proregi Perüano Francisco de Toledo ærariique Regii Limensis Assessoribus) *que en todas las ciudades, villas y lugares, que os pareciere convenir, se funde un Convento de cada una destas quatro Religiones, y se hagan à costa de mis Reales cajas de qualquier oro ò plata, que en ellas huviere, con atencian, que sean las Iglesias y Conventos echos con moderation y sin superfluidad.*

Postremas has literas ad alterius rei nostro proposito idoneæ probationem suprà (b) adduxi. Nunc subnectam quartas, non quidem Regiâ signaturâ, Regio tamen mandato exaratas. Res ita se habet. Imperaverat Philippus II. Ioanni de Ovando Sacri Tribunalis Quæsitori visitare Concilium Indicum. Qui adhibitâ Pii æquè ac Severi Regis menti conveniente diligentiâ, inter plura illius Senatus documenta invenit nonnulla, quibus speciatim informabatur quantâ charitate, quamque insigni morum exemplo, doctrinæque industriâ Infidelium in Peruvia conversionem aggressi essent Augustiniani, promoverentque indies; quæ eum Regi retulisset, ab eodem jussus est scribere Provinciali nostræ Provinciæ Peruviæ P.M. Andreæ de Ortega epistolam gratulatoriam. Scripsit autem in hunc modum:

(b) cap. 3.

Muy Magnifico, muy Reverendo Señor, Su Magestad me ha mandado visitar el Consejo Real de las Indias, y del proceso de la visita è entendido el mucho y bien cuidado que los Religiosos han tenido del bien de esa Republica y nuevo mundo de las Indias, y que por su industria y avisos se han ordenado muchas cosas acertadamente. Y pues vuesa Paternidad tomò trabajo de passar à esa Provincia para servir a Dios, y a Su Magestad en ella, espero que podrà servirles mucho, si con mucho cuydado mandase, que todos los Religiosos de su Orden muy de veras hagan oracion, pidiendo a nuestro Señor, encamine las cosas de esa Republica, como mas a su servicio convenga, y pues Su Magestad por su Real cedula asi lo encarga à vuesa Paternidad, yo de mi parte se lo supplico. Nuestro Señor la muy magnifica y muy reverenda persona de vuesa Paternidad guarde y acreciente. En Madrid 23. dias del mes de Enero de 1569.

CAPVT VIII.

Quam ibi vitam vixerint Augustiniani.

1. (a) à cap. 5. T ad intermissam (a) historiæ seriem revertamur, festinabatur eâ celeritate in empiæ domus instructione, non quia longior eorum mora hospitibus suis futura esset onerosa; aut ipsi aliquid in illis ædibus observarent à sancto suo proposito alienum, sed quia nonnulla mysterio destinabant. Imminebat dies Salvatoris Præcursori Ioanni Baptistæ sacra; hanc solemniter agere in sacello sui Præcursoris P. Augustini de Trinitate disponebant; & egerunt, nec antè in Peruvia solemni sacrificio operati. Auxerunt tamen celebritatem in festivitate, quam in recordatione Virginis Deo fœtæ Elizabetham parturientem visitantis, instituit Ecclesia, ut, sicut Christus ex utero Visitantis matris Prophetam tenebris sordibusq; viscerũ maternorũ illigatũ illuminavit, purgavit, unxit, corroboravitq; idem ad dexteram consisteos Patris similibus favoribus humiles suos servos prædicationis officium apud Hispanos fideles, infidelesque Peruanos, aggressuros dignaretur. Neque enim (b) Hispanis tunc minùs ab illis (b) causâ immanium seditionum, quàm ab his (c) Peruanis (c) ratione gentilitatis periculum timebatur: contra utrosque ituri lumen ad ducendum cæcos, innocentem sanctamque vitam ad ductos emolliendum, robur ad reprehendendum perversos, & adversis (d) Visitationis B. Mariæ. resistendum, illius festivitatis (d) mysterio, à Deo precibus efflagitabant. Et quia maximum primumque à pace Hispanorum momentum erat, ab ea prædicationem suam exorsi sunt, Christi sanè exemplo doctrinâque; qui & se nascente cælestes spiritus pacem concinere voluit (e) & docuit intrantes in aliqua loca Apostolos pacem ante omnia annuntiare. (e) Lucæ 2. *In quamcunq; domum intraveritis, primùm dicite, pax huic domui: & si ibi fuerit filius pacis, requiescet super eum pax vestra.* (f) (f) Lucæ 10.

2. Meminerant etiam de Christo novam suam legem (g) populis annuntiaturo scripsisse Euangelistam, (g) Actor. 1. *Cœpit Iesus facere & docere*, quare & eundem Ordinem in duobus præcipuis, quæ meditabantur, exercitiis sibi statuerunt observandum, primò scilicet vitam ducere inculpatam gratamque Deo, deinde docere efficaciter.

3. Et hoc quidem loco vitam eorum consideramus, non certè examinando proponendove, quæ in singulis emicuêrunt, virtutes, (quod suis locis reservamus) sed quæ effulserunt in ratione vitæ, quam vixerunt, communi.

4. Et ut ab illa incipiamus, sine qua nullum Reip. corpus solidè colligatur, Obedientia tanta fuit, ut ab executione non differret imperium: neque contra eam unquàm opponebantur excusationes, quas vel à corporis imbecillitate vel operis præcepti incongruitate socordia & obtrectandi libido solet mutuare. Nec abnuebant, si præciperentur etiam ea, quæ ab ordinariâ naturæ potentiâ suprema potestas removit, ut sunt, per aquam liquidam ambulare, sportulis pertusis efferre terram, stipitem aridum, ut cresçat, irrigare. &c.

5. Paupertatis studium non ut haberent modò, sed ut & præferrent, tunc maximè erat necessarium, cùm ut paucis indigendo quam paucissimis essent molesti; cùm ut à longissimis, difficillimisque itineribus, sine quibus in vastis illis regionibus Apostolatum suum obire non poterant, per consuetudinem commodioris vitæ non abstraherentur; tùm maximè, ut

illâ paupertatis professione faciliùs persuaderent Peruanis illos esse, non res illorum thesaurosque, quæ tam longâ profectione quærebantur, cui contrarium prorsus indomitâ Europæorum avaritiâ & crudelitate, quas hactenus experti erant, credere jubebantur. Hanc ergò paupertatem vestis ipsius seu materiâ seu formâ loquebantur; hæc contracta erat, illa rudis aspectuique insuavis, ad nullam tamen simulationem composita, cum in fundatoris sui S. Augustini vita legerent, *Vestis ejus & calceamenta ex moderato & competenti habitu erant, nec nitida nimiùm, nec abjecta plurimùm, quia his plerumque vel jactare se insolenter homines solent, vel abjicere, ex utroque, non quæ Iesu Christi, sed quæ sua sunt, quærentes.* Cui concinit S. Hieronymus a) *Vestes*, inquiens, *pullas æquè devita ut candidas; ornatus ut sordes pari modo fugienda sunt, quia alterum delicias, alterum gloriam redolet.* Eratque tàm constans hæc eorum in veste modestia, ut habitum pretiosiorem ex Hispania ab adveniente indè Religioso fortè allatum pro anathemate combusserint Seniores, ut hac abominatione portam omnem Junioribus, spemque nitidioris vestis introducendæ præcluderent.

(a) Epistolâ ad Nepotianum.

6. Nec minor in cellulis paupertas apparebat. Hæ parvulæ erant, & in eis pro tota supellectile Crucifixus unus aut imaguncula, sedile ligneum, asser parieti affixus pro mensa scriptoria serviens. Æqualis in cella Provincialis erat apparatus, nisi quod abacum (atque is solus) haberet ad recludendas literas atque registra. Pro lecto tabula, unaque, vel qui volebant, duæ, stragulæ, unicum singulis cervical licita erant. Servabatur strictissimè, quod his verbis præcipit Augustinus, *Cum quis suis filiis aut aliquâ necessitudine ad se pertinentibus aliquam contulerit vestem, seu quidlibet aliud inter necessaria deputandum, non occultè accipiatur, sed sit in potestate Præpositi, ut in rem communem redactum, cui necesse fuerit, præbeatur.* (b)

(b) in Regula.

7. Victus erat isti paupertatis amori planè correspondens, modicus, sed mundus: extra Refectorium nunquàm sumebatur. Quis credat primo mense, (c) quo vivere suâ quadrâ cœperunt, duodecim viros non cariùs quàm duobus regalibus (d) victitasse; secundo (e) quàm sex, si S.P. Augustini solemnitatem excipias? Et, ut anni integri sumptus simul proponamus, quis iterùm credat quinquagesimum secundum illius sæculi, unumque insuper mensem, viginti, qui tunc erant, Religiosos exegisse: expensis in victum non ampliùs septuaginta & uno pesis? Ista tamen ex computuum libris sunt indubitata. Non eo inficias fortè aliquid intereà obsonii aliunde fuisse illatum, non potuêre tamen, in terra præsertim paganorum non tantùm non faventium, sed prorsus adversantium exteræ illi nationi, ad incredibilem illam parcimoniam, nisi maximâ abstinentiâ, pervenire.

(c) Iulio anni 53.
(d) duos Reales
(e) Augusto.

8. Illius ab omnibus observatæ hic erat rigor. Terni per septimanas singulas jejuniorum dies, quos aliqui agebant pane solo aquâque contenti. Extra horam prandii cœnæve aut collationis quidquam gustasse piaculum erat, quod tantâ severitate castigabant, ut illius recordatio potis esset refrænare appetitum vel maximè esurientis adolescentis. Eadem severitas servabatur si quis extra easdem horas paululùm frigidæ sorbuisset: nec in his cuiquam, cujuscumque tandem esset senii, parcebatur. Nemo antè bibisset quàm schyphum suum ab altero benedicendum obtulisset.

9. Et quod maximè illorum paupertatem illustrat, est, cùm tàm rigorosam esse vellent suam, conabantur liberalissimè subvenire alienæ. Neque quidquam magis est in computibus obvium, quàm *Pauperibus tantum, vel tantum:* erantque, quæ exprimebantur, summæ non contemnendæ. Alibi omnium, quæ recipiebant, centesimam; hîc quinquagesimam; ibi etiam quintam pauperibus erogabant. In solo Conventu

venru Limēſi quorandis ultra quinquepeſorum millia pro eleēmoſyna diſtribuebātur. Fructuoſiſſimè certè eſca venrri ſubrrahitur, cū fit refectio pauperis menſa jejunantis. Huc pertinet, cōmunibus quidem ſæculi moribus contrarium, veriſſimum tamen Parochias, quas jam moribus divitiiſque ſtabiliverant, aliis deferebanr, ipſi incultas inopeſque ac proinde neglectas inquirentes formanteſque. In pro ſanè facto neſcio an proximi charitas an ſtudium pauperratis palmam ferat.

10. Incipiebantur per totius anni circulum horæ matutinæ duodecimâ noctis, prorrahebanturque ad ſecundam & mediam, vel multoties ad tertiam. Semperque officium Beatiſſimæ Virginis Matris dicebatur. Hoc jam tempus primę meditationi dabatur pænè ad auroram protractæ. Dein recitabatur aliquid ex libro ſpirituali, quam lectionem ſuis verbis Prælatus animabar, nunc ad conſcientiæ puritatem, nunc ad vitæ perfectionem, alias ad converſionem infidelium concitando Confratrum animos. Poſteà dabat diſcedendi ſignum, ſed is erar omnium fervor ut pœrè ſemper in orationibus diſciplinisque uſque ad ſeptimam matutinam perſiſterent, tumque demùm è choro abirent, cùm etiam Primam, quæ ad medium ſeptimæ inchoabatur, abſolviſſent.

11. Ad tremendum Miſſæ ſacrificium accedebant eo corporis habitu, eâ vultus compoſitione, facilè quilibet adſtantium ut animadverteret, quàm ſeria quamque ignea præparatio præceſſiſſet. Præparationi mediam horam impendebanr, nec multò minus grariarum poſt miſſam actioni. Incruentis autem his Sacrificiis perebanr à Deo ut plurimùm mutuam Hiſpanorum concordiam, animumque barbarorum ad recipiendam fidem mollem, quem rantò obſtinatiorem obſervabanr, quòd non tantùm vitio infidelitatis, in qua naſcebantur, ſed etiam Hiſpanorum exemplo trans-fuſis aliis, ut furri, adulterii, homicidii ſceleribus, quæ legum ſeveritare Ingæ pridèm excluſeranr, denuò magis obduruiſſet. Quis autem cor illud lapideum in carneum emollire, prærer Excelſi dexteram, potuiſſet? Quæ autem preces Excelſum fortiùs moverenr quàm quę cum ſacrificiis pretii inæſtimabilis conjungerentur?

12. Miſſæ Conventuali Horiſque cum ea dici ſolitis tempus ab hora nona ad undecimam impendebant. Et, ut totius diei occupatio conſtet, proſequar etiam communia. Poſt prandium cum cantico pſalmi redibanr ad Eccleſiam grarias acturi Deo, oraturique pro eis, quorum eleēmoſynis fuerant recreati. Atque ne ullum ſomno meridiano tempus daretur, Nona horâ primâ cantabatur, reputabant ſiquidem Viri ſancti pro ſomno nocturno diurnum dormire nihil eſſe aliud quàm requiei tempus opporrunius delectabiliuſque elegiſſe, non verò auxiſſe labores. Veſperis Secunda, Completorio quinta erat diſtribura, Septima Antiphonæ. Hanc vocant certas preces ab Ordine noſtro dici cœptas ab anno ſuprà milleſimum quadringenteſimū trigeſimo nono, & ab hinc continuò obſervatas in memoriam beneficiorum à Sanctiſſima Virgine & Cruce receptorum. Petitur autem iis precibus Sanctæ Matris Eccleſiæ exaltatio, peccato morrali obnoxiorum emendatio, divinæ gratiæ abundantia, quâ Reges Catholici cum ſalute vitæque temporalis & ſpiritualis augmento populo ſuo præſint. Hanc quippe pro Rege ſollicitudinem ſibi injectam arbitrantur non lege tantùm ſubjectionis, ſed tot beneficiorum ab eo, præſertim in Peruviæ Provincia, acceptorum obligatione. Has preces ſequitur ſecunda meditatio, quâ dum cæteri ſe accendunt elevantque, ex illis unus aliquis ſubmiſsè, ut ne audiri quidem poſſit, pronuntiat pſalmos, qui ad pœnitentiam pertinent, eo quidem fine, ut Deus ethnicos

ex

cæcis infidelitatis tenebris educat. Tùm tribus per hebdomadâ diebus incipit funicularis corporis castigatio; Non Sacerdotes quartam addunt. Feriæ secundæ disciplina (ità enim usitato nunc vocabulo appellabimus) animabus in purgatoriis ignibus constitutis, ac primò pro eis, quæ benefactorum sunt, est instituta, Quæ fit feriâ quartâ, eam benefactoribus vivis adscribunt; & peccatoribus, quæ feriâ sextâ. Nonnullis diebus Capitulum celebratur formâ à Constitutionibus præscriptâ; quo finito iterum oratur pro benefactoribus vivis defunctisque, pro Pontifice, Cardinali Protectore, Reverendissimo P. Generali, Ecclesia, Ordine, paganis, hæreticis. Vltimam disciplinam Hispania servat aliæque Provinciæ; duas primas specialis Peruanæ fervor superaddidit.

13. Monet me precum prò benefactoribus toties facta mentio, ut eam nō ita strictim percurram, quin paucissimis lineis Lectori insinuem, quantâ per totum Ordinem sollicitudine preces pro benefactoribus curentur, ut, si contingat eorum aliquem in hæc scripta otiolum oculum declinare, in sui non leve solatium cognoscat, quàm nulla unquam ingratis beneficia contulerit. Et quidem, ut omnem de earum incertitudine scrupulum vel maximè suspicioso eximam, istud assevero ex Constitutionibus (a) me earum adstruere obligationem.

(a) primâ parte Constitutionū cap. 1. & 2.

Singulis feriis secundis festo novem lectionum non impeditis cantatur pro eis defunctis missa, fitq; post eam solemnis per claustrum vel Ecclesiam processio. In aliquibus Provinciis hanc quotidie post completorium processionem servant.

Post festum S. Michaelis omni anno pro benefactoribus defunctis quilibet Sacerdos dicit unam missam, frater verò Clericus ter officium defunctorum, & frater Laicus seu Conversus centum quinquaginta *Pater noster* cum *Requiem æternam* in fine cujuslibet. Pro vivis autem, eodem tempore quilibet Sacerdos dicit unam Missam de Spiritu Sancto: Clericus ter psalmos pœnitentiales cum Litaniis & Orationibus; Laicus seu Conversus centum quinquaginta *Pater noster* cum *Gloria Patri* in fine cujuslibet.

Fiunt item bina singulis annis, eaque solemnissima anniversaria cum processione subsequenti alterum post octavam SS. Apostolorum Petri & Pauli, post festum S. Agathæ alterum.

Singulis quoque diebus pro iisdem seu vivis seu defunctis specialem habent orationem, quam à tempore, quo dicitur, *Serotinam* appellant. Estque hæc conventio, ita studiosè præcepta, ut ab ea nemo cujuscumque gradus seu conditionis fuerit, etiam hospes, eximatur & hæc quidem ex Constitutionibus (b) constant.

(b) Ipso citato.

Singulis præterea diebus oratur in toto Ordine pro benefactoribus vivis defunctisque in fine Primæ, quod introductum fuit anno post millesimum trecentesimum duodecimo (c) Nihil hic adjungo de specialibus precibus, à singulis Provinciis imò & Conventibus pro iisdem fieri solitis.

(c) nostri Ordinis Centuria.

Vt propterea non immeritò dixerit Ioannes Gerson, *Nullum Religiosum Ordinem, quàm Eremitarum S. Augustini, pro suis benefactoribus orare frequentiùs.*

14. Sed ad Peruanos nostros revertamur. Silentio, quod secretum martyrii genus est, omne tempus, quod choro communibusque exercitiis non erat impendendum, transigebant. Disciplinis, jejuniis, que antè memoratis asperrima cilicia loricasque, arma ad debellandum Dæmonem, ac mollem carnem, aptissima, addebant: atque ut carnem planissimè crucifigerent, gravissimis se crucibus onerantes in iisque ad ingressum Chori, Sacristiæ, aut Refectorii procumbentes, pro deliciis habebant transeuntium pedibus conculcari, seipsos

R deinde

deinde publicitùs cruenteque, flagellantes.

15. Neque inter minimas eorum laudes ponendum, fuisse constantes minimarum etiam regularum aut cærimoniarum observatores, severosque eas transgredientium castigatores; quo fiebat ut elevasse extra preces oculum; sine consensu, aut, blādidula voce fuisse locutū; manus extra scapulare inadvertenter projecisse, *meam vestem* aut *librum* dixisse pro, *nostrum*; & mille similia inter crimina haberentur; quæ omnia quis inconsideratior inter pueriles aut aniles nugas computaret. Et risissent istiusmodi generis homines dum cappam concinniorem fortuitò allatam combusserunt. (a) Sed non risit Christus, qui minimatum legum observantiam proculdubio commendavit, dùm dixit unum jota, unumve apicem donec fieret, non prætereiturum. (b) Certè parùm isti expendunt nobilissimam Religiosi corporis venustatem parvo etiam nævo fœdarii aut quàm magna sæpè minimorum neglectus damna pariat. Gutta, nisi exhauriatur, submergit ingentes naves, &c, nisi aliò deducatur, sensim exedit saxa: Scintilla contempta urbes absumit. Samson fortitudinis miraculum & Philistinorum terror, parvipendens septem capillos respectu integræ comæ, per manum fœminæ factus est illis in derisum (c) Errabas Samson, Nazaræus cum esses, unus capillus, tanquam propugnaculum, tibi erat custodiendus. Nazaræi, illius temporis Religiosi erant, præfigurabantque modernos, qui si putent leve esse septem capillos amittere, totidem intelligo minora præcepta communioresque cærimonias decipiuntur, aut potiùs decipiunt seipsos. Dicoque tidenter, quòd si exigua parvi pendat Religiosus, deficit; sensimque, si subditus est, in deplorandam declinat ruinam; si Prælatus, eò secum Religionem trahit. Contra hanc tam severā sanctāque sollicitudine se nostri præmuniebant.

(a) hoc cap num. 5.

(b) Matth. cap. 5.

(c) Iudicum cap. 16.

16. *Hos mores, hanc vitam, hunc ordinem, hoc institutum, si laudare velim, neque dignè valeo: & vereor, ne judicare videar per seipsum tantummodò expositum placere non posse. si supra narratoris simplicitatem, cothurnum etiam laudatoris addendum putavero.* (d)

(d) S. P. Augustinus lib. 1. de moribus Ecclesiæ Catholicæ cap. 31.

17. Prædicanda certè plurimùm ista vivendi ratio admirandaque, ac proinde fortasse non-nemini videbor plusculum proprio erga Ordinem, quem profiteor, adfectui indulsisse, cùm ex adverso verear ego extenuationis accusari ac damnari, qui, quod alius prolixissimè scripsit (e) in tam exile contraxerim compendium. Ac proinde contra hos potiùs quàm illos suscipiendam à me video defensionem, quam si ex alienis de ea scriptis encomiis concinnavero, ita me huic parti satisfecisse putabo, ut alia, quod calumniari possit, non sit inventura.

(e) Antonius de la Calança lib. 1. sui Chronici cā 23 & 14.

18. P. Bonaventura de Salinas in Ordine Seraphico Sacræ Theologiæ Lector (f) *Vita*, inquit, *quam in primo suo Conventu seu domo vivebant Religiosi S. Augustini, adeò exstitit admirabilis, ut in pœnitentiarum rigore, precumque per dies & noctes continuatione non cederet, etiamsi cum illa compararetur, quam prisci in eremo duxerunt Anachoritæ. Reperiunturque etiamnum hodiè corpora illorum in primā istā Ecclesiā sepulta prorsùs incorrupta. Primus ab illis electus Prelatus erat Reverendus admodum P. Andreas de Salazar, qui, dimissis in multas Provincias Religiosis, eorum prædicatione obtinuit, ut quamplurimi barbari idololatra converterentur. Quos cum baptizassent, instruxissent, & ad vitæ civilitatem traduxissent, quatuor integras Provincias opulentiores cesserunt aliis Sacerdotibus, qui advenerant, ne otiosi vagarentur.* Vnico facto & desiderium paupertatis, & duplicem contestati charitatem; erga Sacerdotes ne orio diffluerent, & erga pauperiores Perüanos, quos alii non quæsissent, quibus operam suam impendere poterant, postquam ditiores aliis tradidissent.

(f) *In su libro de las Historias del Perú en el discurso segundo cap. 5.*

19. P. Ludovicus Alvarez, cujus postea speciale erit elogium (g) primus

(g) lib. 4. cap. 2.

mus à Rege, Reverendissimo P. Generali, & Castiliæ Provinciali in Peruviam missus Visitator, cum anno 1570. & decimo nono à nostrorum ingressu præcipuos Provinciæ Conventus tandemque Limensem visitasset, in Visitationis cõclusione, quando peccata castigari & reprehendi defectus solent, ipse, aliis sedere jussis, in genua provolutus, oculosque in cælum erectus *Infinitas*, ait, *gratias ago Deo, quòd in hanc me Provinciam, ad quam reformandam me Regia Majestas Prælatiq́. mei mittebant, direxerit, ut discerem observantiam. Hispaniæ persuasum est aurum hujus terræ quantò est abundantiùs, tantò magis auxisse etiam Religiosorum cupiditatem, produxisseq́., quæ ex ea sequi nata fuat, vitia, luxum, disciplinæq́. dissipationem. Testor autem Deum, Religiosos hos paupertate tùm in cellis tùm alibi, omnes aliarum Provinciarum, quas hactenus vidi, superarè, ipsa hominum studio eum terræ proprietatibus colluctante, cum hæc auro abundet, quo alia indigent. Nihil cùm hic, quod reprehendam, inveniam, observavi, quæ imiter, plurima. Deus condignam suis servis mercedem retribuat, conservetq́. inviolatam tam sanctarum legum observantiam. Vt hæc publicè profiterer, hunc locum Capituli ingressus sum simul ut rogarem, meritorum vestrarum orationumq́. ad Deum ut me participem facere digne mini.*

20. Eximius Dei Servus P. Didacus del Corral multis virtutibus ac patientiâ præsertim intolerabilium dolorum illustris, quique ex hac vita non sine opinione sanctitatis abscessit anno 1568. Hic, inquam, vir cum Magistri novitiorum munere Limæ fungeretur (functus est autem annis plurimis, vicibusque interpolatis) identidem repetère, absoluto anno, solebat, *Benedictus Deus, nullus novitiorum hoc anno peccatum mortale confessus est*. Si recenter à sæculo abstracti bulliente adhuc corpore & consuetudine sævientie, in tantum seipsos coërceant & vincant, multum erit, si Seniores atque ab his molestissimis pugnis liberiores læti inter virtutes triumphent?

21. Neque etiam Supremus Ordinis Præfectus hîc desiderari commendationem suam passus est, qui literis, quibus egregios favores & privilegia isti Provinciæ elargitur, eamque à Castellæ Provincia eximit (a) infert sequens encomium. (a) anno 1592. 25. Augusti. *Nec ab maris periculis licuit unquam Prædecessorum nostrorum aliquem ad Vos visitandos ire; Tùm quòd manifestè cognoverimus, quòd cùm morũ probitate & reformatione, optima vita exterioris exemplo, nec non admirabili gentiam illarum ad fidem de novo conversarum fructu, primævam in illis partibus institutionem ac D. P. Augustini Regulam ac tatim Ordinis Constitutiones observetis. Ad quæ omnia ardentiori in dies fervare conservanda & propaganda, adfectu paterno admonemus.*

22. Stetit ista observantia tam solido nixa fundamento, jactisque altè radicibus, ut eam longi temporis, quod omnibus solet robus esse inimicum; impetus non potuerit concutere aut labefactare. Sexagesimo siquidem ab ejus incunabilis anno, qui fuit post Christum natum nonus supra millesimum sexcentesimũ, cũm in Peruviam appellens eam observasset Virorum præclarissimus P. Petrus Ramirez, anteà Prior Hispalensis, tũc autẽ Proregis primum Mexicano, deindè Peruano Ioanni de Mendoça & Luna, Marchioni de Montes-Claros, à sacris confessionibus, speculativarũ æquè ac moraliũ scientiarũ peritissimus, & in facundia potentissimus; Redux in Hispaniã, Andalusiæ factus Provincialis, dixit scripsitque, *se comperisse istius, quod exiguum in Peruviana Provincia esse credebatur, plurimam; minimum verò eorum, quibus putabatur abundare. Plurimum scilicet excellentis doctrinæ, virtutis, Religiosæ vitæ, quæ ab Hispanis credebantur in ea esse exiguæ: auri divitiarumq́., quibus putabantur effluere, minimum; Religiosis summam paupertatem consectantibus in illis regionibus, quæ tot suppeditant concupiscentiæ irritamenta.*

23. Claudat defenſionem noſtram confirmetque *Sancti* appellatio omnibus noſtris communiter attributa, & tunc etiā contradictoriè agitata, quando invento in antiqua Eccleſia corpore poſt ſexaginta, ex quo in humido loco terraque calente fuerat ſepultum, prorſus integro, ut ne corruptionis quidquam in eo neque in crinibus, unguibus, habitu, corrigia perciperetur, diſputatum fuit, cujus eſſet, aliis hunc, aliis illum, alteris alterum præferentibus. Ita ſibi nemo errare poſſe videbatur, ſi aliquem ex Auguſtinianis illo tempore ſepultis nominaſſet. Et voluit fortaſſe (quis enim conſiliarius ejus fuit?) (*a*) Deus unū iſtud, inter cætera, eſſe illæſum, & tamen ignorari nomen, ut illius conſervatione omnibus tribueretur, quod ſinguli merebantur. Non debet tamen talis ignorantiæ beneficio inter illos computari P. Ioannes Statius, (*b*) etiamſi id faciat Salmas, (*c*) Quandoquidem ipſe in Hiſpaniam, Provincialis dùm eſſet, profectus, ibi diem ſuum obierit, nunquàmque in Peruviam ſit reverſus.

(*a*) Roman. 8.35.
(*b*) Iuan Eſtacio.
(*c*) P. Bonaventura de Salmas Franciſcanus.

CAPUT IX.

Qui ex Provincia Mexicana præcedentibus acceſſerint.

1. ALIIS erat vita primorum Provinciæ Peruanæ fundatorum & primorum Euangelicæ ſementis ſatorum: habitabantq; in illis ædibus, in quas eos tranſmigraſſe diximus (*d*) Nullus tamen adhuc erat, qui illos cum titulo & authoritate Prioris Provincialis gubernaret, quòd juſſu Serrani, illius eſſet electio differenda donec ex Mexico advenniſſent Religioſi, quos indè ad duodenarium aliorum numerum accedere Rex Superioreſque imperaverant. Qui cùm quatuor ire debuiſſent, fuêre dumtaxar duo, ſed quorum virtus ſcientiaque, alterius binarii defectum facilè ſupplebat, extinguebatque deſiderium abſentiæ. Venerunt autē P. Ioannes Statius (ita eum nomino, quia alii (*e*) me priores hoc modo nomen ejus latinè expreſſerunt, cùm Hiſpanioè Eſtacio proferatur) & P. Ioannes Magdalenæ. (*f*) Et quamquàm hic laudes non ſuſceperim Provinciæ Mexicanæ in quibus ſe alius (*g*) occupavit, ſuntque admirandæ, ejus tamen charitas & zelus vel ex hoc curſim colligitur, quòd iſtos miſerit, quos vix alii dimitterent mandati religione conſtricti: præſertim Statium nunquàm ſatis laudandū, qui Præfecturā illius Provinciæ (*h*) defungebatur. Hic in illa profectione nihil æquè difficile ſentiebat, quàm quòd illi curam conſcientiæ ſuæ committere ſatagebat Antonius de Mendoça vitâ, prudentiâ, literaturâ excellentiſſimus. Qui cùm primus Prorex Mexicanum imperium duodecim annos incredibili illius temporis (*i*) felicitate, Regis ſimul Indorumque commodo adminiſtraſſet, tranſire jubebatur ut Peruviæ eâdem authoritate (*k*) præeſſet ſecundus. Non ignorabat Statius quantā curâ animæ ſaluti, negotiis Regis, Indorumque tutelæ Prorex incumberet. Sed ſciebat etiam quàm vario rerum, ſæpè contrariarum, occurſu, mentes Magnatum Gubernatorumque diſtrahantur: ad quas nullas ipſos paſſiones admittere, nullo Confeſſarios timore, pudore, amoreve leniùs dimittere admiſſas, admodùm ſit difficile rarūq;: Et ut nullum eſſet lædendæ conſcientiæ periculū, certū tamen eſſe amittendæ quietis. Hæ cauſæ erant cur Statius cum Proregis itineri petitione luctaretur. Sed evicit accedens P. M. Alphonſi à Vera Cruce Provincialis Mexicani mandatum, datum non tantùm Prorégis

(*d*) cap. 5. & 8.
(*e*) P. Nicaſius Baxius in vita B. Thomæ à Vi la nova.
(*f*) Iuan de la Madalena.
(*g*) P. M. Ioannes Gijalva.
(*h*) Mexicanæ.
(*i*) Neque initiis Mexicanis ſuæ turbæ defuerant.
(*k*) Antonius de Mendoça ſecundus Peruviæ Prorex.

gis reverentiâ, sed & gratitudinis ob ingentia, quæ ab illo Provincia Mexicana acceperat, beneficia, obligatione. Iungitur ergo Proregi proficiscenti Sratius non modò honore consortii ejus fruiturus, sed insuper ejus curaturus conscientiam, appelluntque ad portum Callaoanum, & inexplicabili gaudio, Prorex totius Regni, Augustiniani Confratrum, excepti, Limam ingrediuntur pridiè Idus Septembreis (a) cum eodem anno (b) illuc intrassent Kalendis Iunii, qui ex Hispania venerant, Patres.

(a) 12. Septembr.
(b) 1551.

2. Prorex autem non minorem, quàm Mexicanorum, Patrum Peruanorum viræ sanctimoniam admiratus primùm, deinde & consuetudine illectus, bis per septimanas singulas illos cubiculatimq; invisebat, solitus eorum manibus osculū infigere: neq; bas visitationes intermisit, quando præcipuæ eum proditionum suspiciones & regni curæ fatigabant. Vsque-adeò reputabat nullà certiùs res humanas directione procedere, aut protectione firmari, quàm divinâ: hanc piorum hominum preces exposcere & obtinere. Quapropter non rarò *Conventum illum armamentarium appellabat, in quo Peruviæ contra quoscumq; hostes esset robur conclusum; & apothecam, in qua medicinæ parabantur tot animabus profutura.*

HISTORIÆ PERVANÆ
LIBER V.

Duo prima Capitula ab Augustinianis in Peruvia celebrata.

CAPVT I.
Prima Comitia Provincialia in Peruvia.



1. VIX accesserant Mexicani Patres, cùm P. Andreas Salaçar non magis religione præcepti à Serrano abeũtibus ex Hispania dari, quàm desiderio quietis intercuras regiminis sæpè interruptatæ stimulatus indicit Comitia Provincialia, prima in Peruviâ futura, Limæ ad XIII. Kalendas Octobris (c) duobus videlicet mensibus & uno-de-viginti diebus postquàm duodecim ex Hispania, & septem diebus postquàm duo ex Mexico appulissent Patres. Et adfuerunt ad diem condictū omnes, excepto P. Ioanne Ramirez populi *Guamachutensis* (d) conversione distêto. A nullo tamen prætmissis vel admissis negotiatoribus ambitionis, quæ præcipuorum Virorum corda non-rarò invadit, hæretque tàm tenaciter ut eam vix pellē relinquentia jejunia non ejiciant, neque crebri seipsos rundentium ictus conjiciant in fugam. Hæc enim & Sanctissimi cælestisque Magistri discipulos eâ quæstione, *Quis eorum videretur esse major*, perturbavit; (e) & Zebe-

(c) 19. Sept. 1551.
(d) de Guamachuco.
(e) Luc. 22.

Zebedæorum matri superbam temerariamque pro filiis petitionem injecit. (a) Malum quod communius, nescio, sit, an damnosius. Natum ex sui amore, terumque perituratum ignorantia non nisi jurgiis gaudet, atque si pleno corde admittatur, divina simul ac humana jura pervertit, nihil deferens aut pietati parentum aut fratrum amori, per quorum etiam mortes ad præfixa contendet, æquioribus oculis eorum funera quam petitorum repulsam spectaturum.

(a) Matth. 20.

2. Aberat hæc Rerum-publicarũ omnium certissima pestis à Nostrorum cordibus, igne nimirùm divini amoris, proximiq; æstuantibus; quoad longè diversa à præcedentibus certamina accendebantur. Munere suo defungi Salaçarius modis omnibus volebat: cæterù verò eum augere Provincialis Præfecti titulo, quo uti usque ad hæc tempora prohibitum fuisse anteà (b) monui. Ille defectus suos, & ob eos incapacitatem ad regendum palàm prædicabat ponderabatque, terrere etiam alios tentans divini Tribunalis pronuntiatione, apud quod, si se eligerent, non haberentur innoxii. Hi intereà illius laudes & merita exaggerabant, addentes non certiùs se divini Tribunalis iram, quàm propositâ electione, evasuros. Tandem ille voce ad excitandam commiserationem compositâ, *In quo igitur*, inquit, *charissimi Confratres, tantaperè Vos offendi ut tam severâ me castigatione dignum judicetis? Itane vobis displiceo, ut non nisi onere, sub quo fatiscendum mihi sentio, imposito supplicem vestrum pacificè sitis spectaturi? Aut si censeatis oportuisse me castigatum, sufficiat saltem tanti temporis pœna, quam ex nativa solo per tot maria terrasq; ad Regiam hanc civitatem* (c) *pertraxi invitus. Nolite, quæso, sub titulo prætextuq; Prælati, tam dura me diuturnaq; servitutis condemnare. Quid acerbiùs punirent Iudices, quàm vos faciatis fratres? quem dùm officio fungar, numquam videbitis, formidine delinquendi, quietum; dum defungar, præterita administrationis memoriâ relinquetis anxium.*

(b) cap. 9. lib. præc.

(c) Limam quæ ita dicitur civitas Regum seu Regium.

3. Talia, nec sine lacrymis, roganrem tandem audiverunt, magis reverentiâ personæ quàm oratione permoti, quâ quantò fortiùs ille onus à se amoliri nitebatur, tanto profundiùs pro se quisque formidabat, ne in eum mox statum conjiceretur, in quo eadem deprecari esset necessarium. Hinc alia secuta concertatio est, sed planè cælestis; cùm enim quilibet se indignum fateretur, adeò in aliorum virtutibus recensendis erat prolixus, ut à singulis eorum ad suffragiorum emendicationem promissis, speque, conductus credi posse in minùs sanctâ congregatione videretur. Beatæ prorsus Religiones in quibus non aliæ pugnantur pugnæ!

4. Quia tamen pugnæ erant, diremptorem habere oportuit: hunc esse non alium quàm Deum voluerunt; neque habere potuerunt certiorem, fideliorem que. Huic ergò sacrificia ab omnibus eam ob causam oblata, huic preces publicè privatimque directæ, ut, qui corda noverat omnium, ostenderet, quem in locum illius ministerii elegisset. Sciebant hâc oratione Matthiam pro proditore Iuda in collegium Apostolorum suffectum: (d) Gregorium Magnum columnæ indicio ad Summum Pôtificatum; Ambrosium puerò detectore, Nicolaum instructoribus Angelis, P. Augustinum communi populi apprehensione ad Episcopatus perductos. Neque ipsi, simili prece pariquè cõfidentiâ supplicantes, de æquali auxilio diffidebant. Et audivit, non surdâ aure, suorum orationes Deus, nam mox communibus suffragiis nulloque discrepante P. Ioannes Statius Prior Provincialis est renuntiatus. Solus ipse reluctabatur, *Neque enim*, ait, *aliam ob causam mihi gratior fuit hæc in Peruviam profectio, quàm ut à Provinciæ absentiâ regendi occasiones declinarem. Mementote quam grave tamen onus indè abeunti sit injectum, dum Superioris mandato jussus sum curam conscientiæ Proregis suscipere. Aulæ negotia, Religionisq; admini-*

(d) Act. 1. cap.

administratia quãto inter se dissidio confligant, ipsi fessis; illa uno in loco cõnsistentem, hac continuis itineribus peregrinantem volunt. Et ut sese compatiantur, quis Atlas duos illos ingentium curarum orbes sustineat? Dicebatque hæc tam intimo sensu, ut neque eligentium preces neque Proregis congratulatio voluntasque cum potuerint ad suscipiendum officium permovere. Solo id mandato Præsidis admisit, sed quam renitente animo, obser-vârunt præsentes omnes, patebitque, cùm mox vitam ejus describemus.

5. Si quis verò imprudentiæ accusâdos Electores arbitretur, quòd homini non ante viso supremum sui regimen commiserint. Respondebunt illi, neminem cælo, quo dirigente opus aggressi sunt, invisum vivere; sibi verò, etiamsi invisum hactenus, non tamen, famâ prædicante, fuisse ignotum. Vel fortè id, quod Pharaonem Dynastis æquè Iosephum alienigenâ sibi prælatum ferentibus Philo ait respondisse, (a) *Nec est quod quisquam meam facilitatem accuset se dignarem judicans; nam excellentes natura non habens opus ad experimentum longo tempore, sed incunctanter se rebus ingerunt.*

(a) Philo Iudæus lib. de Ioseph.

6. Definitores fuerunt RR. PP. Hieronymus Melendez, Andreas de Salaçar, Antonius Loçano, & Petrus de Cepeda. Qui cum provinciali, neque plures definitorium compleverunt. Et quis plures in illis initiis, quando veteribus adhuc Constitutionibus vivebatur, requirat? Novæ autem Constitutiones integritatem Definitorii novenario concludunt; Præsidis scilicet, Provincialis noviter electi, Provincialis absoluti, quatuor Definitorum & duorum Visitatorum. Hoc in vestibulo semel monuisse oportuit, ne à lectore præcipitis judicii periculum amoliremur, dûm putaret contra leges posita regiminis Peruani fundamenta.

7. Ordinârunt, præmissâ Obedientiæ promissione Summo Pontifici Romano, Rmo P. Generali, & R. P. Provinciali Castiliæ, quæ ad observantiam monasticam, quæ ad conversionem peccatorum, infideliumque videbatur pertinere. Inter cætera, (b) *Cum ad prædicandum gentibus Dei voluntiâ carentibus missi simus, ad perfectiorem vitæ rationem, non modò coràm Iudicis cuncta cernentis, sed & hominũ oculis obligamur. Quapropter statuimus & ordinamus ut Religiosi hujus Provinciæ eandem in vestibus asperitatem, paupertatemq́, quam ex Hispania attulerunt (c) servare pergant; semperq́ nigrum habitum sint induti, tertiò vs Lunæ, Mercurii & Veneris diebus septimanatim se flagellent; in lecto, matalassiove, (d) absque speciali licentia, non cubent, calceos portent ex cordis confectos; (e) vesperi manèq́ meditationi mediâ horâ incumbant; & reditus nullos, vel quod reditibus simile esse possit, admittant.* Item (f) *Nulla recipiatur domus in qua nõ possint esse quatuor fratres, neque sali egrediantur.* Item (g) *dum aliquis ex Religiosis hujus Provinciæ diem suum obire contigerit, dicetur in singulis domibus totum Officium Defunctorum cum solemni Missa. Quilibet præterea Sacerdos celebrabit novem pro eo Missas. Non Sacerdotes autem ter Psalterium & toties Officium dicant Defunctorum.* Horum, inter alia, decretorum specialem facere mentionem visum est, quoniam iis quæ posteà dicentur, sunt servitura.

(b) 1. decretum.

(c) cap. 8. lib. præc.

(d) colchon.

(e) calçadas alpargatas.

(f) 3. decretum.

(g) 6. decretum.

8. Conventus Limensis hæc fuit constitutio,

Prior Reverendus adm. P. Andreas de Salaçar;

Procurator P Ioannes de Sancto Petro.

Sacrista P. Antonius Loçano.

Magister Novitiorum P. Hieronymus Melendez.

Religiosi omnes in Provincia Peruana tunc existentes erant

Reverendus adm. P. Ioannes Eustachio Prior Provincialis.

Reverendus adm. P. Andreas de Salaçar Prior Limensis.

R. P. Hieronymus Melendez.

R. P. Antonius Lozano.

R. P. Ioannes de San Pedro.

R P. Didacus Palomino.

R. P. Ioannes de la Madalena.

R. P.

R. P. Andreas Ortega, seu Sanctæ Mariæ.
R. P. Petrus de Cepeda.
R. P. Balthasar Melgarejo.
R. P. Ioannes del Canto.
R. P. Ioannes Chamorro.
R. P. Franciscus de Frias.
R. P. Ioannes Ramirez.

CAPVT II.

Instructiones ituris ad Infidelium conversionem à nostris datæ.

1. HÆC legio erat cõtra Principem tenebrarum torrque affeclarum ejus infidelium myriades dimicatura, quam antequàm in aciem dirigamus, artes bellandi ipsi præscriptas videamus. Hæ ad octo capita referantur.

2. Primum. Vt in solum Dei honorem proximorumq; commodum intenti, sanctiùs vivant religiosiúsque foris in parochiis, quàm in monasteriis ante oculos Prælatorum: augendo pœnitentias aliaque vitæ religiosæ exercitia ut pondus addant suæ prædicationi; timendo severam in se Dei manum, si, dùm compescere extirpareque aliorum peccata venerunt, ipsi de se præbeant exempla pravitatis. Memínerintque quàm rigidè supremus Iudex puniet factum, quod tantâ exaggeratione, ne fieret, detestatus est, expedire judicans ut suspensâ ad collum molâ asinariâ demersus in profundum maris oculis hominum eriperetur, qui, dùm videtur, pusillos scandalizaret. (a)

(a) Matt. 18.

2. Secundum. Quod cùm desertis parentibus, Patriâ, amicis, sodalibus, divitiis, cõmoditatibus, Conventibus, ex Hispania in tàm longinquas terras processissent, aut qui postea Ordini se in Peruvia aggregarent, solo charitatis impetu & obedientiæ merito, barbararũ gentium conversionem procuraturi, non paterentur se laboribus, æstu, frigore, fame, siti, ullisve aliis molestiis ab hoc sancto proposito deterreri, parati etiam ipsam mortẽ unius animæ lucro posthabere.

4. Tertium. Vt planè se pauperes Euangelicos probarent contemptu lucri omnis temporalis, ab Indis, etiamsi offerretur, neque aurum, neque argentum, aliudve aliquod metallum accipiendo; doceréntque eos hâc paupertatis professione non quæri à se quidquàm præter eorum animas plantatione fidei aliarumque Christianarum virtutũ, & præcedentium Hispanorum avaritiam se condemnare. Pedibus iter instituerent, quos non aliter contra temporis injurias quàm semi-calceis (b) defenderent. Ne in domibus Indorum aut sæcularium hominum pranderent, aut illi ad mensas Religiosorum vocarentur, cùm conviviorũ deliciæ cum Euangelici Prædicatoris statu, perpetuâ contrarietate, luctentur. Nisi fortè in illis locis ubi Conventum domumve non haberent; sed & ibi nuptias sumptuosasque epulas sibi scirent interdictas: ad quas tamen si evidens aliqua ratio compelleret, suâ tunc inter epulas ab epulis abstinentiâ ad sobrietatem præsentes erudirent. Frumentum tamen ibi usitatum (Maiz vocant) aut legumina, quantùm ad vitæ sustentationem, essent necessaria, nusquàm recusarent.

(b) Sandalias ò çapatos abotinados.

5. Quartum. Nullum à Rege aut Commendatariis ratione parochiarum, quibus deservire contingeret, admitterent stipendium, præterquàm quod rudi vestimento paupérique victui sit necessarium (nam si quo præterea opus esset, Conventus Limensis administraret) si fluvios permeare pedites non possent, jumentis veherentur, sed commodatò concessis, non propriis. Quos ab

Indis aut sæcularibus Hispanis eleëmosynas acciperent, illas intra viginti quatuor horarum spatium pauperibus, ne solido quidem apud se permanente, elargirentur. Missas gratis celebrarent.

6. Quintum. Cum mansuetudine magnâque patientiâ barbaræ gentis instructioni instarent, accommodarentq; singulorum se capacitati, hujus ignorantiam, insipidos illius mores, in alio utrumque sustinendo; considerantes non modò quantis indè augmentis charitas meritumque excrelcerent, sed præcipuè quid à se deposcat inæstimabile illud pretium pro singulorum animabus tàm liberaliter profusum, sanguis scilicet preciosissimus Christi.

7. Sextum. Ad nullum Indò Indâve (quod Hispanis toties Regiis etat legibus prohibitum, nunquam satis observatum) servitium uterentur, utpote qui, ad Salvatoris exemplum, ministrare venerunt non ministrari. Eorum tamen operas ad Ecclesiarum, & hospitalium ædificationem, & ad eorum fundationem eleëmosynas sollicitè procurarent: ipsi, post animarum, infirmorum etiam corporum curam gererent. Neque ullibi à se Patrum adfectum desiderari paterentur.

8. Septimum. Catholicæ fidei rudimenta, Decalogi præcepta, manè & vesperi in dies singulos ipsis explicarent instillarentque. Eosdem ad vitæ politicæ rationem perducere satagerent, in pagos, municipia, vel oppida congregando; Hispano cultu vestiendo; laudandos eorum mores edocendo; injiciendo, quantùm quidem Christianæ id leges permitterent, gloriæ stimulum, quo contra obscœnas suas consuetudines vilesque ritus & actiones incitarentur. Scholas instituerent in quibus legere, scribere, arithmeticam edocerentur: alibi artes mechanicas, tùm ut eis occupati otium evitarent; tùm adferrent commoda quæ aliis Rebus-pub. indè solent provenire.

9. Octavū. Studiosissimè curarent cultus divini solemnitatē seu cantu Gregoriano seu Musico is peragerētur. Musico adhiberent, quanta possent, ejus generis instrumenta, nullisq; hîc parcerent sumptibus, quò cōciliarā rebus divinis & Catholicę Ecclesiæ mysteriis reverentiā & æstimatione, tantò profundiùs conciperent suarum cærimoniarū ethnicarum, diabolicorum festorum, rituum sortilegorum, ac nefandarum superstitionū (quorum omnium infernales radices, improbissimis licèt laboribus, essent averruncandę) despectum ac abominationē, quantò magis sanctiusque viderent illa Christianorum Sacrificiorum Officiorumq; dignitate atque majestate superari. In prædicationibus essent indefessi; per æstum & frigus, famem sitimque, per minas persequentium, in montibus, præcipitiis, cavernis, lacunis, aliisque latibulis, seu more gentis seu Hispanorum metu, quærerent & sequerentur latitantes separatosque: secundùm passionum abundantiam relaturi consolationum & gloriæ incrementa. Qui verò in Conventibus relinquerentur, orationibus ac pœnitentiis aliorum labores apud Deum, qui solus est mentium illuminator & cordium humanorum immutator, adjuvarent.

10. Prolixæ certè instructiones, sed sanctæ atque à nostris Apostolis religiosè observatæ, prout nonnullorum vitæ, in quarum notitiam licuit pervenire, quæque suis locis occurrent inserendæ, edocebunt.

CAPVT III.

R.P M. Nicolaus Crusenius ad annum 1545. eum vocat Ioānem de Staccio.

Vita Beati P. Ioannis Estacio, vel de San Estacio; Ego Statium, aliorum exemplo, appellare cœpi.

1. EATVM appello, nullo apud me scrupulo: quē ut ne apud alios occasione quarumdam sanctionum Ecclesiasticarum aut Civilium patiar remanere, arbitratus sum præmittendum variis modis propter transactæ vitæ sanctitatem appellari posse aliqnem Beatum.

2. Ac primò quidem hunc titulum obtinent, quicumque in Canonicis veteris novive testamenti Scripturis tales declarari meruerunt. Deindè quos antiqua universalisque Ecclesiæ traditio ædificatione templorum vel altarium, celebratione Festorum & invocatione consecravit. Posteà quos Canonizatos dicimus. Quamquàm enim illi quos immediatè retulimus ab hac appellatione excludi non debeant: quia tamen quarumdam particularium Ecclesiarum facilitas in admittendis Sanctis & eorum venerationē, nonnullis errata bußibus subiecta, Pontifices Conciliaque, ut illis incommodis obviarent, merirò Canonizationem Sedi Apostolicæ, quæ facto studioso examine vitæ miraculorumque, universæ Ecclesiæ colendos proponit, reservârunt. Cœpit porrò hic canonizandi mos sub Leone III. anno post Christum natum octingentesimo tertio: à quo tempore non minùs centum viginti (ex quibus ultra centum fuere Religiosi.) illâ solemnitate Sanctorum numero fuerunt adscripti. Sunt etiam, quotum processu seu inquisitione de vita eorum & miraculis per Summos Pontifices fieri jussâ, à Pontificibus visâ, veneratio certæ Religioni, Ecclesiæ, Regno, populo conceditur. Hæc veneratio major fuit minorque secundùm temporum varietatem. Fuit enim olim (a) cùm in honorem taliter Beati non licuisset publicum in Ecclesia Officium celebrari; quod passim licèt modò. Præterea quos universalis Ecclesiæ consuetudo canonizavit. Hos voco, qui, etiam post cœptum Canonizationis & Beatificationis modum, eo nec Canonizati sunt nec Beatificati, iis tamen per universum mundum orationes publicæ & festus instituitur dies, ædificantur tēpla, &c. ex quibus est S. Rochus. Tandem quos aliquis vel plures propter certam vitæ sanctè actæ, & miraculorum notitiam cultu suo particulari prosequuntur & invocant. Nam horum licèt venerario publica sit interdicta; non tamen particularis quam licet exhibere cuicumque, quem prudenter justæ vitæ possumus æstimare: Nihil etenim hîc damnandum occurrit, quia, etiamsi, (cùm inscrutabiles sint viæ hominis lateatque cor ab oculis mortalium semotum) contingat reprobum esse quem Sanctum arbitratur, cuique honorem particulatim impendit, non aliud agit quàm laudare virtutem & Dei magnificare misericordiam. De hoc postremo genere dicit sanctus Pater Augustinus: *Colimus Martyres eo cultu dilectionis & societatis, quo & in hac vitâ coluntur sancti homines Dei, quorum cor ad talem pro Evangelica veritate passionem paratum esse sentimus.*

(a) adhuc anno 1519.

3. Atque hac ratione titulum, *Beati*, nomini P. Ioannis Estacio præfixi

præfixi: neque aliâ idem ulli in sequentibus præponetur. Præponetur autem nonnullis, ne ignorari contingat qualiter illos passim populus appellabat.

4. Beatus igitur Ioannes Statius gente Lusitanus fuit; quâ generis nobilitate incertum; morum autem, quâ esse laudabilior non potest, fuit maximâ ac per Hispaniam, Mexicum, & Peruviam notissimâ. Ordini Augustiniano initiatus est Salamanticæ; quod quamquam fortè non faciat ad hujus laudes, fuit tamen felicitatis, in illo monasterio habitum sumpsisse, fuisseque educatum & instructum, in quo plura fuerintne exercitia & stimuli ad virtutem, incertum est, an ad doctrinam. Nam sicut in eo ingens semper fuit & est numerus hominum Doctorum, ita invenies non exiguum Beatorum, ut, quantùm illorum lectionibus mens ejus illuminaretur ad veram Christianamque eruditionem; tantùm & ampliùs horum exemplis ejus accenderetur voluntas ad bonam beatamque vitam. Initiatori ejus B. Thomæ à Villanova primùm quidem admirationi, deinde etiam in deliciis fuit, à cujus latere vix abscedebat, nisi graviora illum negotia occupassent. Fuit autem Thomas uti scientiâ, profundissimus, ita & fortissimus eloquentiâ: propter quas à Magno Caroli Quinti ore non semel fuit laudatus, magis tamen ob vitæ sanctimoniam, quâ utrasque qualitates longè superabat: qui oblatum ab eo Archiepiscopatum Granatensem fastidivit; Valentinum autem, præcepti religione præoccupatus, admisit. Quemque post mortem Pontifex Gregorius XV. Beatorum Cathalogo adscripsit. Hujus consuetudine non magis delectatus fuit Statius, quàm suaviter imbiberit mores.

5. Zelo, ut bonos ad meliora incitaret, malos ad bonum revocaret, infideles veræ fidei luce illustraret, planè ignescebat. Hoc igne accensus impavidus vidit & conscendit ingentes illius Oceani, per quem ex Hispania in Mexicum navigatur, aquas. Accidit hoc anno post Christum natum M. D. XXXIX. quo XI. Religiosorum Superior, quos illuc fidei propagandæ causâ mittebat dicendi copiâ celebris & inter Concili Tridentini Patres nominatus P. Ioannes de Oseguera, ex Hispania ad novum imperium Mexicanum abscessit. Hîc ei *Guaxteca*, obrigit, difficilis idiomatis Provincia, & quam incolarum brutalis penè immanitas reddidit famosam. Horum præcipuum studium erat mutuis sese, vel mortibus oblectare finitimorum. Ii *Chichimeci* erāt, quos cùm insita natura, tùm armorum ob continua cum prioribus bella tractatio fecerat feroces: indomabiliores tamen sunt *Guaxtecani*. Vt propterea eos delegerit, quos subjugaret, Moteçuma II. ut cùm Legi patriæ (quâ sanciebatur ne cui diadema Regni imponeretur, qui non priùs nationem provinciamque inimicam illi adjunxisset) satisfaceret, simul de gente maximè sæva triumphando à suis gloriosior haberetur. Et fuit non tantùm dubia diu victoria, sed etiam amissione præcipuorum Ducum, & sine numero militum cruenta. Quia tamen, etiamsi cum tanta strage, vicerat, magni à suis est habitus & dignissimus, qui tam potens ac latè diffusum imperium gubernaret. Tanti ad æstimationem victoriæ interest quis hostis vincatur. Verùm neque hac clade ferociam posuerunt, quin assiduis cruentisque bellis *Chichimecas* molestarent. Et quantò magis militiæ fastu extollebantur, tantò humiliùs ad obscœnissimarum superstitionum ritus descendebant, cultu, non excellentissimis creaturis sed vilissimis insectis & vermibus impenso: lege Dei inviolatâ, ut superbiam depressio aut

(a) Luc. 18. & alibi. comitaretur aut sequeretur. (a)

6. Ad hos tàm cæcis erroribus obnoxios, & tantâ truculentiâ metuendos perrexit, cum aliis quatuor Collegis, Statius; contemnenda, si numerum spectes, turba, sed, Duce Deo, invincibilis, & ab eo edocta, (b) Luc 12. non timere. (b) Arma erant non alia quàm verbum Dei, penetrabilius omni gladio ancipiti (c) quo (c) Ad Hebr. 4. tam feliciter ab iis dimicatum fuit, ut intra annos quinque tota illa tamque barbara Provincia jugum Christi admiserit, senseritque tàm suave ut post illud habuerit omnes anteriores triumphos: hanc insuper servitutem præferens vastissimo ac magnificentissimo Mootezumę Imperio.

7. *Panuci*, ubi non tantùm cum populi moribus & superstitione, sed cum ipsa aëris insalubritate venenosisque insectis luctandum illi fuit, præfuit monasterio: ad Provinciæ Mexicanæ à doctrina & sanctâ vitâ commendatissimæ Definitoriatum, ac supremam Præfecturam Confratrum suffragiis, non suâ voluntate, ascendit. In ea, vitæ exemplo & prudentiâ sanctionum ita se gessit, ut Provinciam, nisi eam acceptisset ordinatissimam, his artibus talem reddere potuisset. Affabilitatem ita gravitate temperabat, ut neque hæc declinaret in austeritatem, neque illa minueret reverentiam: raro certè contuberoio. Nam plerique, dùm affabilitatem affectant, Officii incuriam & Reipubl. consequuntur dissolutionem: pro gravitate autem induunt rigorem, semper subditis difficilem, & observantiæ sibi debitæ non rarò nocivum. Erat in Statio gubernante, benignitas quâ non solverentur subditi; & disciplina quâ non exulcerarentur: erat amor, sed non emolliens; maturitas, sed non exasperans: erat zelus, sed non immoderatè severus; lenitas, sed non, plusquàm expediat, parcens. Atque ita felicissimo amoris mutui nexu Prælatus subditique colligabantur, dùm hi turpe sibi existimassent, non redamare.

8. Ad Magistratus adhuc juvenis adhiberi cœpit, sed ætate roborante virtute: neque enim is honori intempestivus videri debet, qui jam moribus est maturus. Monasteria complura Provinciæ adquisivit, alia auxit vel ornavit. Illam, quanta erat (erat autem latissimè extensa ac aspera) pedes visitavit, solo socio stipatus: id quod postea in Peruvia lege sanciendum censuit. Damnabat siquidem mirum in modum, si, dum ut pauperum domos & cellas reformet, quis proficiscitur, ipse suis impedimentis tam in itinere quàm monasteriis molestus est. Tempus quod necessariis occupationibus supererat, *Guaxtecanis*, quos Christo pepererat, impendebat: quorum dùm se patrem meminerat, labores omnes difficultatesque, quas devoraverat & devorabat plurimas, inter delicias computabat: tantùm est genuisse, cum & ipsæ partus molestiæ quantò graviores, tantò fortiùs amoris erga filios magnitudini suffragentur. Præfecturam, quàm anno M.D. XLVI. summâ omnium congratulatione & gaudio cœperat, triennio pòst, maximo eorumdem luctu, finivit; solo illo ipso, qui defungebatur, lætante, & jam tum, curis valere jussis, Dei suique considerationi tempus omne destinante.

9. Verùm videntur Superi ingentes quasdam animas non sibi magis quàm aliis nasci voluisse, reddidisseque, quantò magis publicis se negotiis conantur evolvere, tantò ampliùs eorum capaces; quas proinde obscurissimis licet angulis & speluncis abstrusas extrahunt, & occupationibus se invicem excipientibus, sine indulgentia, exercent. Istud Statio contigisse suprà (d) memoravi: nàm paulò pòst obedientiæ præceptum (d) cap. ultimo lib. præc. curas ejus duplicavit, dùm & Proregi Antonio de Mendoça, Marchionis de Mondejar germano, in Peruviam proficiscenti adesse jussus est, & ibidem aliam novæ Provin-

Provinciæ Præfecturam suscipere. (a)

(a) cap. 1. hujus lib.

10. Prorex porrò vitæ ejus innocentiam, prudentiam consiliorum, doctrinæ excellentiam, & à conquirendis rebus temporalibus alienationem diuturnâ duodecim annorum experientiâ edoctus non tantùm eo in conscientiæ directione, sed & in administratione Regni usus est: cui tanto studio incumbebat, ut videretur curas Provinciæ omnes neglexisse: & has rursus ita exequebatur, quasi prorsus priorum fuisset inanis. Proregem continua pæne infirmitas affligebat, regnum verò inveterato vulnere, quod non nisi obducta leviter cutis tegebar, periculosissimè laborabat: cui curando certè prudentissimus Prorex, si sano in id corpore incumbere potuisset, impar non erat, sed distinebar, sæpenumerò, rebus agendis inimica, ægritudo, quæ proinde Statii curas non leviter auxit. Quamquàm enim tunc neque seditio neque rebellio in apertum erumperet; suppressa tamen magis erat quàm extincta, & tantò, quantò occultior, periculosior, cum & ipsa se in clausis cordibus vehementiùs otiosis recurrentibusque cogitationibus incenderet, neque poterant latenti, quæ eam extinguerent, remedia præparari: atque ita fiebat, ut, dum multi memoriâ præcedentium delictorum nondum sibi in gratia Regis fidendum putantes, ad desperationem vergerent; alii acceptas anterioribus bellis injurias & damna nondum concoquentes, earum recordatione se ad vindictam stimularent, alii insitâ naturæ levitate novandis rebus studerent; Regi autem fideles de retributione quererentur: summâ diligentiâ & industriâ tam diversis agitationibus esset occurrendum, ne, si in tempestatem extollerentur, omnia susque deque ferrent. Tot ergo tàm diversarum rerum uno tempore concursibus Statius distrahebatur, sed feliciter expedivit; illis gratiam Regiis literis promissam exaggerando; istis proponendo quantò facilius pace quàm bello omnia reparentur; alios justitiâ Regis terrendo, plures liberalitatis ejus commemoratione in officio continendo, tantò firmiùs quantò certiori spe lactarentur profecta ab illo, cujus sinceritatem habebant indubitatam. Præmia largiebatur non patriæ, aut sanguinis, sed personæ merentis consideratione: idque apud omnes suâ integritate evicerat, ut ipsi, quos præteribar, etiamsi cæteris se præferendos putarent, non tàm aversæ à se voluntatis, quàm oblivionis eum accusabant. Supplicia, antequam inferrentur, tempori commetienda cēlebat; alias nocitura potiùs quàm profutura adhiberi. Quibus artibus id consecutus est, ut quantumcunque seditionis ignis in multorum cordibus exæstuaret, non tamen in flammas erumperet priùs, quàm Statius in Hispaniam abscessisset & excessisset Prorex è vita.

11. Causarū Ecclesiasticarum curá ex integro illi à Prorege commissa erat: quare impigrè laborabat, ut parochiis, si quæ jā institutæ erant, optimi Pastores præficerentur: totusque erat in ministris Euangelicis conquirendis, quorum opera, barbaris in communem civilemque habitationem congregatis, novæ parochiæ nascerentur. Nec pigebat ipsis ministris in modo instructionis præire, ot ejus, qui plurimos jam annos iis laboribus se felicissimè exercuerat, imitatione faciliùs, quod intendebant, consequerentur. *Hoc* inquiebat, *in Trinitatis, istud in Incarnationis mysterio, hoc in formando salutifera crucis signo edocendo servandum. Ita exponenda Dei veri Iustitia, Misericordia. Omnipotentia. Hoc modo inculcanda nascentis & redempti mundi exordia, pracipuaq; utriusq; Testamenti sacramenta*: pluraque alia mirâ claritate & simplicitate memorabat ut scirent novelli Instructores, non altis humanæ eloquentiæ verbis, sed humili oratione cum Infidelibus primitùs agendum: hanc enim in cordis arcana penetrare, illā addu-

cere auditoribus ignaris stuporem.

12. Et cum hac apud Proregem esset gratiâ & apud populum authoritate, nihil tamen ad fastum faciebat aut assumebat: ad quem si quis adulator (neque enim genus illud hominum uspiam, quàm in aulis Magnatum, est frequentius) eum vellet magnificis sermonibus accendere, mox acribus verbis castigato, *Scias*, inquit, *prudentiæ Proregis, non meæ tenuitati quidquid feliciter regitur, esse tribuendum.* Dicebat autem hoc tanto verborum gestuumque candore, ut omnem simulationis opinionem apud audientes, videntesque excluderet; atque apud Proregem gratiæ non exiguum cumulum adjiceret. Breviter, hoc faciebat, ut in Palatio Proregis vitia dicerentur vitia, & virtutes, virtutes; vitia autē nulla virtutum nomine tegerentur. Quare non immeritò præcipuam ejus laudem dixerim, in illo loco, in quo tot solent esse ad peccandum incitamenta, integritatem servasse.

13. Sed quid mentem ejus fefellisset, quæ nocturnis, diurnisque orationibus cum Superis versabatur, ab eorum influxu recipiens quod suo tempore promeret Reip. profuturum? Quid autem labefactasset constantiam, qui Christo erat charitatis funiculis colligatus? Plus dicam, qui Christi corporali consuetudine utebatur. In Provinciis Mexicanâ Guaxtecanaque, atque in Civitate Regum (a) indubitata & communis vox erat, eum, dum celebraret, corporalibus oculis Christum intueri solitum, qui in sacrata hostia apertum vulnere latus ei osculandum præberet; & exinde ille, ad instar Discipuli inter cæteros magis dilecti, potaret fluenta veritatum cælestiumque charismatum. Fuit hic favor multorum annorum continuus; aliquoties autem repetitus, quòd Christum viderit in carne crucifixum. Verumq; hunc favorem stabilier propria ejus confessio mandato Prælati scripta, atque à me pòst referenda. Indices erant frequentes in Missa extases; donum lacrymarum ferè continuatarum seu in choro assisteret seu alibi congregatis, seu suos exhortaretur, seu in solitudinem declinaret; Inusitatæ item lætitiæ, quas nulla satis diligentia, quin perciperentur, occultabat.

(a) Lima, dicta ciudad de los Reyes.

14. Facies ejus serena erat gaudentique similior; conversatio non profusa, faceta tamen & quę suâ benignitate leniter instillaret exhortamenta virtutum. Sermo utrobique suavis, & quem nec rigidum castigandi necessitas, nec mollem faceret occasio recreandi. Nemini blandiebatur aut durus erat. Pauperibus præcipuè favebat & fovebat, quibus cum plurima tribuisset, querebatur tam longè voluntate dandi, facultates esse inferiores. Pœnitentias qui memoret, continuata numeret supplicia. Disciplinę cruētę, ferrea aut ex chalybe cilicia, perpetua jejunia, pro lecto pavimentum, arma erant quibus carnem suam hostiliter insequebatur.

15. Patientiæ exercendæ rudimenta etiamsi non querula suppeditasset humana natura, aut undique in corpus irruentes miseriæ; sola id aula poterat & præstabat cumulatissimè. Hi mollenimis regimen, illi injustum clamant; alii indignum, ad illud assumi Religiosum inter pulpita librosq; educatum, ad quod nascantur Principes & exerceantur; nec desunt qui dicteriis opprobriisq; proscindant innocentissimè gubernantes: quasi hoc sit reum esse, non id facere quod aliquorum inconditus violentusque impetus probat non subscribere tot ineptis impossibilibusque prætensionibus, sacratiorem gestare vestem, aut non omnibus mox patefacere, quibus consiliis regantur. A nulla unquàm aula, quamquàm sanctissimo prudentissimoque imperante, similes querelæ defuerunt. Nec defuerunt Statio, nō quidem ad ista insensibili, sed qui sensum ratione fręnaret: prius naturæ est rationalis, posterius virtutis. Fręnabat autem hoc potissimum modo, quem utinam plurimi

rimi imitentur. Injuriâ provocatus, peccata propria rememorabatur, *Et quàm multa sunt*, inquiens, *Deus, atque enormia quibus Majestatem tuam lacessivi & lacesso, ad quæ si iratus justissima tela strinxisses, quoties periissem; si stringeres, quoties perirem! Quid ergò movear, si me contumeliis provocent tot aliis modis nocentem, quem nō puduit pudetq́; irritare inverecundè innocentē? quin & pro mea salute tàm indigna patientem?* Hac cogitatione cum exurgentes superbæ naturæ motus sæpè comprimeret, Christus seipsum in carne crucifixum, copioso sanguine per lateris vulnus distillantem Ioanni exhibuit, *Vide*, inquiens, *quid pro te passus sim, & tu pro meo nomine similiter patere.* Gloriosa, dicam, ini victoria, nescio, an victoriæ merces. Fuerit sanè merces præcedentium, fuit etiam ad sequuturas incitamentum, dùm isto spectaculo prægustaret, quam *non sint condigna passiones hujus temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis.* (a) Domestici quidém parietes, quibus non alii, quàm quos suprà dixi, claudebantur Religiosi, laude potiùs quam reprehensione digni, pauca, quæ sufferret, offerebant; sed tamen ibi minimarum etiam rerum observantiam studiosissimè exigebat. Neque minùs impigrè exequebatur ipse, noctu diuque choro alijsque congregationibus præsens, quæcumque demùm eum seu sui officii seu Regni negotia occupassent.

(a) ad Rom. cap. 8.

16. Divitias honoresque, bona etiam sanctissimis mentibus periculosa, non modò non quæsivit, sed contempsit: in illo verè pauper; in hoc perfectè humilis. Paupertatis in illo argumenta sunt, primò nihil habuisse, deinde nihil habere voluisse. Fuit in Mexicano Imperio ac Perüano tùm, cùm utrumque divitiis affluebat, eâ abundantiâ ut videretur Deus eas servasse ad supremum continentiæ Christianæ experimentum; neque tam validum erat ad probandos sæcularium animos (qui ad istam opulentiam avaritiâ non ibant, sed currebant) necessarium: nec minori impetu plurimi Ecclesiastici eòdem rapiebantur. Augustiniani, ut supra vidimus, aversabantur. Sed hic Statium consideramus. Fuit inquam, is in ista utriusque regni exuberantia: Prioratus & Provincialatus, si voluisset, ditissimos gessit; Proregi erat à confessionibus & consiliis atque imprimis charus; præficiebatur quæstuosis distributionibus; & inter tot cupiditatis proritamenta occasionesque ditescendi, non habuit solidum dum in Hispaniam solvere cogitaret. Solos à Conventu Limensi centum quatuor paracones admisit, quæ vix naulo Panamam usque sufficiant. Admisit sanè ne Confratrum preces frustraret, & esset ad manus quippiam, quo pauperes consolaretur subveniretque: pro se de divinâ promissione ac ope, quâ & volucres cæli pascit & agri lilia exornat gloriosissimè, securus. Mirata fuit supra modum hanc advenientis paupertatem domus tractationis Hispalensis (b) jussa minutim Regem de rebus, quas ex Indiis ferrent Religiosi, informare. Intuentur habitum rudem, portabilem sub axillis supellectilē, stuporeque defixi, Tantillum, mutuò percunctantur, adducit duorum opulentissimorum regnorum Præfectus Provincialis? Perüani Proregis Cōfessarius & Consiliarius, imo ipsius pænè Prorex [illegible] porem suum ejusque causas apud Regias aures deponunt. Ad quæ, *Hæc*, inquit Rex, *paupertatis in Augustinianis opinio jampridem animo meo insedit; at hodie confirmatur. Tantoq́; magis veneror quantò est apud illos singularior. Nondum enim annus evolutus est, à quo Romanum Antistitem supplex rogavi ut suâ prohibitione indecoram Religiosorum avaritiam compesceret. Sed sunt extra hunc istum Augustiniani, qui suam à divitiis continentiam jam-dudum in Mexico probaverunt, & in Peruvia adventu pauperrimi Provincialis contestantur. Satagite ergò ut tàm fidelibus ministris, nostris opibus, quàm possunt, plurima monasteria ædificentur quod etiam in Mexico antè factum*

(b) casa de la tratacion de Sevilla.

summâ

summâ nostrâ utilitate: cura nostra erit ut illuc tales mittantur numerosiores. Neque Regis mentem fefellit Statius, cui non satis erat nullas possessiones habere, sed autor fuerat, ut Collegæ ejus communi suffragio à se potestatem excluderent recipiendi: eratque hoc inter cætera quæ eum in Hispaniam traxerant, ut legem illam Provincialis Castellæ suâ confirmatione in perpetuum stabiliret.

Verùm priusquàm alias ejus virtutes exequar literas Regis ad Pontificem supplices totidem verbis adscribam.

Muy Santo Padre y Señor Reverendissimo yo escrivo à Don Diego de Mendoça nuestro Enbajador en esa Corte, que de mi parte suplique à vuestra Santidad cõceda un breve, por el qual exhorte y mande, que ningun frayle de ninguna Orden pueda traer dineros de las Indias, suyos ny agenos, ny por via de encomienda ny en otra manera, aunque sea con licencia de sus Prelados, si no fuere lo que huvieren menester para su viage con licentia de los dichos sus Prelados, y con que los registren en el puerto donde salieren, y no de otra suerte; y que si los pasaren, se los tomen & se gasten en Hospitales y obras pias de las dichas Indias de que el Embajador mas largo informera. A vuestra Santidad humilmente suplico, que dandole cerca dello entera fe y creencia, lo mande proveer y despachar, porque demas de ser cosa justa y endereçada al servicio de Dios nuestro Señor yo recibire en ello singular gracia y beneficio de vuestra Santidad, cuya muy Santa Persona nuestro Señor guarde à felice y prospero regimento de su universal Iglesia. Escrita en Madrid a diez y siete dias de Abril de mil y quincentas y cincuenta y tres años. Don Carlos &c.

Sanctissime Pater & Reverendissime Domine. Didaco de Mendoça nostro Roma Legato scripsi, ut Sanctitati Suæ supplicet ut expediri faciat Breve, quo non hortetur modò sed mandet ne quis cujuscumque Ordinis Religiosus ex Indiis efferat pecunias seu suas seu alienas quamquàm id conscio faceret sui Ordinis Prælato, nisi quantum judicio Prælati itinerandi exiget necessitas, idq; annotatâ in portûs, unde solvunt, tabulis summâ. A contrà facientibus pecunia auferatur Hospitalibus in Indiis aliisq; piis operibus impendenda, prout prolixiùs idem noster Legatus exponet, cui ut integram in hoc fidem adhibeat humillimè Suam Sanctitatem rogo, simul ut dictum Breve expediat, quod præterquàm sit justum, ordinatumq; ad Dei servicium, ego illud tanquàm particularem suæ Sanctitatis favorem beneficiumq; accipiam, quam Deus ad felix ac prosperum Universalis suæ Ecclesiæ regimen conservet. Datum Madriti die decimâ-septimâ Aprilis anno millesimo quingentesimo quinquagesimo tertio. Carolus.

17. Honores prorsus fastidivit: illis seu monasticis (a) seu aulicis (b) non nisi Prælati mandato functus est. Ajunt dicere solitum fuisse; *tranquilliùs mortis sententiam, quàm honoris proclamationes se fuisse auditurum.* Certè, post ultimam ad Provincialarum assumptionem, latentem cordis dolorem vultu perpetuò expressit, nisi dùm humanæ conversationis necessitas eum immutaret, in qua semper serenum benignùmque præ-se-ferebat. Vtrosque autem honores domesticos, externosque ita sensit graves, ut non parùm eorum excutiendorum causâ se ad iter Europæum animârit.

(a) cap. 4. lib. præc. & cap. 1. hujus.
(b) cap. 9. lib. præc.

18. Præterquam erant quamplurima, quæ illud suadebant. Petenda confirmatio tàm arctæ sine ullis possessionibus paupertatis, quam voluisset non tantùm Provincialis Castellæ & Reverendissimi Patris Generalis, sed & Romani Pontificis authoritate roboratam: Inculcanda Regi negligentia tergiversatioque ministrorum ad solvenda subsidia ad erectionem monasteriorum ordinata: Procuranda Romæ privilegia quædam indulgentiæque: nova Augustinianorum turma ad conversionem Infidelium educencenda: multa denique Regi explicanda, quæ quietem conscientiæ ejus, quæ justam regni administrationem concernerent. Quæ pertractate nullus poterat fructuosiùs, nullus

nullus volebat impensius: hoc, ut se regiminis molestiis & anxietatibus seu in Ordine seu in aula extricaret; illud, quia præter insignem prudentiam magnamque integritatem, tot jam annis utriusque imperii, Mexicani scilicet & Peruani, vivendi regendique mores non tantùm patrios sed & Hispanos didicisset. Atque hæc erant rationum momenta, quæ eum à dilectis Sodalibus avellere poterant, & propter quæ Prorex illique avelli patebantur; omnibus communia commoda incommodaq; propriis præferentibus.

19. Solvit è Peruvia mense Aprili anni M. D. L I I. relicto rerum agendarum Vicario P. Andrea de Salaçar, perveoitque in Hispaniam, sed tamē sua posteriùs, quæ ei expediendorum feliciter negotiorum viam straverat hoc præconio, quòd nihil sibi fuisse, omnia Reip. tractare utilitari. Quapropter nihil ei seu à Rege seu suis superioribus negatū fuit, præter censuum possessionumque, quam urgebat, abdicationem, cujus rationes suo loco exequemur. Rex insuper Viri merita compensare meditatus, Civitatis Angelorum (a) in Regnis Mexicanis contulit Episcopatum, si dignitarem spectes, secundum; si censum, primum. At Deus, antequam ex Hispania egrederetur, eum, beatâ commutatione, civitate donavit Angelorū, seclusis curis tumultibusque, semper securâ semperq; gloriosa.

(a) Puebla de los Angeles.

20. Excessus ejus resignatione sui in Divinam voluntatem fuit commendabilis, cùm etenim diu inter duo desideria, prædicandi infidelibus, & essendi cum Christo, hujus beatitatem alterius merito componens, hæsisset incertus quò se verteret, *Deus*, exclamat, *fiat voluntas tua*, paucioribus verbis S. Martini precationem complexus. Vidit insuper, atque hoc postremùm, suspensi è cruce Christi carnem sanguine cruentatam, (b) quam mox esset intuiturus sole omni fulgentiorem. Neque tunc quidem desinebat indiligentiam suam verbis castigare, quantò meliùs (Crucifixo loquebatur) *quàm nos miseri homunciones, tu nostri, humana excellentiam animæ esti mare: terebratum acutissimis undiq; spinis caput millies benedictum, perfossa durissimis clavis manus pedesq;, distillans ex aperto latere, totoq; corpore sanguis, pretia sunt quibus eam à servitute damonis asseruisti. Et nos miselli in comparatione tot dolorum ac molestiarum, tamq; incomprehensibilis charitatis, quantulum est quod præstitimus?*

(b) P. Antonius de la Calancha lib. 1 cap. 41. dicit eum rei se habere au-

teneticum testimonium [...] gravissimorum Religiosorum.

21. Miracula, quæ complura patrasse eum volūt, ipsa ejus humilitas suppressit: nam si vel oratione ejus mira succederet cujusdam peccatoris conversio, vel desperata ab arte Medicorū infirmi ægritudo subitò curaretur, Sanctorum auxilio aut communibus Religiosorum precibus, aut accipientium laboribus seu votis adscribere aliisve involucris, quorū humilitas sagacissima est inventrix, occultare admodum illi familiare erat. Extases fuêre frequentissimæ, visiones Christi in carne Crucifixi sæpè repertæ. Verùm miraculorum omnium maximum fuit in aula, inter tot cupiditatum irritamenta, vixisse innocentem. Quid enim istud est aliud, quam in mediis, quod rubo accidit, (c) flammis non comburi? Neque sunt tamen miracula signa Sanctitatis indubitata, cum & de ejectione dæmonum, & prophetia, & virtutum multarum operatione gloriantes sit ignoraturus Dominus, & jussurus discedere cum operantibus iniquitatem (d De iis verè pronuntiat S. P. Augustinus (e) *Admonet nos Dominus ut intelligamus quædam mira cula etiam sceleratos homines facere, qualia Sancti facere non possunt: ideò non omnibus Sanctis ista attribuuntur ne perniciosissimo errore decipiantur infirmi, æstimantes in talibus factis esse majora dona, quàm in operibus justitia, quibus vita æterna comparatur.*

(c) Exodi 3.
(d) Matt 7.
(e) lib 83. qq. 4.

22. Sed nunc memoriale ejus, quod promisimus, inferamus, allaturum non exiguum dictis nostris firmamentum. Scripsit illud

in

in Peruviam discessurus, mandante ita Provinciali Mexicano P. Alphonso à Vera Cruce, quodque idem servavit.

Memoriale beneficiorum quæ à Deo recepit frater Ioannes Estacio.

Primum, quod me à mala perversaque vita ad Deum retraxit, fuit, peccatorum meorum, quę erant gravissima & propter quæ timebam me ad inferni pœnas damnandum, recordatio; quâ de causâ ea diu amareque deflevi.

Secundum, tanto peccatorum meorum pudore confundebar, ut ne recordari; & horrore obruebar, ut confiteri non auderem, donec tandem; particulari revelatione, vox clara & distincta auribus meis insonaret, *Confitere ea pœnitens & tibi ignoscentur.*

Tertium, factâ confessione, tenacissimè tamen eorum mihi horror adhæsit; egique graves & asperas pro eis pœnitentias.

Quartum, attentiùs considerabam magnitudinem divinæ bonitatis, quæ me tanto tempore tulerat patienter; & misericordiæ, quæ me cælesti suâ luce ad mei ipsius cognitionem deduxerat. Quæ consideratio vehementissimum injecit desiderium illa condignâ pœnitentiâ delendi: quam etiam posteà nunquam intermisi.

Quintum, Peccata mea defectusque cognoscens, ipse me propter ea condemnabam, indeque deducebar ad intimum lacrymarum sensum, rogans, ut condonarentur. Cumque mihi ob hoc singularis mei-ipsius notitia cócederetur, quâ non tantùm peccata, sed obscurissimas eorum circumstantias penetrarem, singula lacrymarum fontes copiosè laxaverunt. Invocandoque Beatissimæ, Virginis, omniumque Sanctorum intercessionem apud Deum, quem fatebar tot, tamque gravibus delictis, & tam enormibus eorum circumstantiis me offendisse, impensissimè rogabam, ut suis ipsi meritis eum placarent, ne tam insignem reum rigore justitiæ judicaret aut damnaret.

Sextum, & quo plurimùm profeci, fuit; Propter istam humiliationem concessum fuit speciale donum contemplandi Crucem Domini nostri Iesu Christi, quem illi affixum & pro generis humani salute patientem oculis vidi corporalibus, vivacissimeque repręsentabam illum pro me solo omnia ista sustinete.

Septimum, Identidem intuens Christi in cruce pendentis speciem, evolvensque mea illum peccata isti adfixisse, amarissimo fletu resolvebar, vehementissimeque desiderans cum toto vitæ tempore continuare, supplicabam Deo ut ea perpetim mihi ob oculos reduceret, daretque simul perennes lacrymarum fontes. Vnde adverti interiori mihi inspiratione dici, *Hoc si donum consequi optas, tuis te adfectibus spolia, eosque in Cruce colloca Christi.* Quare mox promisi Deo, me, quantùm in me esset, nunquam illum offensurum: rogavique, ut ejus beneficio, removerentur, quæcumque ab ejus me servitio possent avocare. Neque deerant tunc speciales fortesque interiùs inspirationes, dicentes, *Intuere vulnera, quæ pro te passus est Christus, tuque vicissim pro ejus nomine suffer, quæcumque obvenient, adversa.* Duravitque non paucos dies, ut nunquam, seu orarem, seu quidquid aliud agerem, tristis illa Christi pendentis species ab oculis amoveretur, neque ab auribus vox dicens, *Vide quid pro te sim passus.* Quâ consideratione tam abundátes frequentesq́; lacrymarum imbres profluxerunt, ut oculi, ne nimiùm incenderentur, frigidâ fuerint sæpè respergendi.

Octavum, cum ferventer constanterque Sanctissimam Christi Matrem, ejusque dilectissimum Discipulum per doloris magnitudinem, quem senserant Christo cruci

crucì suffixo præsentes, oraſſem ut ſimilem, quoàd viverem, mihi impetrarent, levi ſomno correptus audivi vocem dicentis, me in ſequentis diei ſacrificio accepturum conſolationem. Quam tunc accepi, &, infinità Dei miſericordiâ, gavisus fui multos annos, os meum applicans vulneri lateris Christi, ubi lota ſunt omnia mea peccata. *Hactenus memoriale.*

23. Doctiſſimus P. Michaël Salonius S. Theologiæ in Vniverſitate Valentina Profeſſor, in libro, quem de vita B. Thomæ Villanovani ſcripſit, illuſtres ejus in Religione filios commemorans, atque hunc Joannem Beatiſſimo Alphonſo de Oroſco præmittens, honoravit hoc brevi elogio.

El tercero fue el Padre fray Iuan Estacio, varon muy religioso y muy zeloso del servicio de Dios. y de la conversion de los Indios: hizo este Padre en ellos con su egenplo y dotrina tanto fruto, que por ello se fue hecho Obispo de la ciudad de los Angeles en la nueva España y acabò como muy santo.

Tertius fuit P. F. Ioannes Estacio vir religioſus admodùm, atque non minùs zeloſus ad promovendam Dei gloriam converſionemq. Indorum, à quibus uberrimos exempli ac doctrina efficaciâ retulit fructus, ideoq. factus fuit Epiſcopus Civitatis Angelorum in Nova-Hiſpania, finivitq. vitam Sancti opinione.

CAPVT IV.

Moritur Prorex: nova indè bella exurgunt.

1. 
VARTÒ, poſtquàm è Peruvia abſceſſiſſet Joannes Eſtacio, menſe, XII. Kalendas Auguſti (a) anni M. D. LII. vi morbi creſcente è vivis exceſſit

(a) 21. Iul. 1552.

Antonius de Mendòça Prorex; pierare incertum, an gubernandi gloriâ illuſtrior. Ajunt languorem ejus deſiderio Confeſſarii ſui non-parùm fuiſſe exaſperatum, cùm & certiora indies adferrentur conceptæ ſeditionis indicia, nec eſſet ad manum qui ſucceſſu æquè felici aut æquali induſtriâ, illi, antequàm naſceretur, poſſet occurrere, & extinguere in ipſo; quod dicitur, ventre. Mors itaque ejus tantò exſtitit Peruviæ funeſtior, quantò omnia erant tam infelici novorum tumultuum partui proximiora, quem non ob aliam magis cauſam tam lentè adolevisſe, quàm ab prudentiam diligentiamque Proregis & Statii conſilia, ipſe mox eventus docuit. Tantùm ad compeſcenda motuum initia facit, ſi ut qui noverit conceptos induſtriè diſſipare. Sed hi, abſente quartum jam menſem Statio, primâ poſt mortem Proregis nocte in apertum proruperunt, quorum exortum finemque hoc capite decurram, ſequenti Auguſtinianorum inter illos ſtudia relumpturus.

2. Gaſcam diximus (b) è Peruvia diſceſſurum ultimâ beneficiorum diſtributione, quâ pauci contenti pleriique irritati, magnarum ſeditionum ſemina ſparſiſſe, ut, an feliciùs in Peruviam intraverit, an ex ea exceſſerit infeliciùs, incertum ſit. Feiicitati tamen ejus adſcribendum reor quòd ſucceſſorem habuerit prudentiſſimum vigilantiſſimumque Antonium de Mendoſa, cujus authoritate velut obductâ terrâ occulta jacuerunt, ſed tempore roborata, ut hoc pondere libera fortiùs enaſcerentur. Diuturna Antonii infirmitas & abſentia noſtri Statii novis dederunt irritatorum inquietorumque conventibus occaſionem, in quibus ipſum, quo è vita excederet Prorex Antonius, tempus, omnium Auditorum cædi deſtinârunt, ut illorum morte, ſuppreſſâ juſtitiâ, non eſſet qui conceptis ſceleribus

(b) lib. 3. cap. 4. nu. 25

contrairet. Scelere, indicio Benedicti de Cepeda, derecto caprus Luisius de Vargas conspirantium præcipuum caput, & quæstioni subjectus accusatione innocentium improbissimum facinus cumulavit, ut tantorum virorum consortio & infamiam sui parricidii minueret, & supplicia declinaret. Dolum Auditores prudenti indagine consecuti, celatis accusatorum nominibus, Luisium digno supplicio extinxerunt.

3. Major tamen erat exulceratorum ardor numerusque quàm ut tam levi castigatione defervesceret terreretur ve. Iam ferè non quis tumultuaretur, sed quis præveniret acciperetque priùs imperium, agebatur. Ante omnes id præstitit Sebastianus de Castilla Comitis de la Gomera filius, juvenis insolens præcepsque. Initium seditionis *Chuquisaca* à cæde Hinojosæ Chuquisacensis Prætoris, quem inter tot Peruviæ turbas semper inculpatum fidelitas servavit, cœpit. Hunc idem, qui illi ad seditionem incentor fuerat, Basco Godiñez trucidavit, ambitione magis supremæ Præfecturæ, quàm justâ pro Rege defensione, quamquàm clamasse per plateas constet, *Mortuus tyrannus est, Rex vivat.* Sed solent etiam improbissimi laborare, ut criminum fœditatem simulachro virtutum vestiant obtegantque.

4. Diutiùs periculosiusq; Franciscus Ferdinandus Giron, titulo restituendæ libertatis, rebellavit. Excitabant eum opulentia, ambitio & gratia, quâ apud omnes valebat; animabant vanæ Mathematicorum de victoria prædictiones ac promissa, &, nequidquam vanitati desit, somniorum ludibria. Semel se coronari per somnium viderat, semel per assistentem sibi Sanctum Franciscum Assisinatem in proposito roborari. Hæc studiosè ab illo in vulgus spargebantur, ut tantò plures in partes suas pelliceret, quòd pugnantia pro se Numina Superosque habere crederetur. Eâdem ratione communis causæ illecebras assumens vexillo suo inscripserat, *Edent pauperes & saturabuntur.* Cuzci in nuptiis, quas cum Maria de Castilla contrahebat Alphonsus de Loaysa, Centurionem Palominum virum fidelem strenuumque occidit. Ex Regis ærario duodecim pesorum millia extraxit. Inde Limam, ut Auditoribus cæsis coronam sibi imponi curaret, properavit. Ubi rejectus ab exercitu Regio cùm se *Lunaguaña* cum quingentis triginta sex militibus munivisset, eum Paulus de Meneses cum solis septuaginta sclopetariis totidemque equitibus fortissimè adorsus post cruentam utrimque pugnam incertâ victoriâ discessit. Contra Alphonsum de Alvaradn & Martinum de Robles bis Franciscus Giron feliciter pugnavit, in *Piura* verò strenuissimè quidem sed infelicissimè, Thomæ Vasquez & Piedrahita præcipuorum Centurionum cum centum quinquaginta militibus ad Regios transitu. Post hæc longâ fugâ Quitum contendens, insequentibus undique Regiis, non procul *Auaxauxâ* in Ioannes de Tello & Michaëlis de la Serna Centurionum potestatem venit anno M. D. LIV. VII. Kalendas Decembreis. (a) Ab his Limam ductus, & occurrenti Petro de Portocarrero exercitus Duci traditus, capitali sententiâ damnatur, quam opportunè ad probandam Menciæ uxoris Christianam constantiam libro septimo (b) narrabimus.

(a) 25. Novembris.

(b) cap. 5. nu. 2. 3.

C A-

CAPVT V.

Quid durantibus illis tumultibus egerint Augustiniani.

1. TA tunc omnia, velut sæviente tempestate, confundebãtur: fiebatque civilibus his Hispanorum bellis, ut, qui prædicandi causa Evangelii advenerant, neque excurrere ad opus auderent, neque utiliter possent, ipsis barbaris doctrinam peregrinæ Religionis exhorrentibus, dum vident illos, qui eam volunt inducere, tàm immani inter se crudelitate, tygridum instar, concurrere, & tàm fœdè mutuò laniare. Irent? mors certa ob oculos versabatur; verùm hanc jam didicerant contemnere. Sed eorum separatione quis Hispanorũ rabiem mitigare, quis divinam pro eis propitiationem implorare poterat? Quo itinere, cum nullum non esset infestum, processissent? ubi latitantes Indos & quo animo invenissent? Satius ergo judicatum est concordiæ inter Hispanos conciliandæ seipsos totos impendere, sine quâ omnis eorum inanis esset labor futurus. Solus in remota ad centum leucas Guamachucensi Provinciâ conversionem infidelium strenuè urgebat, & promovebat, ad quam petente Didaco de Sandoval pridem concesserat, P. Ioannes Ramirez. Cæteri verò multiplicatis orationibus suis aut Regi fidos ad prælia exercebant, aut etiam vincebant rebelles. Dei consuetudinem ignorat, qui impiissimè plus roboris in bellis tribuit armis quàm orationibus. Nam & David Ducum fortissimus dexteritatem bellicam suam contra Goliatum supernæ instructioni adscribit: (a) *Benedictus Dominus Deus meus, qui docet manus meas ad prælium & digitos meos ad bellum. Et Moyses cum taceret, clamabat; cum otiosus staret, præliabatur; sed etiam de hostibus, quos non contigerat, triumphabat.* (b) Et Gedeon trecentis viris innumerabiles Madianitarum & Amelecitarum exercitus profligavit. (c) Et Ionathas solo armigero suo sociatus Philistæorum castra perrupit (d) spe in Deum, quàm humanis viribus, fortiores. Et Iosaphatus multitudine Ammonitarum, Moabitarum, Syrorumque contra se venientium dejectum non tantùm oratione firmavit animum, sed & id consecutus est, ut alii in alios ruentes hostiliter in se invicem debaccharentur tanto furore, ut ne unus quidem ex tot millibus superstes permaneret. (e) Quapropter si belli tempestate ingruenti ad arma recurrendum sit, *maxima arma sunt oratio, propterea opus est nobis oratione.* (f) Orationi jejunium tamquam altera arma junxit Iosaphatus; junxerunt & Religiosi Peruani: evenitque ut & rebelles mutuis se vulneribus conciderent, & fidi de universis victoriam reportarent. Tam certi sunt & irrepercussi orationis ac pœnitentiæ ictus si sincerò fervidoque animo projiciantur. In iis Ecclesiastici tamquam Duces & Chiliarchæ locum castris eligunt opportunum, aciem disponunt, pugnæ tempus præscribunt, &, quâ parte imbellior est, invadunt & fundunt hostem, Deo eorum nutibus obediente, & insuperabili omnia ordine gubernante. Numquàm tamen vel à P. Augustino de Trinitate in præcedenti Gondesalvi Piçarro bello, vel in hoc à quopiam Augustinianorum impetrari potuit, ut in campum exercitus sequerentur, arbitrati, quod res est, nullis armis certiùs, quam quibus assueverant, se dimicaturos, & fundam Davidi usitatam, loricæ, galeæ gladioque Saulis inassuetis (g) præferendam.

(a) Psa 141.
(b) Ambr. lib. 3. Offic. cap. 1.
(c) Iud 7.
(d) 1. Reg. 14.
(e) 2. paral. 20. Iosephus Antiquit. lib 9. cap. 1.
(f) Chrysostomus in c. 8. ad Hebr. hom. 14.
(g) 1. Reg. 17.

2. Civitati deindè Limensi, quæ devictæ ac licentiam omnem mili-

tum perpessæ speciem gerebat, non parùm profuerunt. Hæc maritum inter rebelles occisum lugebat, illa suum ob fidelitatem, quæ apud plurimos crimen habebatur, suppliciis affectum: ista querebatur prolibus se gravari, altera opprimi rerum ad vitam necessariarum defectu: pauperibus eleëmosynę, infirmis deerat solatium; nullis adhucdùm hospitalibus erectis, quod aliquot post annis (a) præstiterat Prorex Andreas Vrtado Marchio de Cañete & Archiepiscopus Hieronymus de Loaysa, hoc S. Annæ, illo S. Andreæ hospitalia ædificante & dotante. Omnibus autem tàm diversâ afflictione occupatis, pro uniuscujusque necessitate aderant Augustiniani; infirmos ipsi curabāt, pauperibus eleëmosynas largiebantur, neque cuiquam deerant solatio. Vt interim nihil de singulis dicam, quantū tunc Regi officium præstiterint, quid ad molliendos animos laboraverit P. Andreas de Salaçar: novas proditorum machinationes detexerit P. Ioannes Vivero à Prorege ad baptizandum Ingam missus, ob quod specialibus ei literis gratias egit Carolus V. & Philippus II. Episcopatu honoravit. Alteram rebellionē suppresserit P. M. Didacus de Castro Cusci, alteram Potosii P. M. Franciscus de Castro & P. Antonius de Camora, quæ suis locis exequemur.

(a) 1558.

3. Et quamquàm eorum ad conversionem infidelium ardor bellis illis veluti muris concluderetur, invenit tamen rimas, apertasque, quibus se proderet, fenestras. Omnes etenim, quos invenire Limę poterat, Indos studio omni, obsequio, humanitateq; præveniebant, illorum necessitatibus succurrendo, dulci sermone mulcendo, imitādo, quantùm fas erat, mores, & hac dulcedine illectis instillando simul fidei Catholicæ rudimenta, medicorum more ingrata pharmaca saccaro oblinentiū, quò vel avidiùs aut nullo saltem horrore sumantur Barbari itē idiomatis, in quo jam se ampliùs solido anno exercuerant, perfectionem interim assequebantur, quo fiebat ut nulli posteà aut æstimarentur aut essēt infidelibus utiliores; certâtimq; Commendatarii illos suis terris exposcerent, & Proreges præcipuas eis Provincias assignarent. Et, quod ad conversionem Indorum maximi fuit momenti, illi intereà opinione Sanctitatis Nostrorum capiebātur, quâ nulla apud hos barbaros fortior est illecebra, qui mox, ubi Sacerdotem cognoverint virtuosum, non venerantur modò eum, sed cōsilia etiam admittunt, obediuntque magnâ humilitate. Cum enim omnibus sit nationibus à natura inditum exemplis faciliùs quàm verbis permoveri, Peruanæ certè vel maximè; est etenim cærimoniarum amans, imitaturque studiosè quod fieri videt. Nostri autem & benè docebant, & sanctè operabantur, quare & plurimi barbarorum, dignâ dictis factisque opinione provocati, seipsos instructioni in Conventu offerebāt, qui deindè famâ præmissâ viam sternerent secuturæ prædicationi.

CAPVT VI.

Capitulum Provinciale secundum.



Nter has occupationes Nostrorum adfertur triste ex Hispania nuntium desisse esse in vivis P. Ioannem Estaciū Provincialem (quod non sine lacrymis suorū auditum fuit) & simul mandatū P. Francisci Serrano in Castella Provincialis, jubentis ut Comitia indicāitur ad XI. Kalendas Majas (b) anno ab ortu Christi M. D. LIV. quo nihil esse poterat jucūdius P. Andreæ Salaçar Vicario Provinciali anhelāti in singula momēta sarcinā, quâ se gravari sentiebat, excutere, humilitatis magis causâ, quàm oneris, utpote intam lāta & exiguâ adhuc cōgregatione. Enim-verò nihil humilitati gravius est 1.

(b) 21. April.

est quàm imperare. Hîc ergo repetitæ ab eo præcedentium Comitiorum (a) preces, sed aliquantò ad gustum ejus, quàm tunc, infeliciùs, Patribus ei Officium; sub titulo dignioris prorogantibus, quibus contraire sine obedientiæ violatione non poterat. Diffinitores fuerunt P. Antonius Loçano, P. Andreas de Ortega, P. Petrus Cépeda, & P. Balthasar Melgarejo.

(a) cap. 1. hujus lib.

2. Decreverunt præter cætera, ut, antequâm ad loca tamquàm ad parochias, quibus deserviant, nostri mittantur, visitet ea Provincialis judicetque an talia sint, in quibus perseverari possit, ne fortè si contingat ea propter rationes, quæ prævideri poterant, deseri, nostri de inconstantia notentur. Abrogârunt quæ de habitu grossiori, & non admittendis reditibus, Comitiis præcedentibus, ordinata erant. Atque, cum in iisdem voluissent, ut nullibi in minori, quàm quaternario numero habitarent, neque umquam soli egrederentur, experientiâ edocti hæc nondum in tanta locorum paupertate, & Religiosorum paucitate, absque præcipuæ, ob quam venerunt, functionis, videlicet, disseminandi Evangelii, præjudicio manifesto posse servari, disposuerunt, satis esse si bini habitent, & incedant, si verò bini ob occurrētes necessitates non possint, certè id faciant honestè compositèque prout eorum decet sanctitatem. Provincia *Guamachucensis* cum titulo & privilegiis Conventus acceptata fuit. Limensi Conventui præfecerunt P. Antonium Loçano, Guamachucensi P. Ioannem de Sancto Petro.

3. Damnabit fortè aliquis nostros Patres inconstantiæ qui ante triennium dumtaxat decreta aut abrogent aut immutent. Verùm non constantiæ sed pervicaciæ est omni Reip. periculosæ legem aut decretum quantumvis salubre velle tueri, dum aliud novæ suadent causæ. (b) Mutandi autem cohabitantium atque exeuntium numeri causæ fuerunt, impossibilitas observandi usu cognita, tum aliorum Ordinum exemplum. Abrogandi verò anterioris de non recipiendis reditibus decreti una hæc sufficiat, aliter voluisse Castiliæ, cui Peruvia suberat, Patres aliterque mandasse, ut unus esset Religiosorum seu in Europa seu in India vivendi modus. Sanè si prima illa atque omnimoda bonorum, etiam in communi, abdicatio plus habet paupertatis, altera plus habet quietis, minusque sollicitudinis & importunitatis. Et S. Thomas (c) non illam cēset laudabiliorem paupertatem quæ est major, sed quæ fini Religionum magis proportionata. Quomodo enim utiliter Ordines militares, aut hospitalarii munus suum sine, non dico qualibuscumq; mediis, sed divitiis exequentur? Observârant triennio isto Religiosi nostri Peruani non modicùm se principali suæ functioni, quàm ibi exercere moliebantur, fuisse nocituros, si nullos prorsus reditus admisissent: ipsamque hujus tantæ abdicationis causam contra seipsam militare. Erat illa, ut suo paupertatis modo Indorum conceptam de avaritia advenarū opinionem everterent; hoc autem meliùs erant consecuturi si reditus aliquos, quàm si nullos admitterent: poterat enim opulenti alicujus Hispani Indive ultronea liberalitas efficere, non tantùm ut aliis Indis non essent molesti, sed & ut in eos possent benefici videri suis mediis eorum necessitatibus occurrendo. Quid enim arbitreris fuisse illos apud Indos profuturos, ubi pretia rerum omnium erant ingentia, si Neophytorum mox mediis illas comparare tentassent? Certè hæc ipsa causa compulit pauperrimam S. Francisci Religionem, ut in Peruvia fundatos ratione missarum reditus acceptarent; & nullam Societas Iesu ibi habeat domum professam, quod arbitraretur sine reditibus, quibus similes domus carent, impossibilem ibi esse vitam religiosam.

(b) insigne hujus rei exemplum habes lib 3. cap. 5. in Prorege Petro de Gasca.

(c) 2.2 qu. 188 art 7.

4. Prædicandæ fidei impedimenta capite præcedenti recensuimus: inter

inter hæc tamen quantùm Deo in converſione barbaræ gentis, quantum Regi in ſupprimendis diſſipandiſque rebellionibus præſtiterint obſequium modicè in ſuperioribus delibavimus: enucleatiuſque dicemus in vitis quas aggredimur.

CAPVT VII.

Vita Venerabilis Patris Andreæ de Salacar ſive à Ieſu.



VNC Virum ſpeciali appellatione *Venerabilem* dixerunt Indi, quàm ſimili modo Bedæ tribuit Eccleſia. Salaçarii cognomen ei dedit familia, alterum *à Ieſu* particularis ejus devotio, ſeu ſtudium humilitatis; quò generis ſui ſplendorem tam dulci tàmque dilecto nomine Ieſu offuſcaret apud cæteros, in ſe verò extingueret. Oriũdus fuit ex valle de *Somoroſtro* inter Burgẽles montes concluſa, ubi ab antiquo Sa-

(a) de Salaçar. Salaçariæ familiæ (a) Caput reſedit. Hæc inter Majores computat illud fecunditatis prodigium, quòd, quo-

(b) Argote de Molina en las noblezas del Andaluzia. dam teſte (b) genuerit proles centum viginti, ſpurias octoginta, quæ non magis ſuâ multitudine Hiſpaniam reddiderũt populoſam, quàm heroïcis factis illuſtràrint. Sed gloriam ejus nullus glorioſiùs extendit quàm P. Andreas, utpote inculpatâ & duraturâ ſanctitatis famâ orbem orbi & ſæcula ſæculis conjungens. Ille contemptis ampliſſimis divitiis floridam juventam arctiſſimæ paupertati, ne quid poſteà inveniret quo recalcitraret, adjudicavit: Habitum Religioſum, dante illum Sancto Thoma à Villanova, ſumpſit; inter cujus privilegia à cœlo accepta non minimum computatur, fuiſſe omnes, quos vel Religioni adſcripſit vel quibuſcum illi neceſſitudo intercessit, nominatæ perfectionis: illos enim aut cælo revelante, aut certâ morum experientiâ admittebat, inſerebatque ſementem frugiferæ mentium terræ congruentem, optimam: hinc & fructus habuit qui Religionis obſervantiam non per Caſtiliam modò ſed Arragoniam & Portugalliam, ipſaſq; inſuper Indias ſanctiſſimam tranſtulerunt. Hunc fructum atque hoc privilegium ex P. Michaële Salonio dum Vitam S. Thomæ deſcribit, cuique legenti non invitus totidem ejus verbis ob oculos proponam.

El Padre fray Andres de Salaçar varon Religioſiſſimo el qual non ſolo paſò à las Indias de la nueva Eſpaña con deſeo de ayudar à la predicacion del Euangelio, pero paſo tambien en compañia de los Padres fray Iuan de San Pedro, S. Andres Ortega, F Geronimo Melendez y F. Belſaſar Melgarejo, todos varones de grande Religion y lettras, al Peru, donde fueron los primeros qui predicaron en aquella Provincia la Religion Criſtiana, y por cuya palabra començaron aquellos barbaros à venir en conocimiento del nombre de Ieſu Criſto y de la gloria de la Cruz. Et interjectâ duorum Eminentiſſimorum virorum, qui Provincias converterunt, memoriâ, ſubjungit. *Eſtos fueron los amigos particulares del Padre fray Tomas, por ſu grande religion y virtud porque eſta ſola le afitionava ſin reparar jamas ny en nobleza, ny en letras, ny en otras coſas, que ſuelen eſtimar los hombres, diziendo lo que Criſto, el que haze la voluntad de mi padre, eſe es mi hermano y mi amigo.*

2. Rudimenta Religionis egit in ſanctiſſimis Salmanticenſi & Burgenſi Conventibus, in quibus non modò à conſtituta exactæ vitæ forma non declinavit, ſed in ſe, ſuprà petulantis ætatis conſuetudinem, reddidit ſtrictiorem. Proptereà etiam Ordo non computu annorum, ſed virtutum ſtabilitate & canitie, quæ in homine eſt longè optima, eum officiis admovit, in quorum adminiſtratione non tantùm privatæ vitæ

tæ vitæ devota continuavit, sed exercuit insuper quæ digna essent magistratui gerendo, quem supremum ei in Castilia designabant, adeò in inferioribus, ut Prioratu & definitoriatu se præstiterat commendabilè, procurato in suis Conventibus rerum spiritualium temporaliumq; profectu. Brevis esset sed copiosa satis laudatio, quamquàm istud solum exptimeret, quòd non modò fuerit inter electos, qui ultra tàm longa maria, in terris incognitis, inter nationes barbaras inusitatam ibi vitæ ast religiosissimæ formam trāsplantarent, sed meritò virtutum suarum constitueretur, qui electis præesset: qui primam illuc coloniā traduceret disponeretque, ubi, si quid secius ageretur, difficiliora essent & tardiora remedia; & mala exempla dari non possent sine manifesta Religionis ruina & scandalo naturalium irremediabili. Nec otiosè prætereūdum idem huic nomen, quod fuit Primario (a) inter duodecim, qui à Moyse ad explorādam multis vaticiniis promissam Israëlitis terram mittebantur, quò & salutem allaturus præsignificaretur, & obtinendarum per eum cumulus victoriarum, quas Iosue obtinuit amplissimas innumerabilesque. Sūt tamen etiam plurima quæ quantò particulariora, tantò reddent ejus famam augustiorem.

(a) Iosue à Iesu, Salvator.

3. Orationi mirum in modum deditus fuit: isti impendit semper tertiam noctis partem, & tantum ex die quantum necessariis Officiorum occupationibus puterat suffurari. Accidit non rarò in nocturnis per Conventum circuitionibus ut ipsæ illum cogitationes quasi immobilem fixerint, nonnūquàm ad trabem aliquam lignumve inclināritet, ex cœlestibus cogitationibus, in quas ex pulcritudine creaturarum elevabatur, intentum & absorptum: incendebarque se in amorem Creatoris tam ferventer, ut indè nō avocaretur ad se nisi pulsu matutinali, quo, non considerationem mutabat, sed considerationis dumtaxat locum, eam utique in choro continuans tantò gustu, ut & ipsa faciei serenitas index esset latētis interiùs lucis, & suo exēplo tepidiores ad orationem inflammaret: doceretque mysticā hac Theologiā nihil utilius esse aut jucundius, in qua, *quàm suavis sit Dominus* (b) non dicitur, sed *gustatur*. Et gustabat eam sæpè-sepiùs suavitatem Andreas satiatissimè, sed quam extra notitiam Confessarii ejus humilitas non permisit evagari: sciens nulla esse tam bona opera, quibus non insidietur superbia, destruatque. (c)

(b) Psal. 33.

(c) S. Augustinus in Regula.

4. Iejunia ejus incredibilia erant: dixisses eum mercede conductum, ut calidum cibi potusq; appetitum, qui dùm sub specie necessitatis subrepit, facillimè declinat in jucunditatem voluptatemque, torqueret. Carnibus perpetuò abstinuit, sæpissimè pane solo aquaque contentus: his rigida cilicia & disciplinas superaddidit cruentas: lectulo non utebatur. Verùm extremum hunc in se rigorem extremā in suos benignitate compensavit, sollicitus semper ne quid eis deesset: sollicitudine tamen non intempestivā, quæ scilicet aut desiderium fatigatet, aut excluderet pietatem. Stolidum esse reputabat expectare miracula in rebus, quibus moderatā curā potest subveniri. Cur enim Christus certissimus veræ administrationis Magister, non semper, quod poterat, aurum suis suorumque necessitatibus servirurum creavit, quod semel fecisse legitur in ore piscis ut tributum solveret? (d) nisi ut, qui alibi (e) immoderatas curas verbis reprehenderat, suo facto stultas confidentias castigaret?

(d) Matth. cap. 17.
(e) Matth. cap. 6

5. Nomine IESV mirificè delectabatur; illud, præ Salaçarii, cognomen assumpserat, quò nullus, nisi nomen illud, sui appellatione in memoriam revocando, posset eum convenire. Neque ullâ magis cogitatione se refici fatebatur, aut ullis magis armis infidelium obstinatorumque corda superare. Repetebat nō infrequēter, *Quid ita exercitatos reparat sen-*

 sus,

sus, virtutes roborat, vegetat mores bonos atque honestos, castas fovet affectiones. Vnde putas in tato orbe tanta & tam subita fidei lux nisi de prædicato nomine IESV? *Labitur quis in crimen? currit insuper ad laqueum mortis desperando? nónne si invocet nomen vitæ confestim respirabit ad vitam?* (a) Majestatis cultus divini in altarium templorumque ornatu, in cantu, & cærimoniis summoperè satagebat: ita enim & corda Catholicorum ad pietatem excitari ajebat, & injici Infidelibus pudorem de tam ineptis suorum idolorum ritibus superstitionibusque.

(a) S. Bern. super Cantica serm. 15.

6. Adversitates & morbos magnâ patientiâ tolerabat, eorum dissimulatione devitans ne amicos aut Con-votos in participationem traheret doloris: quem si prodidissent, *Advenisse vos*, inquit, *sentio non solatium, sed adflictionem aut certè ejus exacerbationem allaturos.* Observantiæ sibi debitæ exhitionem eam, quam Constitutiones præscribunt, admisiti profundiorē aspernatus est. Impotētis est animi ex magna aliorum submissione velle majestatē aucupari: hanc in Religionibus non potestate dominãte sed serviente charitate consequitur, quisquis consequitur. Nobilitas illi non aliò, quàm ad majoris dejectionis incitamentum, servivit, perfectiùs exequens, quàm lege suâ præscripserit S. P. Augustinus, *Qui aliquid videbantur esse in sæculo, non habeant fastidio fratres suos, qui ad illam sanctam societatem ex paupertate venerunt, magis autem studeant non de parentum divitum dignitate, sed de pauperum fratrum societate gloriari.* Ac proinde omne servitii genus à quocumque recusabat. In consiliis an suis infallibilior, incertum, an in capiendis ab aliis fuerit solertior. Hoc posterius numquàm omisit: carus enim est qui non aut nimiâ sui fiduciâ, aut cupiditate, aut, ut minimum, improvidâ celeritate peccet. His pestibus medetur benè cocta consultatio; & apud Religiosos simul humilitas exercetur. Quæ cum apud eum fuerit maxima, quid mirum, si tantâ constantiâ honores fuerit aversatus? (b) Quòd post exactam supremam Præfecturam, instructiònem Novitiorum sibi deputari ambiverit? tantâ alacritate officinas verrerit, laverit paropsides? Quamquàm & in instructione considerârit quantã ei necessitate, qui Remp. Religionemque vult firmare, juniorum sit curanda disciplina. In culina inter sordes & pædores ollarum lepidâ sanctorum exemplorum narratione solitus erat astantes incendere ad charitatem, quæ *operit multitudinem peccatorum* (c) eorumque auferr grave-olentiam.

(b) cap. 1. hujus lib.

(c) 1 Pet. 4.

7. Rexit, vigilantissimè quidem, sed semper ut pater. Vigilantiâ etiam minimarum rerum curam complectebatur, & urgebat observationem, eo potissimum fine ut nascentem ibi Religionem contra temporis violentiam, quâ, tenacissimæ licèt & durissimæ res, tandem atteruntur, solentque diffluere sanctissimè aliàs statuta, quàm diutissimè præmuniret. Eandem ob causam conceptis per Majores institutis fortiter inhæsit, quibus ne quidem pietatis aut majoris mortificationis prætextu quidquàm passus est addi; corruptioni enim approximat quidquid incipit mutari, cùm mutabilitatem dicant Philosophi causam esse corruptionis; Theologi econtrà æternitatem perimmutabilitatem demonstrent. Paternum adfectũ in providâ omnium necessariorũ curâ, maximè verò in reprehensione & accusationibus, ostendit. Ipso reprehensionis modo reprehendit nonnullos, *qui aliorum redarguũt culpas, non tàm ut eas corrigere velint, quàm ut odium quod in corde gestant exercere possint* (d) nam Andreas & tempus emendationi opportunum operiebatur aut quærebat; & eo habito mansuetudinẽ potiores partes tribuebat, sollicitus subditorum famam, quantòm poterat, conservare. Accusatores tristi vultu audiebat, ut haud difficulter perciperent quo animo hæ defectuum dilationes ab ipso perciperentur.

(d) Hugo in expos. Regulæ.

rentur. Digna certè Superiore, prorsusque necessaria virtus, si velit in familia concordiā persistere, quam facilè inquieti & indebitè zelosi denunciatores, ubi aures occupare cœperunt, proscribunt. Neque hic ullum pietatis prætextū probabat aut admittebat. Quin culpas Confratrū & occultabat ipse, & occultandas docebat, quod sciret Deum nobiscum hunc judicandi modum initurum, quem nos cum proximo servassemus, & eâdem horâ abscondere peccata nostra, quâ nos proximi tegeremus. (a)

(a) B. Iordanus de Saxonia in vit. fratr. lib. 2. cap. 10.

8. Spirituum discretionem cælesti beneficio acceperat; quod non aliò nunc, quàm quod subjungo, exemplo demōstro. Limæ morabatur Didacus Marci Andillâ vico Diœcesis Valentinæ in Arragoniâ oriundus, cœcus & pauper, dum ibi Salaçarius Prioralis Officio fungeretur. Hic illi suadere nititur ut habitum Ordinis petat: quo ille, conscius iniquioris fortunæ & notabilis defectus, ridetl se primùm arbitratus est: verùm ut seriò ista, dici animadvertit, cælum illi aperiri etiam clausis oculis videbatur. Petivit. Quæruntur suffragia Patrum, qui etiam se ludibrio haberi potuissent existimare, nisi Prior, sanctus prudensque vir, eum in tali loco, qui nullos umquàm jocos admittit, proposuisset. *Pauper ergo*, inquiunt apud se, *& cœcus ad fundandam hanc coloniam primus assumetur? pauper apud exteros barbarosq́; æstimationem nostram dignitatemq́; Ordinis tuebitur? cœcus aut per latissima spatia, per montes & valles ad propositas nobis functiones discurret, aut domi remanentibus serviet? Hicne illa agitur cœna, ad quam, invitatis non venientibus, ex vicis & plateis, pauperes debiles, claudi & cœci jussi sunt introduci?* (b) Vile tamen aliquid insipidumque de Prælato cogitare prohibebat anteactæ vitæ, & nota regiminis ratio; quâ moti propositum admittunt: quod certè gratum Andreæ accidit, qui perspicaci mentis oculo observaverat, elucentes in ipsa facie notas non omnibus tamen conspicuas, & cœlesti luce irradiatus latentem sub obscuro corpore animam penetrabat. Habitum suscepit septimo à nostrorum introitu in Peruviam, mense (c) & exactò anno tribus se votis adstrinxit. Plurima autem admiratio omnes incessit quando portæ illi custodia fuit demandata. Ibi cæcus, ubi Argus vix sufficiat? nulla sit causa observandi exeuntes monasterio Religiosos, quomodo nosceт adventantes (& adventant ordinariè propter varias causas plurimi) sæculares? imò quomodo animadvertet? si Indus aliquis aut malè natum mancipium vigilis caligini fidens quippiam monasterio subripiat? Si undique insolentes cōcurrant pueri, & cæcum portarium ludificent? Ad hæc nihil reddidit Prior nisi experientiam probaturam monasterium in hoc uno cæco trium laïcorum operam habiturum Nec fefellit eventus. Excelluit ille operibus pœnitentiæ, humi cubans, in cibis uncias numerans, jejunium in solo pane aquaq; servans, flagellans se singulis pænè noctibus, ut plurimùm orationi intentus; quæ omnia egregiâ humilitate, promptâ obedientiâ ardentique charitate sapidissimè condiebat. Verùm in his omnibus nullum præstare solet cæcitas impedimentum. Quare mirabiliora videbūtur, licèt non sint meliora, quæ sequuntur. Altarium ornamenta aptè concinneq; applicabat. Religiosos omnes non ex voce modo, sed incessu habituque discernebat; nullaque poterat esse tāta seu vocis seu incessus seu omnium junctim dissimulatio quæ ipsius illusisset industriæ. Quocumq; se latibulo experimenti causâ (quod factum est frequentissimè) absconderent, absq; ulla hęsitatione, ulloq; unquā errore evocabat nominatim: ut ultra humanum aliquid tātæ sagacitati cuoperari nullus dubitaret. Et quia ita exigebat vitæ sanctitas, cælesti directori adscribebant omnes. Vigilias noctis egit vigilātissimè, ad ipsos excubans cāpanarum funes signa dedit

(b) Luc 14.

(c) in initio anni 1552.

ad nocturnas preces protsus infallibiliter, deindè ad illas cnnvocavit singulos. Atque ita, non minùs quàm tres alii fecissent, fervivit annos circiter viginti. Cum (quod omnem excedet fidem) Prælati omnimodis maximi eum in insigni aliorum Religiosorum capacissimorum copia ob majoris momenti negotia in Hispaniam destinant. In navi ad ordinaria incommoda, quæ societate aliorum leviora redduntur, illud accessit maximum, quod passim ab ultimâ illâ & indomitâ hominum fæce, quem nec patientis miseria, nec habitus Religiosus, nec patientia movebant, acerbè irriderentur. Cui tamen ut peccandi auferret occasionem, & sibi daret orandi opportuniore, apud Navarcham impetravit, in galeam navis sibi ut liceret conscendere: quò dum per scalas funeas mirandâ in cæco celeritate, ut plerique cælesti eum adjutorio potiùs elevari quàm corporeo nisu ferri facilè judicarent, contendit, unus aliquis ex fæce nebulo succussis rudentibus scandentem in mare præcipitavit, sed ondè agilis ille lucidusque animus gravi obscuroque corpore liberatus, non jam in galeam navis oraturus nitebatur, sed altiùs evolavit ad illum qui lucem inhabitat inaccessibilem, ejus visione, quam nulla unquàm occulat opacitas, felicissimè fruiturus.

9. Ad Andream redeamus; non jam inter dulcissimam fratrum catervam, non meditatione, exhortatione, disciplinis aliisve religiosis exercitiis inveniemus occupatum: sed in foro, in palatiis, domibus, quò eum publicus furor traxit, quem alibi descripsimus. (a) Constabitque hinc Regi & mundo unius hominis sanctitatem (talis enim ab omnibus habebatur) multis militibus sæpè prævalere. Sanctitas reverentiam conciliabat: reverentia gratiam; hâc, ut consilia ejus horrationesque in omnium animos pervaderent, obtinebat: nec potuit fortius seditioni remedium adhiberi. Nobiles sacramenti Regi præstiti admonebat; quod turpisse, quàm sit à legibus divinis humanisque, quàm deindè à generoso sanguine alienum. Plebi, quam falleretur, inculcabat, alios eorum bonis & sanguine ludere, quibus si ipsi divitias honoresque cõsequantur nihil præterea curare, jmò iis obtentis, à nullis certiorem sibi ruinam timendam esse. Quosdam mulcebat promissis, aliis offerebat spem veniæ si citò resipiscerent: aliis, si obluctari pergerent, regiæ justitiæ metum intendebat: omnibus autem Regis nomen dignitatemque reddebat veneranda. Sudavit in hac palæstra ampliùs duos annos (b) tam gloriosè, ut adveniens Andreas Hurtado Marchio de Cañete cum authoritate Proregis anno illius sæculi M. D. LVI. summas ei ob id Regis suoque nomine egerit gratias, eisque, ne steriles viderentur, adjecerit ex ærario Regio quater mille pesa monasterii structuræ servitura. Verùm honores, quamvis liberaliter offerret, Salaçarius recusavit: non tamen effugere potuit quin eum Prorex summe veneraretur, &, propter eum, Ordinis nostri Religiosos universos, quos eleẽmosynis fovit, præcipuas Provincias assignavit, aliisque favoribus est prosecutus. Tantâ vi pro omnibus, unius virtus aliorum corda invadit.

(a) cap. 4. hujus lib.

(b) ab anno 1554. usque ad 1546.

10. Provinciam Peruanam, plurimis ad Ordinem adscriptis; insigniter auxit: quos, defunctus summâ Præfecturâ, ipse instruxit, & operarios reddidit tàm ingenti messi idoneos strenuosque.

11. Tandem ætas gravior, continui labores, asperrimæ pœnitentiæ, morbi neglectim curati eum approximaverunt morti, dicam, nescio an vitæ meliori, ad quam jampridem eum sua merita vocabant; Hanc tamen ingredi, nisi per illam, non poterat: quam ut toti vitæ respondentem haberet, Sacramenta cum devotionis & lætitiæ excessibus accepit, summâ astantium admiratione, à quibus indubitanter credi-

creditum fuit amantissimum Iesum ejusque Sanctissimam matrem morienti adstitisse, confirmando titulũ *Sancti*, quem jam indè à Religionis ingressu apud omnes obtinuerat. Quem, cum volet, Deus reddet majoribus prodigiis solemniorem. Ajunt certè Seniores Patres corpus, quod in primo Conventu (nunc Marcelli parochia) post sexaginta ab humatione annos inventum est planè incorruptum, esse hujus Andreæ, aut P. Didaci de Corrales, in hanc opinionem sanctissimis eorum, dum viverent, moribus inducti.

CAPVT VIII.

P. Ioannes Ramirez.

1. HIC in Perüanis Provinciis prędicationi initiũ dedit, quam dum nõ interruptam prosequimur, in secutura nobis tempora erit incurrendum: minus tamen incommodi erit illa huc retrahere, quàm unius vitam multis sectionibus à seipsa separare. Privatæ ejus virtutes erant, integritas, mansuetudo, silentium, patientia, humilitas, compassio; Supra modum verò orationis pœnitentiæque studium: illam, dùm domi ageret, nihil pænè quàm hæc interrumpebat. Per disciplinas non castigare se, sed torquere videbatur judicis sententiâ damnatum: locus ipse profusi sanguinis notis hanc ejus vehementiam testabatur, quam ne corporis quidem debilitate mitigabat.

2. Prædicationem mox ab ingressu in Peruviam exorsus est: nam eà occupatum diximus (a) ut primis Comitiis, quæ tertio celebrabantur mense, interesse non posset. *Guamanchuco* Euangelii primitiæ fuerunt, sed difficili admodum cultu rà. Est porrò *Guamanchuco* Provincia à principali municipio sibi cognomine sic dicta: Municipium eandem habet cum Limensi civitate longitudinem graduũ videlicet CCCII. latitudinem Australem verò VIII. graduum, quatuor gradibus latitudine Limensi, cui tribuuntur XII, minorem. Vnius proinde ab altera distantia erit miliarium Italicorum CCXL. Provincia sita est ubi montes, qui totam Peruviam in latitudinem percurrunt, suntque perpetuâ nive contecti, minùs eam patiuntur, ad occidentem tamen maximis frigoribus est obnoxia. Septẽtrionalium ventorum flatus vehementes sunt, sed meridionalium mitiores. Temperies utrobique salubris, rivi mediocres: terra ferax tritici, *Maiziiq*, ac aliorum fructuum seu Indicorum seu ex Hispania allatorum: Europæa item animalia nutrit felicissimè: sed homines planè agrestes. Ii olim viginti duobus vicis, præter plurimas familias in cavernis montium habitantes, distinguebantur, quos in pauciores contraxit Prorex Franciscus de Toledo. Dati in commendam erant Illustri Viro Ioanni de Sandoval, Ordinis faventissimo, ut latius dicam ubi ad Trujillensem (b) Conventum venero. Hic Augustinianos hujus suæ vineæ primos operarios petivit & obtinuit, misso illuc P. Ioanne Ramirez. Qui longum illud iter mox, sine ullo commeatu, spe solâ divini Numinis fretus, est aggressus. Quò cum pervenit, invenit, si mores spectes, non homines sed feras humanâ specie amictas; tantùm enim aberat ut prædicatione moverentur, ut potius, ne prædicãtem audirent, in altissimos fugerent montes, & speluncis absconderent, moniti ita à Dæmone, qui sibi fugiendum brevi aut delirescendum præsagiebat. Et opitulabatur sanè plurimum diabolicæ nequitiæ usitata apud gentem domorum distantia: ordinaria lex leucarum est: admodum vicinæ reputantur, si in hoc monte quatuor, in altero decem conspicias. Plerique non domos habitant aut mapalia, sed ab-

(a) cap. 1. hujus libri.

(b) Trujillo

 strusissimas

ſtruſiſſimas cavernas. Verùm nulli erant montes tam alti quò non eum eveheret ignita charitas: neque tam obſcura antra quę eodem igne non colluſtraret, penetraretque; neque tam horrida quæ non contemneret foras miſſo timore: nullum tam magnum frigus quod hoc igne non pelleretur, aut æſtus qui non ſuperaretur. Hoſpitium non quæſivit ſed accepit in quamcumque terram neceſſarius eum ſomnus aut nimia proſtrâſſet fatigatio. Per tot incommoda eum rapiebat animarum, quas diligebat, ſalus, ſimilem capreæ hinnuloque cervorum; intereà vires corporis immodicis laboribus diſſipatas non niſi modico *maizio* reparabat. Has autem tam varias moleſtias continuâ Deo ſupplicatione præſentabar, earum ut intuitu mollire calefacereque infidelium corda dignaretur. Et audivit zelantis ſervi ſui preces Deus, adjuvitque internâ inſtructione, ſine qua irritus eſt omnis labor, conſpicuos laborantis conatus; ut jam non tantùm non odiſſent aut fugerent externi homines inſolitos mores, ſed ultrò ſequerentur aliqui, plurimi audirent non ingratiis. Illuſtre ſanè aliis exemplum ſuâ converſione dedit famoſus apud gentem veneficiorum & idololatriæ magiſter: hic enim ſuſcepto baptiſmo mirum quantum & Apoſtoli noſtri labores ſit conſolatus, & addiderit aliis ſtimulum, ut, deſertâ Dæmonum miſerabili ſervitute ad dulcem filiorũ Dei libertatem tranſirent. Rarum inſuper invenit & miratus eſt Noſter divinæ prædeſtinationis non ex præcognitione operum bonorum, ſed, quibus vult, miſerentis & ex maſſâ damnationis ſecernentis teſtimonium in infante, quem jam morientem Dæmonibus parentes quidem conſecrârant, ſed opportunè accurrens Noſter vix collato ante ſupremum halitum baptiſmo, ad felicius ſupernorum Spirituum conſortium tranſmiſit.

3. Creſcente ad hunc modum fidelium numero, templorum, in quibus ſacrificia offerrentur, ſacramenta adminiſtrarentur, & populus communiter inſtrueretur, defectus gravis factus eſt, eò quidem moleſtior, quòd etiam, qui ea ædificarent opifices deeſſent. Hic ergò Ioannes unus plurium perſonas agere, locum deſignare, delineare ſtructuram, quærere & ſeligere ſervituram materiam, perpendiculum invenire, inaſſuetas trullæ manus accommodare, derepente, magiſtrâ charitate, architectus factus & cæmentarius. Sed quæ mora comparandæ arti ſit neceſſaria, cum concurrunt tàm induſtria inſtructrix & tam avidus inſtructionis diſcipulus?

4. Idola non minori diligentiâ domeſtica quàm publica perquirebat: inventa, præmiſſo, quo eorum vilitas fatuitaſque conſtaret, quàmque eſſent in comparatione Chriſtianorum myſteriorum abominanda, ſermone, flammis dabat. Neque, ut quidquam ex hoc zelo prætermitteret, facere poterat aut barbarę gentis obſtinatio eadem ſæpè reſiſtentis, aut imminentia à ferociente ob exuſtos Deos pericula.

5. Sed jam unius vires aut labor omni multitudini per vaſtiſſimam Provinciam diſperſæ par eſſe non poterat. Supplicat igitur per literas Provinciæ Præfecto P. Andreæ Salaçario, ut operariorum augeret numerum. Ille mox auxit, ſubmiſſis P. M. Ioanne de Sancto Petro & P. Antonio Loçano. Quorum adventu non diminutus labor eſt, ſed, diſtributâ in tres partes Provinciâ, contractior redditus: zelum autem alter alterius mutuis exemplis verbiſque incenderunt magis, ſolliciti imprimis ne quid in docendi modo hactenus à Ramirezo uſurpato immutaretur, non ignari populos adhucdùm novitate obſtupentes nondum poſſe in recentis Religionis penetralia introire, ſed hærere in cærimoniarum ſuperficie, quas ſi alias apud alium viderent, hac rerum externarum mutatione aliam iterum ſectam introduci innocentes

tes arbitrarentur, & calumniarentur obstinati, quales plerumque erant venefici (quorum ibi ingens est numerus) dæmonibus uti consuetudine ac malitiâ, ita duritiâ viciniores. Sed & horum duritiam tandem superârunt æquè assiduitate laboris & precum, atque constantiâ & fulgore quodam virtutum, castitatis præsertim paupertatis, modestiæ, benevolentiæ, & profusæ in ipsos charitatis, quâ, parentum more, omnia ipsis sanis ægrisque administrabant, multoque, quàm in terris illis fieri adsueverat, lautiùs. Invitabat ipse etiam ecclesiarum altariumque insolitus apud ipsos sed mirè laudatus ornatus, scholæ, musica: quâ malignorum spirituum furor, ut olim canente ante Saülem Davide, comprimi videbatur.

6. His Augustinianorum virtutibus profectibusque provocati, quibus vicinæ Provinciæ de *Chachapoyas*, *Laymebamba*, *Moyobamba* suberant, Commendatarii, pro sua quisque Provincia certatim ex eodem Ordine operarios Evangelicos obtinere conati sunt. *Chachapoyas* Provincia ejusdem secum nominis civitatem habet, quam Hispani *San Iuan de la Frontera* dixerunt. Imbribus plurimùm subjecta est, pecudibus & auri venis abundans, ac incolis frequens, qui proinde diu crescenti Ingarum potentiæ restiterunt; tandem ab illis subacti, Cuzcum translati sunt. Hispanico autem imperio illos subjecit missus ad hoc à Francisco Pizarro Alphonsus Alvarado anno post Christum natum M. D. XXXVI. Hi cæteros Indos candore corporisque gratiâ excedunt sicuti & fæminæ eorum cæteras Indas pulchritudine. Distat hæc à Limensi civitas versus Æquinoctialem & Orientem per *Trujillo* & *Caxamarca* CXLIV. leucis: *Laymebamba* verò ab eadem Limensi abest CXXXVI. at verò *Moyobamba* CLXXIII. Omnes autem tres istæ Provinciæ eandem fere cum *Guamachuco* habent latitudinem, verùm longitudinem aliquantò majorem.

7. Mittitur in has Provincias longo usu inter infideles exercitatus P. Ramirez, Guamachensibus, qui ejus adventum fuerant abominati, consuetudine doctrinâque jam illectis ægrè ejus abscessum ferentibus & impedituris, nisi ab eodem fuissent prohibiti, exponente quantum est Religiosæ obedientiæ imperium, & pro sui præsentia aliorum duorum Patrum cum laude memoriam objiciente, & spe futuri aliquando reditus sui consolante. *Laymebambam* primùm, deindè *Moyobambam* triginta à præcedente leucis dissitam pervenit, Hispanis quidem gratissimus, sed invisus Indis non tantùm gentis suæ odio sed & Religionis novitate, quæ sola apud exteras nationes ordinariè inter crimina computatur. Gentis genius asper est ac aspernator consiliorum, & qui nativâ incivilitate mendacem reddat insitam faciebus benignitatem. Terra montosa pluviis ferè semper obnoxia & per hoc insalubris, scatet insectis; armentis ac etiam tygribus similibusque feris abundat: Sylvæ frequentes sunt, raræ tamen arbores frugiferæ. Cùm illuc Ioannes intraret in paucis vicis ingens erat naturalium numerus; nec pauciores inaccessos incolebant montes.

8. Eisdem hîc, quibus apud Guamachucenses, studiis se exercuit, continuis precibus, laboribus improbis, benevolentiâ, conatibus obsequendi & adjuvandi. Solem dixisses lucis benignitate omnibus succurrentem, in eo dispar quòd ne quidem noctu occumberet. Illo sanè Indis, humanis rebus, altior visus, quòd occultissima illorum crimina non minùs, quàm si publicè essent commissa cognosceret: crevit ex illa admiratione personæ veneratio; hæc auxit audiendi eum & obaudiendi desiderium. Accessit insuper non obscurum divinæ vindictæ testimonium, quo non dubiè zelo Servi sui famulabatur, terrore etiam ad fidem rebelles compellens voluntates.

9. Senex

9. Senex Indus moriturus advocato ad se Ioanni confitebatur filiam sibi esse dictam *Curi*, servitio idoli sui dedicatam; hanc habere item aliud idolum absconditum; quâ confessione factâ è vivis abiit. Ioannes cùm hanc Indam *Curi* interrogando quæreret intellexit non esse istud nomen cujuspiam proprium, sed ita à se ex primi gemellos (quos in aliis Provinciis *Chuchu* vocant) quorum alterum matris filium dicunt, alterum tonitrui, utrósque *Curi* appellant. Vocat ergo ad se illam agitque quâ blanditiis quâ minis idolum ut prodat, certus istud ab illa auferre & expellere, si posset, idololatriæ scelus. Negat illa idolum, & tamen frequentabantur ejus ædes ab Indis per ejus manus tanquàm Flaminis sacrificia offerri petentibus. Non tulit diutiùs solemnem hunc errorem Ioannes, quin protinùs aliquot Indis comitatus ad eam contendit increpuitque severè coram idolis. Obmutuit illa ac derepentè velut à Dæmone possessa spumans & copiosum evomens sanguinem cum illo simul infelicem expuit animam.

10. Plurimi ergò & Ioannem venerabantur velut sanctum & miraculosum, &, suscepto baptismo, Christo adscribebantur, gaudentes se potiùs quàm majores ad veri Dei fidem fuisse prædestinatos, ubi nulla erant omnium merita. Ioannes autem impigrè in Ecclesiis sacramenta administrabat erudiebatque ignorantes, cùm non in laborum levamen sed feliciorem magnæ messis congregationem advenerunt RR. PP. Nicolaus de Tolentino & Ludovicus de Sancta Maria. Verùm quantò majus erat fidei incrementum tantò ampliùs communis hostis frendebat, armabatque se ut vel nascentē Religionem extingueret, aut non inultus, si cogeretur, recederet. Educebat ad hoc copias partim ordinarias omnique illi regioni communes, partim isti terræ speciales. Illas veneficorum sagarumque, quæ tanquàm Flamines habebantur & colebantur, turma constituebat: has, Tygridesque & nativâ feritate, & dæmonum instigatione vbique fœdâ strage grassabantur, devorando viros, mulieres, pueros, armenta; Neque ista tantùm funera in viis spectabantur: in ipsas Indorum ędes eâdem immanitate irrumpebant. Et, quod admiratione dignissimum, nulli unquàm Hispano nocuerunt: imò, quod magis stupeas, si viginti Hispanis unus misceretur Indus, in hunc irruebant discerpebantque (a) incertum an naturali cum his (b) antipathiâ, cum illis (c) sympathiâ; an verò superiori aliquâ virtute acti aut compressi. Hanc occasionem Dæmonum sacrificuli nacti in Catholicam Religionem debacchari instituunt; illam unam esse tot malorum & funerum causam, quod nimirùm populum à veteri Deorum suorum cultu averterit vetueritque constellationis *Chuquichincay* adorationem in illis montibus olim solemnem. Observabant scilicet Indi non minùs quàm antiquitùs observarunt & modò observant Mathematici Europæi certas stellarum congeries, quas ex similitudine rerum notarum, aut propriâ voluntate certis appellant nominibus. Inter cæteras unam Tygridem, illorum linguâ *Chuquichincay* vocabant, quæ fortè eadem est quæ apud nostros sub nomine Leonis nota, constans stellis viginti septem. Tygridi huic cælesti, ut à Tygridum terrestrium rictibus eriperentur, divinos honores impendebant, quos, quia novâ Religione constricti, intermittebant. Tygrides hos ajebant ad neglecti cultus vindictam immissas; Antiquâ in Christianos cavillatione in illos referente si quid sinistri accidisset. Quam importunissimam passi sunt anno post Christum natum CCCCXI, quando Alarico primo Visegothorum Rege capta & vastata Roma fuit; sed eam prolixissimè diluit S. P. Augustinus doctissimo illo elaboratoque opere, quod *De Civitate Dei* inscripsit. Nec difficile fuisset falsam hanc Indorum calum-

(a) Ita referunt multi rerū Indicarum scriptores Theodorus Brilo, Antonio de la Calanf. (b) Indis. (c) Hispanis

calumniam verâ responsione refutare, cùm stante eorum Monarchiâ septem annorum siccitas myriades aliquot hominum abstulisset; à quâ post prædicatum ibi Euangelium hactenus fuerunt immunes: integræ item familiæ idolis immolabantur; plerique verò miserabili servitute ad ferendos per quingentarum leucarum spatium, quod inter Quitum Cuzcumque interjacet, lapides urgebantur, nullâ prorsus mercede: nisi Indorum mentes & earum hebetudo, ac malum præsens omnibus exactis semper majus, atque veneficorum, quibus ingens habetur honor instigatio, aliæque dæmonum technæ à præteritarum rerum consideratione avocassent. Prudentiores certè sub ipso Euangelicæ prædicationis exortu Idolorum tàm avidè sanguini humano inhiantium crudelitatem, præ Christianorum Deo solis adfectibus contento, abominabantur. Sed istud jam frustrà inculcabant Augustiniani, cùm illis, quas diximus, causis insana multitudo abriperetur.

11. Quare Ioannes post orationes alteriori spiritu exæstuans, Deique fiduciâ plenus insolitum aliquod audaxque facinus machinatur: convocat ad concionem omnem populum, à quo cum quæsivisset ubinam Tygrides visæ fuissent, jubet ut præcedentem se illuc sequantur. Faciunt id nonnulli, & animosiùs quidem exteris venefici, spectaturi, ut rebantur sperabantque, extremum novi Præconis supplicium Deorum suorum irâ, ungibus certè ac dentibus tygridum inferendum. In quarum conspectum cum pervenisset ac animadverteret plurimos metu diffluere & quærere latibula, repetitâ oratione incensoque novis ignibus animo, *Adeste*, inquit, *increduli, hæc, quæ tantoperè formidatis, animalia mox dabo manibus vestris discerpenda & comedenda ab infectis. Quid reluctamini? Si hactenus Dei nostri mansuetudinem & benignitatem experti estis lan-dastisq;, videte nunc quantùm fortitudine idola vestra præcellat, & in se fidentibus opituletur. Excutite timorem: illa jam his solis armis* (crucem ostentabat) *invado & opprimo*. Quo dicto, animoso passu procurrit ad ringentes bestias, Indis à longè rei eventum expectantibus. Illæ hoc incursu armisque perculsæ in altissimam scandunt arborem, metum solo rugitu & diductis dentibus adferre insequenti parantes. At ille intrepidus, turbæ adesse jussæ, *Eja*, inquit, *Christiani, Deum vestrum hodie cognoscite, cui neque Dæmones, quos hactenus in idolis coluistis, neque ulla alia potentia resistere potest: cum, ut videtis, cruenta ista bestia pertimescunt. Parùm est nisi ejusdem virtute illas vobis occidendas tradidero. Revocate fugientes animos & pulso timore hostes conclusos pavidosq; oppugnate. Vicissimini nunc parentum vestrorum, filiorum, fratrum & propinquorum tot funera: Et ne jacula deesse causari possitis, illi, quos fortuitò objectos videtis, lapides jaculorum sint loco. Ego ecce in nomine Iesu primum impetum facio, vos eâdem fiduciâ sequimini præeuntis exemplum.* Dixit, & simul arreptum saxum in sublime contra tygrides, quantâ potuit vi, projecit; cum adstantes aliquot ex Indis mirabantur; ad quorum ictus mox sævissimæ illæ bestiæ in terram prosiluerunt, nullâ aliâ sibi re, quam fremitu similes; quem quia non timere jam didicerant novi Christiani, sui doctoris exemplo, omnes certatim lapidibus invaserunt prostratas & obruerunt, extractasque mortuis pelles pro publico trophæo suspendentes testimonium esse voluerunt, quàm nulla vis obniti possit vero Christianorum Deo, qui & Danielē inter famentes leones intactum servavit, & Sampsonem Davidemque cisdem fecit superiores; Vt videas adhuc in naturæ miserabiliter lapsæ statu verum esse quod S. P. Augustinus ait (a) *Supra te Deus, infra te pecora: agnosce eum qui supra te est, ut agnoscant te quæ infra te sunt. Ideoq; dùm Daniel agnovisset* (a) Super Epist. Ioan. cap 8.

X *supra*

supra se Deum agnoverunt eum supra se leones.

12. Sed qui tam gloriosè de cruentissimis feris triumphaverat, expertus est mulieres feris omnibus acerbiores. Diabolus scilicet tantâ suorum mancipiorum jacturâ insaniens, bellum Ioanni movit, quod solet omnibus, licèt Sanctis, esse periculosissimum propter intimum hostem domesticumq; proditorem, inimici semper partibus addictum. Tres prætextu pietatis adornat speciosissimas Indas, (& superaor illatum patrium fæminæ pulctitudine candoreque cæteras Perüanas omnes) quæ modò fidei rudimenta edoceri cupiebant, alias in suis necessitatibus consilium auxiliúmque flagitabant; posteà pro obtento referebant gratias, patrium aliquoties adjicientes munusculum, sed iis verborum gestuumque lenociniis, ut jam fraudem odorari Vir Apostolicus non obscurè posset. Sed repellat mox insolentes? pulcra illa corpora animant animæ digniores non naturâ modò, sed precio, quo redemptæ sunt, sanguinis; quarum lucrandarũ gratiâ tot itinerum spatia fuit emensus. Illasne subitâ asperitate ad desperationem redigat? Admittet, sed solâ res spirituales tractandi causâ. Verùm non venient sine corporis verborumque gratia, quæ & præsens vim sit allatura, & occupatura aliquem in memoriâ locum, ex quo renovatis noctu dinque, occursu specierum, insultibus difficillimam perpetuet pugnam. In hunc ergo modum Ioannes hinc zelo animarum proximi, hinc suæ conservandæ studio jactatus, primùm asperis disciplinis, longis jejuniis, & continuis orationibus carnem exercuit, ut sic rebellantem dùm alienæ saluti intendit, frangeret; quod cum non consequeretur, fugit. Tutissimum sane in ista palęstra medium, nàm

In reliquis vitiis sequitur victoria pugnam,
Vincitur at celeri sæva libido fugâ

fugit, inquam, non tamen extra commissam sibi Provinciam; verùm declinando occasiones tam periculosæ societatis.

13. Verùm alia eum mox anxietas excepit, ita nulla in hoc mundo satis tuta victoria est. Anxietas non jam ex pulcritudine formarum, sed auri fulgore abundantiâque proveniens. Nam dùm ipse plantandæ fidei incumbit, ditissimæ illius metalli venæ detectæ sunt; quas licèt ipse ut stercora æstimaret, eæ tamen undique cupidissimos, atque adeò scurras plurimos evocabant, qui & auro potiri & molestias fodiendi fugere dum vellent, indignissimis modis Indos ad hos labores urgebant, tortores non tantùm corporum, sed & animarum homicidæ, dùm recenter conversos hac severitate à suscepta vix fide retrahunt, alios à suscipienda deterrent. Quantos hic Ioannes, spiritus sui zelo singulos parturiens, sensit eiulatus! quibus dum maximis exercetur, adveniunt P. Ioannes de Campo, P. Didacus de la Serna & P. Ioannes *Tamayo* in *Laymebamba* & *Chachapoyas*, mandato Superiorum, Ramirezi munia obituri; Ipse verò ad *Guamachucenses*, sui Euangelii primitias, redire jubebatur, à quibus sanè tanquam pater receptus est, maximè vero à P. M. Joanne de Sancto Petro & P. Antonio Loçano veteribus in eadem messe sociis.

14. Qui deinde junctis studiis politicam ordinare exorsi sunt, optimo non magis successu quàm exemplo, quod posteà aliæ Indorum Provinciæ Ordini nostro subjectæ sunt imitatæ.

Indi non innuda terrâ, ut hactenus, sed lecticis (a) cubent.

Carnes tegant salutis simul & modestiæ causâ. In cibo, habitu, conversatione Hispanos imitentur, sed non æquentur.

In singulis pagis binæ ædificentur villæ ad alendas pecudes: altera infir-

(a) *barbacoas.*

infirmorum curationi & pauperum necessitatibus; altera templorum ornatui servitura.

Sabbathinis diebus missa cantetur & *Salve*, atque in honorem Beatissimæ Virginis Confraternitates erigantur: & adsistant officio Confratres albo amictu, ceream albam manu gestantes.

Dominicis diebus festisque majoribus per cœmiterium processiones fiant; uti & feriis secundis pro defunctis.

Lunæ, Mercurii Venerisque diebus in quadragesima quilibet Christianus accipiat disciplinam; quod Religiosi nostri servent per totum anni circulum.

Posteà decretum ut diebus Iovis missa canteretur de Venerabili Sacramento. Quam devotionem hoc Dei beneficium consecutum est, ut fulgura, nulli post à nocuerint, quæ anteà nocere solent frequentissimè.

Puellæ floreis sertis caput, mulieres linteo totum corpus velent.

In singulis pagis unus ut minimum sit Sacerdos sine cujus licentia nullus ex eo Indus egrediatur.

Complexa est ex duobus membris hæc ordinatio, & ex utroque non majorem laudem quam fructũ consecuta est mea Religio. Quis enim non videat quanto animarum dispendio fiat si tot vicis unus intendere debeat, ut sint qui semestri integro, imò solido anno Parochum non videant? quis ibi fidei rudimenta exponat? quis illa edoctos nutriat? quis instruat mores aut corrigat? Hæc apud populo benè institutos cum sint necessaria, quid erit apud agrestes aut sylvestres? Quæ tamen cum in Peruvia non rarò fierent, nostri semper damnaverunt lucro spirituali quam temporali leviores, tam nulla est, si rectè judicetur, auri cum anima collati æstimatio.

15. Secundi membri causa non erat aut importunus dominandi appetitus aut desiderium stabiliendæ servitutis, sed necessitas continendi populi, ne, si pro arbitrio abesse licuisset, ad occultorum idolorum cultum, qui publicè fieri prohibebatur, diffluxisset, quod accidebat frequentissimè. Iubebatur ergò ad negotia seu agriculturam è pago egressus allegare causam, petere absentiæ terminum, qui attentâ causæ qualitate longior erat breviorve; redire ad terminum præfixum. Proderat hæc nostrorum cautio plurimùm, sed nulla satis magna ad vitandum malum cautela est, quando illuc ignorantis naturæ impetus ducit, & impellit consuetudo. Quare non contenti Nostri salubriter aliquid constituisse, impigrè insuper laborabant, ut statuta servarentur. Ideoque excurrere in agros, quærere & congregare Indos, illos edocere, observare ritus, continuum erat eorum opus. Et, ut duos alios omittamus, Ioannes Ramirez, cujus nunc vitam describimus, imperterritum zelum consideremus.

16. Ioanne tantis laboribus conversioni barbarorum insudante, & per campos huc atque illuc discurrente, accidit seu casu, seu aliorum delatione, seu potiùs impulsu divino ut conscenderet ad locum, in quo impensè sed occultè idolum ab omnibus colebatur. Hujus quàm thesauri inventione hilarior, arreptum inter brachia deferebat in municipium flammis absumendum. Verùm adsunt à tergo Idololatræ, quibus ille intrepidus, *Videtis hic*, ait, *in manibus meis Deum vestrum, imò non Deum sed lignum sub cujus figura teterrimum pessimumq; Dæmonem adorastis. Illud curabo ut ignibus mòx pereat, sicuti hic æternis in inferna cruciatur.* Tantùm abest ut hæc Pastoris sui oratio illos permoverit ad idoli detestationem, ut etiam acribus minacibusque verbis postulaverint sibi reddi. Recusantem vi aggrediuntur & extra brachia extorquent. Receptum multis blanditiis delinire student, & precantur ut in furciferum illum fulgure aliâve

mortali calamitate desæviat. E contrà Ioannes fervido Eliæ spiritu incensus improperavit idolo impotentiam suam, idololatris stultitiam. Illi, quod se non potuisset defendere; his quod se imperfectius & impotentius lignum adorarent. Hoc, si hactenus cæcitas fuit adeoque levior, prædicato nunc Euangelio in nonnullis, qui baptismum receperant, esse apostasiam, in aliis obstinationem. Idololatræ in rabiem acti partim baculis partim lapidibus Pastorem suum agressi sunt, & quibus hæc deerant, pugni calcesque pro armis fuerunt. Quibus eum ita atrociter ceciderunt, ut parùm à morte distaret, quam procul dubio intulissent, nisi ad conspectum duorum Hispanorum illàc seu fortuitò seu divinâ ordinatione transeuntium barbari fugissent. Hispani elevatum Ioannem in ædes ejus deduxerunt nullâ re tristiorem, quàm fuisse se, dum jam martyrii palmam quasi manibus prensaret, à tanta gloria impeditum, si impediri potest in eo, cui nec animus nec patientia martyri digna defuit, sed soli prohiberentur, qui mortem inferre pergerent, tortores.

17. Restitutus sanitati, auctus etiam patiendi desiderio ad novæ vineæ culturam destinatur. Rex enim Provinciam de *Gambos* & in ea tres maximos populosissimosque pagos *Cutervo*, *Quirocota* & *Cachen* (quorum quilibet habebat tres plures ve vicos annexos) Ordinis doctrinæ adsignaverat. Abest hæc Provincia versus Orientem à *Laymebamba* XXIV. leucis: est montana non tamen frigida, quin potiùs in multis locis admodùm temperata, ideòque dives & læta; fructibus æterilque ad victum pertinentibus abundans. Nunc tamen minùs quàm olim populo frequens. In hanc alacer, non quia dives sed quia inculta, Ioannes ingreditur, anno post Christum natum M.D.LX. Labor, qualis in *Guamachuco* & *Chachapoyas*, fuit; similis industria, sed fructus in populo minus agresti uberior: nam spatio trium annorum, quos cum collega P. Didaco de Aguilar omnigenæ virtutis viro, incolis strenuissimè impendit, omnes in fide, quantùm satis erat, instruxit, sacro lavacro abluit, Ecclesias ædificavit, cultus divini cærimonias edocuit, legesque politicas sanxit & servari mandavit. Sed observa, quæso te, inaudi-tum Euangelicæ non magis paupertatis quàm charitatis exemplum. Autor est patribus in Comitiis anno M. D. LXIII. congregatis, ut Provinciam hanc fidei rudimenta edoctam, divitiis affluentem & obnoxiam deliciis deserant, quòd & certùm esset non defuturos talium commoditatum cupidos Sacerdotes, & Ordinis nostri Religiosis non quietis, sed laboris avidis daretur tempus adeundi difficiliores pauperioresque populos, atque ob hoc à minùs laboriosis negligendos; tùm denique quòd paupertas laborque sint Ordini, quàm requies deliciæque, utiliores: omnium hoc Regnorum & Rerumpub. exempla probare. Atque his rationibus apud Patres paupertatis studiosissimos, ut alibi ostensum, solius que proximorum salutis promovendæ cupiditate possessos evicit, ut dictam Provinciam aliis tradendam derelinqueret, ægrè licèt id in initio ferente Prorege, donec rationibus supradictis fidei, Regiique imperii propagationi opportunis placaretur.

18. Quare Ioannes ad *Chachapoyas* & *Laymebamba* Conventum remittitur, ubi omnium votis lætitiâque tanquàm primus eorum in Christo pater fuit receptus, sicut fuerat Indorum desiderio & literis Hispanorum expetitus. Cum eo profecti sunt Patres Didacus Ordoñez & Guilielmus Ruiz à virtutibus & animarum zelo commendati. Hîc quæ antè plantaverat, sedulò rigavit perfecitque usque ad annum M. D. LXVII. quo eisdem, quas modo dixi, rationum momentis Patribus persuasit, ut aliis derelinquerent, quod & obtinuit.

19. Ipse verò totum studium suum

suum curamque ad *Guamachucensem* Provinciam à se ante omnes Evangelio genitam, sed sterilem & agrestem, eisque nominibus illi, qui per calidos continuosque labores ad coronas nitebatur, gratiorem contulit. Ibi omnes iterùm virtutes convocavit & explicuit, Paupertatem, Castitatem, laborum constantiam, pœnitentias, jejunium, humilitatem, affabilitatem, zelum divini cultus, qui ibi solemnitate & musicâ celebrabatur, ut nulla esset in tota Peruvia laudatior. Infirmorum curam agebat ipse; peregrinos ad hospitium non vocabat sed trahebat, quærens illos per sylvas camposque, in eo hospitalitate superior Abrahami transeuntes peregrinos in solario expectantis. Somnum, cùm necessarius fatigatum corpus oppimeret, cœpit novo pœnitentiæ genere, genuflexus.

20. Factus Definitor in Comitiis Cuzcoënsibus anno M.D.XCI. Limæ habitavit virtutum norma. Cumque esset septuagenario major tautoperè in se disciplinis desæviit, ut copiosa sanguinis distillantis vestigia aliquibus confusionem, invidiam novitiis, omnibus attulerint admirationem. Hinc rursùm *Guamachucum* missus, ibi usque ad annū M.DC.V. moratus, sollicitè perficiens decrepitus, quæ robustior laboriosè inchoaverat. Tandem cæcutiens seu ætatis vitio, seu præcedentibus famis, sudorum, æstuum solariū, nivium, & verberum incommodis, *Trujillum* venit, cæcitatem reputans felicitatem, quòd per eum numerus inimicorum in uno esset diminutus. Ego sanè illius causâ æstimo Ioannem Metello Romano, qui pro patria oculos perdiderat, non inferiorem, *cui tribuit populus Romanus, quod nunquam ulli alii ab avo condito, ut quoties in Senatum iret, curru veheretur ad curiam: magnum & sublime sed pro oculis datum.* (a) Trujilli cùm eum Patres Guamachuceuses visitarent, offerrentque pro Guamachucensium veneratione pesa aliquot, electuaria, & culcitram, hanc solam pro frigidæ senectutis aliquali fomento admisit, electuaria communitati dari jussit, argentum planè detestatus est, *non permittas*, inquiens, *Deus, ut quidquam illius umquàm metalli admittam.* Interrogatus ætatis annos respondit, *quibus Deum offendi, plurimi; paucissimi, quibus illi servivi; memini me novisse filias, quæ B. Ioanni Saguntino confessæ fuerant.* Paucis ante obitum diebus observatus fuit solito esse hilarior serenioris que faciei. Receptis cum amoris lacrymis Ecclesiæ Sacramentis, *nunc me*, ait, *Deus ad se vocat.* Surgens verò ac in genua provolutus cum ardenti ad Deum, Deiparamque, quám impensè totâ vitâ suâ fuerat veneratus, prece purissimum è fracto per ætatem laboresque corpore spiritum in cælum emisit, anno post Christum natum M.DC.VIII, quo ætátis anno, incertum: constat tamen octuagesimū excessisse. Prædicando in Peruvia Evangelio impendit omniuò septem supra quinquaginta. Corpus ipsâ morte pulcriùs redditum confirmavit, quam ejus virtutes apud omnes conciliaverant, *Sancti* opinionem. Imò quid prohibet martyrem appellare, qui tam immaniter ab idololatris ob captum idolum fuit fustigatus? de Ioanne certè Euangelista Christus prædixit illum calicem suum esse bibiturum (b) qui quarto decimo post passionem Christi anno persecutionem movente Domitiano in insulam Patmos relegatus, sub Nerva tamen Principe rediit Ephesum, ibique confectus senio anno post passionem Christi sexagesimo octavo mortuus est: (c) & Romæ, referente Tertulliano, in ferventis olei dolium missus, tamen purior & vegetior, quàm intraverat, exivit. Teclam item S. Pauli discipulam Ecclesia ut martyrem XXIII. Septembris celebrat, quæ decimo octavo ætatis anno crudelissimè torta; nonagenaria tamen Iconii obiit.

(a) Plinius lib 7. ca. 28.

(b) Matth. 20.

(c) S. Hier. de Scriptoribus Ecclesiasticis.

CAPVT IX.

P. Hieronymus Melendez.



1. VBI aut quando natus fuerit hic Melendezius non inveni: Duo cum mundanæ æstimationi reddebant commendabilem, stemmatis nobilitas, & eximius speciei decor; totidem scilicet itidemque capitales animæ hostes; bellum siquidem pudicitiæ nobilitas formaque semper moverunt; hæc quod lenociniis sit plena, illa quod otiosior legibusque solutior. Atque ex hoc laudes statim Melendezii intelligas, qui utrumque perpetuâ virginitate superavit; arma illi fuerunt custodia linguæ, oculorum modestia, asperitas vitæ, & orationis fervor, perpetuitasque.

2. Linguæ certè custodia tanta fuit, ut non tantùm leve aliquod verbum proferre piaculum apud eum esset, sed ipsum pænè loqui religio; adeò ut, qui eum viderent, sæculares aut stupidum arbitrarentur aut stolidum, nisi hominis notitia tam præmatura ineptaque judicia prævenisset. Proclivis videlicet ad loquendum humana lingua instrâ inclinatione naturâque similium, eloquentem amat aut saltem multiloquum; taciturnum aspernatur. Neque hoc, cum ei accideret, ægre ferebat Hieronymus, memor tacentem in cõspectu Herodis *Jesum* fuisse ab eo, ejusque exercitu spretum & veste albâ illusum: *(a)* Pilatum autem simulem ob causam vehementi tenuisse admiratione defixum. *(b)* Solâ eum ad loquendum honor Dei aut spiritualis fructûs occasio permovebat, tunc copiosum & eloquentem. In oculis eam servavit modestiam ut illos ad videndam fœminam numquàm attolleret.

(a) Luc. 23

(b) Matth. 27.

3. Vitæ asperitatem longa jejunia, ordinatiæ cruentæque disciplinæ, dura cilicia, in nudâ tabulâ cubationes apertè comprobabant; maximè verò, quòd, cum extremum illum vivendi rigorem, quem alibi descripsimus, *(c)* mitigare per Prælatos Castiliæ jussa esset Provincia Peruana, *(d)* Hieronymus servandi pristini rigoris desiderio in Mexicanam Provinciam commigrârit. Sed undè eum Deus, qui Peruviæ hunc cultorem destinaverat, variis infirmitatibus in priorem Provinciam paucos post annos retraxit, à qua magnis applausibus fuit receptus.

(c) lib. 4. cap. 8.

(d) cap. 6.

4. Orationi ita intendit, ut continua perpetuaque videretur: dies in hac cum noctibus conjunxit, nisi quod has contemplationi opportuniores reputaret. A Choro aberat numquàm, non æger, non decrepitus nonaginta annorũ ætate. Quæ, simul & longæ vigiliæ cum eum oculorum usu orbassent, non orbârunt tamen consuetudine adsistendi Officiis: ad ea accedebat primus, & recedebat ultimus. Vis amplius? Perierat debilitato maxillarum comedendi appetitus, solisque tremulum corpus potionibus sustentabat; & astabat indies duas tresve horas Matutinis precibus; Missæ item Vesperisque tantâ constantiâ, ut facilè ipso facto edoceret non alibi quæri posse melius tantis miseriarum, quæ undique semperque nos circumvallant, cumulis solatium.

5. Huic orandi studio conjunctus erat solitudinis amor, sine quo neq tempus orationis invenias nec locum opportunum; frustràque ab ea solidum aliquem fructum expectes. Ideoque à templo ad cellulam brevissimo itinere recurrebat. Si quando in hortum descenderet, quodlibet arbusculum, frutex, aut herbula in profundissimam divinæ in illis omnipotentiæ admirationem rapiebat, solvebatque in lacrymas dum inter hæc hominum præ insensatis ingratitudinem ponderaret. Sancta solitudo, quàm faciles invenis scandendi

dendi in altissimas saluberrimasque considerationes gradus! Quàm verax qui dixit, *Sedebit solitarius & tacebit quia levabit se supra se!* (a) Quę solitudinis consuetudo *Tartaris solitarii* ei pepererat appellationem.

(a) Thren. cap. 3

6. Ista ad Superandos violentæ nunquàmque quietæ carnis insultus, nobilitatis & pulcritudinis viribus roboratos, arma fuerunt: hæc loca conflictûs. In Hispaniis Ordini nostro nomen dedit: inde Peruviam cum primis nostris Apostolis anno supra sesqui-millesimum quinquagesimo primo pervenit, ipsúsque fuit qui literas Imperatorias nomine cæterorum Auditoribus Limæ præsentavit: ut non obscurè fallantur, qui putant dicumque primò eum in Mexicum, deindè cum RR. PP. Ioanne Estaeio & Ioanne Magdalenæ venisse. (b) Profectus quidem fuit in Mechicum, sed non nisi post secundâ Comitiis Peruana amore rigidioris vitæ; (c) Ac posteà, eadente protsus ætate, fugâ officiorum. (d)

(b) lib. 4 cap. 5. & 9.
(c) hoc cap. num. 3.
(d) hoc cap. num. 11.

7. Primis Comitiis Peruanis factus primus Definitor nō est aspernatus instituendi Novitios curam in se suscipere, quam deindè, succedentibus temporibus, exactò officio, exercuerunt Provinciales, arbitrantes nulla in re utiliùs posse sé Provinciæ operam suam accommodare, quam solidam pietatem doctrinamque instillando iis qui aliquando sunt gubernaturi. Quod ut consequeretur Hieronymus, paradisum sibi commendatum æstimavit eisdem, quibus Adamo protoplastæ, conditionibus, *Vt operaretur & custodiret illum* (e) Nimirum *ut quod operaretur in terra per agriculturam, in seipso custodiret per disciplinam, id est, ut sicut ei ager obtemperaret colenti se, ita & ipse præcipienti Domino suo, ut sumpto præcepto obedientiæ, fructum, non spinas inobedientiâ redderet.* (f) Paradisum, inquam, novarum mentium, à quibus quam obedientiam exigebat, hanc ipse deferebat superioribus Prælatis. Et consecutus est adeò feliciter, ut in ipsis illis incunabulis in viros, qui & ferre Religionis onera, & gerere magistratus possent, solidarentur.

(e) Gen. 2. 15
(f) S. P. Augustin. lib. 8. de Gen. ad literam cap. 8.

8. Præfecturam Conventus Limensis dùm administravit, (g) rigore excelluit disciplinæ & in pauperes misericordiâ. Illo minimos etiam defectus castigabat, solitus dicere, *Quod P. Andreas de Salaçar & P. Andreas de Sancta Maria* (cum horum scilicet regimine concurrebat) *mansuetudine, affabilitate, obsequiisq; consequi nituntur, ego obtinere severitate tentabo; ut Deo & ipsorum comitate & meâ serviatur asperitate. Rigorem si induant ipsi, adsumam ego lenitatem: neque enim ille minùs, quam hac, necessarius est Reip. in quâ nisi omnes in virtutibus sint radicati, diflue̅t aliqui mansuetudine. Meâ quidem opinione, reprehensionis castigationisq; defectus, ligones sunt quibus observationis monasticæ radices præscinduntur; venenaq; quibus tota inficitur vitiis seriusve Religio. Misericordiam Deo cantat Regius Psaltes, sed & judicium.* (h) *Et continuit zelo Elias, quod Moysis mansuetudine dissipabatur. Venerer S. P. Augustini modestiam; ast laudo etiam SS. Hieronymi Chrysostomiq; aculeum.* Erat sanè observationis religiosæ zelus in eo tam exactus, ut ne quidem sine admonitione, servarâ modestiâ, prætermisisset Provincialem, si quem levem in eo defectum observâsset.

(g) 1560.
(h) psal. 100

9. Quod pauperibus erogabat, reputabat non eleemosynam sed debitum, adeò sollicitè eorum necessitatibus erat intentus. Possent hanc ejus erga pauperes curam probare multa ex libris computuum Limensium, cùm ibi Prior esset, extracta loca. Vnus sufficiet verbotenus hue relatus, *Dieronse à los pobres veynte y siete pesos, con que se acabò de pagar todo lo que se debia a los pobres de esto año de sesenta.* Latinè sic sonat, *Dati pauperibus viginti septem pesa in complementum summa ipsis pro hoc anno sexagesimo debita.* Quæ deindè ex hoc principio consuetudo inolevit constatq; in Conventu Limensi, quem Dei centuplum etiam in hoc mundo retribuentis benignitas ita auxit, ut quot-

ut quotannis pauperibus in nummis, pane, carnibus distribuat supra mille quingenta pesa, & non raró, quinquies mille. In seipso autem illam exercuit paupertatem, ut tota ejus supellex habitu uno, unâ tunica, sacco paleis referto pro lecto, tabula una cum imagine Christi cruce pendentis, & craneo excarnato comprehenderetur.

10. His aliisque virtutibus eam publicè famam obtinuit, ut non parvam dotis partem habere crederetur puella, quæ Melendezio Confessario ordinariè uteretur, hominibus virtutes, quas tales à Cõfessario hauriebant, præ nummis, reputantibus. Paulò major etiam inde juvenibus æstimatio accrescebat. Et erat sanè in confessionibus audiendis uti indefessus, ita etiam ultra suam consuetudinem mitis, nisi dum in durissimas animas incidisset, quas severitate, quam illi naturalem putasses, invadebat & permovebat non pœnitendo neque obscuro in Reipub. fructu.

11. Officia omni onere graviora sentiebat, conabaturque, quantùm per obedientiam fas erat, excutere. Et obtulit se commodùm occasio. Tardabat præter omnium opinionem P.M. Ioannes de Sancto Petro in Hispaniam missus cum qualitate Procuratoris Generalis, qui plures indè Religiosos adduceret, adferretque Româ privilegia & jubilæa. Quæ cum avidè in ista Provincia desiderarentur, tractareturque propterea de alio cum iisdem mandatis mittendo, Melendezius se mitti petivit & obtinuit, minùs sibi periculi timens à maris tempestatibus quàm æstibus Officiorum. Atque, ut etiam hinc paupertatis ejus studium observes, tam longum iter ingressus est, non accipiens pro viatico, hauloque ultra sexaginta duo pesa & medium; multò scilicet, quàm P. Ioannes Estacius, parciùs. (a) Occurreos in via Ioanni de Sancto Petro peractis pro voto in Hispania negotiis redeunti, propterea que judicans se cœptam peregrinationem frustrà prosecuturum, in Mexicanam Provinciam deflexit, in qua ut sperabat, faciliùs, ob numerum ibi Religiosorum copiosiorem, permitteretur ab Officio omni immunis in cella & silẽtio vivere: quod & factum est: ibique fatis concessit nonagesimo primo ætatis suæ anno; sanctitatis opinionem vitâ suâ in Hispaniis, Peruvia, Mexico promeritus, & in cælo, uti credẽdum, mercedem illius consecutus. Vitam ejus non modò P. Antonius de la Calança, ex quo hæc decerpsimus, sed & P. Ioannes Gryalva in Historia sua Mexicana prolixè descripsit.

(a) hoc lib. cap. 3 n. 16.

CAPUT X.

Memoriæ RR. PP. Didaci Palomino, Ioãnis de Sancta Magdalena, Balthasaris Melgarejo, Ioannis Chamorro, & Francisci de Frias.



1. ETIAMSI temporis illius si non felicitas, certè cõditio, quãdo omnes agendis potiùs rebus, quam scribendis incũbebant, ad nos vitas illorum Patrum non transmiserit, eorum tamen memoriam præterîsse nefas duxero. Et ut alia eorum facta occultarentur sylvarum ac cavernarũ umbris, essentve montium venris dissipata (nam hæc theatra fuerunt in quibus ipsi in scenam prodierunt soli Deo & Angelis spectabiles) illustris sanè ingensque eorum laus est fuisse ex numero illorum qui primi, pereunte magno illo Cæsare Carolo, regentibus Hieronymo Seripando & Francisco Serrano,

Serrano, illo universum Augustinianum Ordinem, hoc Castellæ Provinciam tunc non magis numero Religiosorum abũdantem, quàm sanctitate doctrinaque florentissimam (a) in pari cum Apostolorum numero ad simile sunt opus destinati. Quàm breves certè fastos de Apostolis ab antiquitate recepimus; qui aliquorum ex eis vix nomina sciremus nisi ea sacræ infallibilesq; literæ conservassent. Quantus tamen honos & meritò ab universa per totum mundum latè diffusa Ecclesia duodenario illo suorum Principum Collegio habetur. Signati sunt in libris æternitatis omnes passus, labores, sudores, crines imò omnes, quamquàm nos miseros homunciones, quorum tenuissima notitia tantis est ignorantiæ vallis circumsepta, lateant. Non alia tamen quàm heroïca maximèque laudabilia fuisse, quæcumque ab eis gesta sunt, sentire permittimur. Ex magnitudine sanè operis iubeundi æstimanda est qualitas legatorum. Mittebantur nostri ad terras toto orbe segregatas, gentes barbaras & infideles, ut eis Euangelium numquàm auditum annunciarent; dæmonis, quantùm posset proculdubio restitori, imperium dissiparent; idola, eorum scilicet Deos, confringerent, cremarentque; eorum loco unum Trinumque Deum Christianorum, nisi credas, inintelligibilem; Christum crucifixum, qui Gentibus solet videri stultitia, prædicarent: atque hæc agerent in fame, siti, æstu, frigore, nuditate, rerum omnium penuria, nulloque humano subsidio sustentati. Quæ non pectora, corpora, mens ad perfringendas tot difficultatum moles requirantur? quæ non præsidia virtutum? Magno ergò præconio vel solo hoc nomine celebrandi. Nonnulla tamen explicatiùs jungamus.

(a) lib. 4. cap. 1. & 2

2. P. Didacum Palomino Insulæ Canariæ in Hispaniam miserunt: hæc in Peruviam. Virtutes ejus fuerunt prudentia, affabilitas, abstinentiæ studium, amor paupertatis, orationum fervor, & in castigando corpore asperitas; maxima communium, nulla suarum rerum cura. Excelluit, quod nullis umquàm laboribus cesserit aut detrectaverit ullius generis jussum, quin ita obtemperaret ut vix à voluntate Superiorum subditi obedientia executioque distingueretur: Difficilè esset quod juberetur aut leve; abjectum an honorificum pro eodem habebat. Magna profectò virtus per quam periculosissimus maximèque diuturnus hostis superatur, innatus scilicet excellentiæ appetitus, à quo sæpè etiam religiones non se nisi cum morte expediunt, quem ille indifferenti hac ad quælibet promptitudine prostravetat. Procuratoris officium Limæ, Cuzcique multo tempore administravit non magis commendatione fidelitatis quàm in Convotos charitatis. Sanis ægrisque promptè & hilariter succurrebat. Cultus divini verò, altarium ornamentorumque splendori impendebat studiosissimè, quidquid corradere aut colligere poterat. Sibi parcus, in Confratres liberalis, in hoc profusus. Obiit mortem vel ab optimis invidendam, quam non tantùm non fugere sed gaudio effluens amplexari videbatur. Corpus in antiquo monasterio depositum fuit, in quo reperta fuisse corpora incorrupta suprà memoravimus.

3. P. Ioannes de la Magdalena etiamsi non fuerit ex duodenario Apostolorum, quos primò in Peruviam misit Hispania, numero, illi tamen ex Mexico paucos post menses (b) accessit. Ex utroque laudandus, tùm quod à Provincia observantissimâ, tùm quod cum Ioanne Estacio ac Prorege Antonio de Mendoca missus. Quæ magnum aliquid concipere de illo nos volunt. Specialiùs verò tribus eum virtutibus fuisse illustrem invenimus; eleëmosynâ, castitate, ac cõvertendi animas zelo. Pro eleëmosyna

(b) lib. 4. cap. 9.

ſyna pauperibus erogabat nō modò quidquid poterat acquirere, ſed ipſum, quo alendus erat, cibum; magnâ charitatis induſtriâ, ſuo jejunio alterius neceſſitati & ſuſtentationi ſuccurrentis. Ad perfringendam hanc difficultatem illo ſtimulo utebatur, conſiderando ſcilicet in quolibet paupere maximèque Indo Chriſtum, non uti pauper in hoc mundo vixit, ſed prout ad dexteram ſedet Patris glorioſus omnipotenſque.

4. Caſtitatem non modò interno coluit intimoque adfectu, ſed externis actionibus profeſſus eſt curioſiſſimè, ut pauperi mulieri ſuis ipſe manibus ſtipem non erogaret, etiam ibi laqueum verſuti adverſarii noſtri timens. Magna cautela, ſed in re, in qua nulla poteſt eſſe nimia; neque, ſi S. Bonaventuræ (a) credimus, ſine exemplo. Putat ſanctus ille, dùm quinque panibus Chriſtus quinq; famelicorum millia ſatiavit, ſuas mulieribus portiones non per manus Apoſtolorum, ſed Virginis Matris fuiſſe diſtributas. Conſtantiùs etiam omnia à mulieribus munuſcula repudiavit, nullo devotionis aut gratitudinis admiſſo prætextu. Adfricant enim fœmineæ manus rebus, quas tractaverint, aconita, quamquàm incertum cujus generis, periculoſſima, quæ & remoræ viribus, & frigore torpedinis, & poculis Circes homines in beſtias transformare edoctis, ſint magis nociva Religioſis. Cur enim & pallium contra ſe in teſtimonium ſerviturum Ioſeph in manibus Dominæ reliquit? *Contagium*, inquit Ambroſius (b) *judicavit ſi diutiùs moraretur, ne per manus adultera libidinis incentiva tranſirent; itaque veſtem exuit, crimen excuſſit.* Neque ulla eſt tanta fœminæ ſanctitas aut pudicitia, quæ malignas has qualitates adimat vel emendet. Suſanna innocentiſſima caſtiſſimaque in algentibus frigore ſenectutis viſceribus incendium excitavit. (c) Ioannis ergò noſtri ſollicitudine juvenes ſeneſque inſtrui ſe patiantur, eſſe qui volunt procul periculo.

(a) In medit. cap. 34.

(b) cap. 5. de Ioſeph Patriarcha.

(c) Dani. 13.

5. Zelus convertendi animas adegit eum ut in fame & ſiti ac per alia præconum fidei incommoda, nudis pedibus, cum P. Franciſco Cano Dominicani Ordinis ſtrenuo Apoſtolo, diſcurreret per Provinciam *Conchucorum*, (d) junctis cum eodem viribus civitatem *Guanucenſem* (e) vicinoſque illi Indos *Tiellos* dictos ad fidem Catholicam perduceæ laborarent, omnia, quotquot reperire poterant, idola, adoratoriaque deſtruentes & concremantes, dæmonibus ipſis in idolis ac præcipuis eorum defenſoribus veneficis facti terribiles, novi quidam in Peruvia Ioſiæ: Regis proinde Ioſiæ laudibus (f) commendandi. Locum & annum ſeu mortis ſeu ætatis non inveni, ipſe autem requiei locum ſine ullo annorum termino invenit in cælis.

(d) de los Conchucos.

(e) Ciudad de Guanuco.

(f) 4. Reg. 23. Eccl. 49.

6. P. Balthaſarem Melgarejo dedit nobis Hiſpalis, quæ non modò Andaluſiæ ſed totius Bœticæ civitates nobilitate opibuſque longè antecedit. Duæ hæ qualitates in Melgarejo fuêre excellentes. Nobilitas quidem longo deducta tempore excedit memorabilem illum ad Toloſam conflictum, (g) in quo Alphonſus Bonus Caſtellæ Rex, Petro Aragoniæ & Sanctio Navarræ Regibus, imò ipſo cælo, auxilium ferentibus ducenta Maurorum millia internecione delevit, converſo in fugam Miramamolino, cùm ex Chriſtianis non ampliùs quinque ſupra viginti deſiderarentur. Huic conflictui interfuit nobilis quidam Melgarejo, qui poſteritati nomen tranſmiſit nobilitatemque, quæ in tanti triumphi memoriam, Calatravæ, quæ tunc appatuerat in cælo, crucem pro armis gentilitiis in campo rubro ſumpſit. Neque exindè uſque ad hæc tempora defuerunt ex illa familia unquam qui generis ſui ſplendorem ſeu armis ſeu literis non tutarentur aut extenderent. Balthaſaris pater ex Vigintiqua-

(g) batalla de Navas de Toloſa.

tuor-viris fuit, qui Hispali dignitate, auctoritate, & opulentiâ præpollent.

7. Patri Balthasar, qui in spem amplæ hæreditatis educabatur, in delitiis fuit, erat enim acri ingenio, jucundéque conversabili, sed quòd lusibus mirum in modum delectaretur à studiis literarum humaniorum alienus. Educatio genio ejus conveniens erat, blanda, conniveus, licentiosa, uno verbo, periculis plena in ingenio præsertim molli, quale ipsi erat. Ipsa prætereà Hispalis uti abundans populoque ex omnibus mundi partibus collecto frequens, in occasionum, quibus puerorum animi ab honestis studiis avocentur, est feracissima: aderat maximum vitiorum incitamentum impunitas, procedens à parentum partim lenitate, partim authoritate, illâ fiebat ut delinquentem ipsi non debitè corrigerent, hâc ne alii corrigere auderent, veneratione aut timore parentum deterriti. Inter tot ergo peccandi illecebras quid esse sibi poterat Balthasar nisi dux in præceps? Tamen, quod mireris, non fuit observatus perditis fuisse moribus. Verùm amabat cum æqualibus jocos & otium, in vestibus luxuriem, in cibis luxum, ut ipsa etiam illarum rerum superfluitas in fastidium verteretur; quod fuit primum ad meliorem vitam incitamentum. *Quid enim*, ajebat apud se, *beatitatis esse potest in ista vita, in qua ipsæ propter quas appetitur, delectationes molestæ sunt tædiosaq.?* Magnum prorsus Dei miserentis argumentum; dum lascivienti in delitiis animæ earum detegit fallaciam & inanitatem.

8. Et addebat, misericordiæ continuatione, flagella Deus: nam acutis febribus jussit eum decumbere. Per quas Balthasar miseræ conditionis humanæ & suæ mortalitatis admonitus, præcedentis vitæ vanitatem aversatus; ejus professus emendationem. Convalescens pium propositum similibus continuò cogitationibus acuebat; donec tandem, perfectâ sanitate obtentâ, Religioni Augustinianæ initiaretur, mirante Hispali & attonitis collactaneis; placito quidem ejus congratulantibus, sed ire post ejus exemplum adhuc detrectantibus; quorum oculos juventus juventutisque studia fascinabant, aut oberat deterius insolitum ne melius insolitum sequerentur.

9. In Religione, ut solet esse fervidus ad quævis nobilium sanguis animusque, magnis passibus progressus est, & aggressus principalem juventutis, tam delicatè præsertim enutritæ, hostem, carnem videlicet, asperis jejuniis & disciplinis, ac longis vigiliis domare primùm, deinde subjugatus; faciebatque illud jam non tantùm studio mortificationis, sed & vindictæ in eam, à qua cognoscebat tàm proditoriè se fuisse seductum. Dùm tàm rudirer in corpus sævit, contrariis prorsus modis animum exercere contendit: quem in humilibus servitiis semper alacrem, in mortificationibus pacatum, in admonitionibus mansuetum, in conversatione servavit affabilem. In Philosophia ac Theologia illos fructus fecit, ut aut cæteros omnes antecederet, aut cùm primis certaret.

10. Sub id temporis fama volat duodecim ex nostris, jussu Imperatoris, conscribi in Peruviam novum tunc prorsus mundum & non nisi nomine notum transmittendos. Spargebatur, ex compositione, an famæ semper erescentis vitio, incertum, millia ibi Indorum ad prædicationem Catholicæ fidei suspirare, sedere ad vias & compita, ut transeunte Christianorum aliquo baptismi ablutione bearentur, quantumcumque à magnatibus contradiceretur. Hîc iterùm Balthasari sanguis ebullire igneque charitatis totus incendi, non magis zelo juvandi infideles, quò plurimùm flagrabat, quàm desiderio martyrii, quod omnibus fidei præconibus imminere à barbara & incognita gēte,

tunc credebatur; evicitque juvenis Diaconus consecrabatur) ardor, ut, nequidquam reluctantibus consanguineis, præ tot præcellentibus viris patatisque eligeretur. Vix Limam appulerat cùm mox è suggestu verba facere Diaconus cœpit ad Hispanos, an vigorem an eloquentiam, an magis ætatem mirarentur, hærentes. Ipse verò, de se populi æstimationis licèt non ignarus, nihil ad ostentationem faciebat, uni audientium utilitati intentus. Sacerdotis deinde dignitate auctus, auxit & ipsæ pœnitentiæ studium, tantoque arctioribus seipsum cancellis conclusit, quantò poterat esse ab aliorum disciplina liberior. Crevit cum pulpiti laboribus legum suarum observatio, &, quod rarum est, cum publicis populi acclamationibus clariùs se modestia explicavit.

11. Voluit Deus non deesse manifestandæ patientiæ occasionem. In naribus ejus pustula visa fuit & credita, ideoque contempta. Sed mox animadversum exesam usque ad os carnem: tunc cancer dictus, malũ edacitate suâ infame & horridũ, maximè si conspicuas, atque tàm nobiles partes invadat. Quod malũ hilari vultu animoq; cùm ferret ipse, adficiebat dolore omnes quotquot eum noverant: Religiosos, quòd longas spes suas, quas secundum ætatis vigorem mensi erant, de proventuris ex ejus prædicatione, fructibus frustratas viderent; sæculares, quòd eâ essent carituri. Rem prodigiosam! Accidit subito casu impotentem fieri, qui concioni habendæ fuerat deputatus. Iubetur Balthasar, ut erat mutilus nares, obedientiæ præcepto cathedram conscendere & verba facere ad populum, qui cum ex capite, cui non minimum formandæ voci opportunum deerat organum, ut sunt nares, audiret profluere verba concinna, limpida, clara, suaviterque allicientia, miraculi habuit loco. Ex quo Balthasar novis animis Ecclesiastæ munus resumpsit, expertusque est continuum illud in suggestu, & in solo, privilegium.

12. Officio Definitoris in minori quidem, quàm ad istud solet requiri, ætate, sed magnâ prudentiâ ab anno M. D. LIV. usque ad ejusdem sæculi LVII. gessit. Eo vix exacto Hispalim mandato Superiorum est revocatus, procurantibus id importunè potentibus consanguineis. Sed quorum breve gaudium fuit; morte ejus, pauló pòst quàm Hispalim advenerat, secutâ, monstranteque Deo, insalubriter amicorum potentiâ & amore retrahi eos, quos ipse sibi adsciverit, Superiorum in Religionibus nutibus, vice suâ, gubernandos.

12. De RR. PP. Ioanne Chamorro & Francisco de Frias, hoc solum scitur quod nihil sciatur; conjiciaturque paucis, ex quo Limam venerant, mensibus obiisse, quòd in secundo Provinciali Capitulo anno M. D. LIV. in quo singulis suæ sunt habitationes assignatæ, nulla horum mentio habeatur. Tota ergò, quam ego quidem scribere possim, eorum laus sit, adsumptos fuisse inter duodecim qui primi in Peruviam fuerunt destinati. Reliquorum ex eodem duodenario Vitas, cum in sequentibus fuerit commodum, describemus.

HIS-

HISTORIÆ PERVANÆ LIBER VI.

De Civitate Limensi & Augustinianorum in eâ monasterio.

CAPVT I.

De origine, appellatione, situ, magnificentia Civitatis, & genio Civium.

1. 
ON. incursus modò, sed & injurius essem lectori, si dum Peruviam & incunabula in ea Augustinianorum adolescentiamque describo, aut silentio, aut cursim præterirem principem illius (a) civitatem, & horum (b) seminarium: utrumque seu splendorem spectes seu mores, aut pietatem illustre. De origine illius nomineque varii quidem scripserunt, sed conjecturis palpitantes, aut etiam præcipitatio ne sententiæ ridendi. Quos deinde alii vel obscuritate rerum longissimè dissitarum vel tædio laboris, qui si in aliis rebus est magnus, in historia contexenda debet esse improbus, nihilo feliciùs imitati sunt, malentes celeri potiùs crudelitate haberi scriptores, quàm sedulâ inquisitione veraces. Quorum posterius me assecuturum confido, eum secutus, quem certitudo ditexit originalium monumentorum. (c)

(a) Peruviæ (b) Augustinianorum. (c) P. Antonium de la Calancha.

2. Agri erant laborabiles paucis aliquot rusticorum mapaliis infessi, ubi nunc est Lima, Civitas Regum seu Regium, totius Peruviæ caput, pulcerrimaque, & certans cum præcipuis totius mundi, si cuncta considerentur, civitatibus. Vno hinc versus Austrum miliario aberat Pachacâmac, celebre olim seu Principem, seu ædificia, seu idolum ac ejus *Huacam* consideres, oppidum. Princeps, cui nomen *Cuysmancu*, non dictum tantùm oppidum sed & *Rimac*, (nunc Lima dicitur) *Chancay*, & *Guavram*, (d) sub unius Provinciæ titulo ab oppidi principalis *Rachacâmac* appellatione desumpto, obtinebat, etiam vicinis suis terribilis: Regis tamen nomine abstinebat, contentus *Atun Apu* seu Magnus Dominus dici. Hunc *Topa Tupangui* undecimus Monarchiæ Perûanæ Rex subjugaverat, non tàm armis, (quamquàm & hæc jam in promptu essent) quàm humanitate, maximeque astutiâ religiosâ. Principem siquidem aulicorumque præcipuos non honoribus modò maximis præveniebat, sed mulcebat liberalitate ditium donorum; quibus cùm barbari animi nondùm omninò caperentur, Religione, sed modestè propositâ, percelluit; adeò omni nationi innatum est Religioni cuncta posthabere. Principem ergò *Cuysmancu* considerate *Topa Tupangui* jussit, quàm fœdè muruo sauguine cruentarentur, quibus unus esset Deus, idemque deorum cultus.

(d) Guavra.

Potuitque hæc oratio apud barbaros, quod non posset, maximo certè opprobrio, apud Christianos, quos ne irrumpens quidem omnibusque imminens, communis omnium hostis Turca à mutuis potest bellis cædibusque revocare. Credidérunt ergò illi & cesserunt Regi religio sè suadenti, idque, ut videbatur, veraciter.

3. *Pachacâmac* enim communis illarum partium Deus est: hinc oppidum primò, quòd in eò splendidissimam haberet *Huacam* seu templum, deinde & Provincia nomen suum mutuata sunt. Pachacâmac porrò barbarorum linguâ significat, *qui creavit mundum, & dat vitam universis.* Compositum liquidem vocabulum est ex nomine *Pacha* quod est idem ac *mundus universus*, & participio *camac*, quod est, *animans.* Vt *Pachacâmac* de verbo ad verbum translatum in linguam latinam nihil aliud fit quam *animans mundum universum*. Hunc præcipuo ibi inter Deos suos honore venerabantur, præponebantque etiam Soli, quamquàm, quòd nulla unquam oracula aut responsa daret, incognitum hominibus invisibilemque reputarent, ut videatur rebus, quas videmus, sentimusque, majorem esse Deum, ipsa in infidelibus natura prædicare. *Huaca* si in linguam latinam convertamus, habebimus idem quod *planctus fletusq́*: ut istâ templorum suorum appellatione Christianis iterùm abominandos in Ecclesiis risus, gestus, fabulasque, ut interim nihil addam deterius, exprobrent. Illius autem *Huaca* quæ fuerit olim amplitudo & magnificentia nunc non ex aliâ re magis quàm perstantibus destructæ muris cognoscitur. Idem illud solumque magnitudinis seu oppidi seu ædificiorum superest documentum.

4. Limæ verò exordia ista fuere. Anno M. D. XXXIII. fundata erat ab Hispanis in *Xauxa* (locus hic XLIV. leucis quàm Lima, orientalior est, nonnihil ad Austrum ascendens) Civitas, caput Peruani regni futura, extructis in ea publicis locis, Vniversitateque. Misso hinc in Pachacâmam versus litus Nicolao de Ribera Seniore Franciscus Pizarrus mandavit omnis illius regionis ut Regis nomine caperet possessionem, daretque novi alicujus ad mare oppidi initia. Ribera *Sangallam* habitari jussit, & ædificiis instrui. Verùm cum paulò post multis incommodis nova Civitas observaretur subjecta, rogatu Regiorum Ministrorum (*a*) decrevit Pizarrus ut loco mutaretur. Profectus *Sangallanam*, etiam ibi, quæ displicebant, invenit: quare relictis ibi triginta viris, in Provinciam & oppidum Pachacâmac progressus consideratâ oppidi locorumque vicinorum qualitate, multa quidem condendæ civitati opportuna videbantur: non deerant tamen quædam incommoda. Re variè examinatâ, responsum à nonnullis in vicina valle Limensi concurrere quidquid novæ in externa patriâ urbi est necessarium. Locus jucundus, fertilis ager, aër salubris, commodus vicinusque portus, per quem, quæcumque novum imperium fortuna insequeretur, non difficulter advehi posset commeatus novusque, seu ex remotâ Hispaniâ, seu vicinioribus Americæ regnis coronæ Hispanicæ subjectis, miles: nulla terrarum nimia est distantia quæ mari conjungantur, quod liquido suo dorso ingentia onera urbiumque opes; & quidem cum vult, transmittit. Quapropter Pizarrus misit (*b*) illarum rerum intelligentes, qui dictâ vallem perlustrarent cognoscerentque. Quotum relatu cum locus præ cæteris aptissimus judicaretur, compositis literis (*c*) jussit designari locum civitati futuræ, ac templo quod Virgini Assumptæ voluit esse sacrum: illam appellavit Civitatem Regum; (*d*) hujus ipse primum lapidem posuit, (*e*) die Cathedræ, in qua Apostolorum Princeps primùm Romæ sedit, dedicato; festi cum re, quæ agebatur, non fortuito concursu. Nã sicut *Beatissimus Petrus Princeps Apostolici*

(*a*) 1534. 9. Novem.

(*b*) 1535. 8. Ianuarii.

(*c*) illas habeo apud me.

(*d*) *Ciudad de los Reyes*

(*e*) 1535. 18. Ianuarii

lici Ordinis ad arcem Romani destinabatur Imperii, ut lux veritatis, quæ in omnium gentium revelabatur salutem, efficaciùs se ab ipso capite per totum mundi corpus effunderet. (a). Ita eodem die initia iumeret Civitas Regum, quæ Peruviç rotius Caput destinabatur, ut ex eo fides, quæ in totius illius mundi præparabatur salutem, faciliùs in omnes incrementa derivaret.

(a) S. Leo serm. 1 de SS. Apostolis Petro & Paulo.

5. Civitatem Regum appellavit in honorem Caroli V. Imperatoris ejusque matris Ioannæ, qui tunc simul Castiliam gubernabant. A quibus, rogante Pizarro, insignia novæ civitati sunt attributa, *tres corona & stella Regum Magorum; duplex item aquila binaq. columnæ* cum epigraphe *Plus ultrà*, adjectis præterea duabus literis *I.* & *K.* quibus *Ioanna* mater & *Karolus* Imperator significaretur. Omnia autem junctim indicarent, quod sicut Reges Magi fidei, nascentisque Ecclesiæ primitiæ fuerunt; ita Ioanna Carolusque primordia darent Ecclesiæ Perüanæ, patrocinium illius defensionemque suscipientes. Ex quibus eorum constat error, qui putant causam appellationis, triumque coronarum & stellæ fuisse, quòd ipsâ trium Magorum festivitate exordium sumpsisset: hoc enim diem Ianuarii habuit decimum octavum, illa sextum. Ecclesiæ titulum mutavit Paulus Papa III. cum eam anno M. D. XL. Cathedralem fecit sub iovocatione S. Ioannis Evangelistæ, ignarus, ut credendum, tituli prioris à Pizarro accepti.

6. Limæ verò appellatio ex malo intellectu vitiosaque, ut facilè fit, ignotæ vocis pronunciatione processit: genuinè *Rimac* dicendum. Hoc idoli nomen erat in ista valle olim culti: est autem participium significans idem quod latinè *loquens, seu is qui loquitur*, ad differentiam præcipui quidem & vicini idoli *Pachacamac*, sed semper taciturni. Hoc verò idolum indies voces profundebat, dabatque instar Apollinis Delphici responsa, ut nullum in istis partibus æquè esset loquax. Idoli hujus, sicut & alterius Pachacamac, nomen terrç isti tributum, quòd etsi malè intellectum, malè in initio Hispani pronuntiârint, suç tamen pronunciationis constantiâ obtinuerunt, ut ocius fieret *Lima* quàm *Rimac*: indeque factum, ut Lima dicatur Civitas Regum non Rimac. Indoctè nonnulli idolum *Rimac* seu *loquens* vocari voluerunt propter præterlabentis & aquç ad lapides allisu murmurantis fluvioli viciniam.

7. Primi, tam amplç modò urbis, fundatores fuerunt dumtaxat duodecim, ut scias nulla tam exigua esse initia, quç non in immensum, si quidem benedixerit Deus, excrescant. Digna certè eorum nomina quæ apud omnem vivant posteritatem. Franciscus Pizarro Gubernator, Alphonsus Requelme Thesaurarius, Garcia de Salcedo Inspector, Nicolaus de Ribera Senior, Nicolaus de Ribera Iunior, ille Olivera propè Hispalim, hic Vitigudino juxtà Salamancam oriundus; Rodericius Maçuelas, Ioannes Tello, Ruycius (b) Dias, Alphonsus Martin, Christophorus Palomino, Christophorus de Peralta, Antonius Picado Secretarius. Haud multò pòst triginta ex *Sangallan*, aliquique ex *Xauxa* accesserunt, ita ut septuagenarius esset incolarum numerus.

(b) Ruy.

8. Limæ situs absque ullis omninò montibus prorsus planus est, in latitudine Australi duodecim gradnum & medii; ideoque bis in anno solem verticalem habet: maximus minimusque dies non ampliùs horâ unâ discrepat. Veris initium in Septembri est, ab hoc alia anni tempora distribue. Illius vesperæ noctesq; sunt moderatè frigidæ, placidæ, claræ, nubibusque versicoloribus pulcherrimæ. Summus æstatis calor in umbra non sentitur, ventis australibus aërem jucundè temperantibus: præcipuum autem hiemis frigus vix aquam infrigidat. Neque ulla putatur esse regio in mundo magis quolibet anni tempore temperata. Pluviæ rarç sunt, ac non nisi

in

in Autumno ac hyeme, exque minotissimæ ac ferè roris in modum: nulla tonitrua aut fulgura: nunquam pestilentia aut fames. (a)

(a) autore Pedro Cieça de Leon.

9. Mediam dividit fluvius mediocris, placidus, puta claraque fluens undâ, nisi magnis montium pluviis inflectur, rubrumque à *vetriales* per quos transit, mutuet colorem. Currit ab Oriente in Occidentem, duabusque à portu Callaoano versus Septemtrionem leucis in mare se exonerat. Plurimæ ex hoc fossæ aquam in circumjacentem latè vallem viridi graminę amictam derivant formosissimo aspectu. Fontes præterea à latere civitatis Orientali scaturiunt limpidissimi saluberrimique, ac prorsùs illimes, quos variis canalibus deduxerunt, ad fora, plateas, monasteria, hortos, non solum magnâ incolarum commoditate sed & utilitate recreationeque, quam augent mirum in modum plantanta ex arte olivera, aliæque arbores, & provenientia sponte arundineta mellis probatissimique saccari plena; vestiti floribus colliculi & sylvæ; ager lætus, tritici aliorumque frumentorum ac leguminum feracissimus. Fluvii, lacunæ, mareque abundantissimos diversi generis & optimi saporis pisces suppeditant; terra vaccas, oves, capras, cuniculos, porcos, gallinas, columbas, anseres, pavones. Fructus omnis generis toto anni tempore, maximè quadragesimæ magnâ copiâ proveniunt: vinum varium est optimumque; olei ac salis plurimum. Facitque hæc omnium istarum rerum abundantia, ut non ea modò, quæ necessitati serviunt, sed etiam quæ deliciis, parvo veniant. Fundus tamen civitatis eo mirabilis habetur, quòd, cùm fodere incipientibus mox occurrant silices arenæque siccissimæ, nihil tamen in ædibus servari possit quod non mox humectetur, quod ventis maritimis attributum.

10. Plateæ Civitatis tectæ sunt, longæ, latæ, ac symmetriâ suâ, domorumque structurâ pulchræ. In quibusdam videas procurrentes è fenestris porticus tàm frequentes, ut pendentium in aëre platearum speciem referre videantur. Domus splendidæ sunt & altæ, pleræque hortos habent contiguos floribus atque arboribus concinnè consitos; canales insuper seu ad irrigationem, seu ad immunditiarum ablutionem. Cives in vestibus non nitorem sed luxum ostentant; pleriq; etiam mechanici bissinis induuntur, vehuntur equis, quos currentes famuli sequuntur, nullâ à nobilibus differentiâ, sed ostentatione politicis legibus castigandâ. In cultûs divini magnificentia, & in pauperes commiseratione plurimùm sunt commendabiles. Ceræ albæ in Conventibus, Parochiis, processionibus plus uno mense sola Lima impendit, quàm præcipuæ Europæ civitates mensibus octo, cùm singulæ ibi libræ non minoris quàm tribus pesis æstimentur. Eleëmosinarum largitione omnes totius orbis Christiani civitates superare creditur, quandoquidem sola Religiosorum monasteria in pauperes verecundos ultra triginta expendant pesorum millia præter ea quæ ad portas monasteriorum erogantur. Hanc in pauperes liberalitatem sex præterea demonstrant hospitalia, præcipuèque S. Andreæ & S. Annæ; illud à Prorege Andrea Hurtado, hoc ab Hieronymo Loaysa ex Ordine S. Dominici Archiepiscopo Limensi, Pastore planè Euangelico, erectum. In quibus non magis considerenda est summa expensarum, quæ octuagies mille pesa excedit, quam mirum ipse, munditiies, placendi infirmis studium, &, quâ succurritur, sollicitudo: &, ne quid desiderari possit, nobiles ipsi ac potentiores cives serviunt.

11. Ad Limæ splendorem conducunt vel maximè habitans ibi Prorex numerosissimâ semper nobiliũ catervâ comitatus, septus præterea ad defensionem duabus lanciariorũ cohortibus, & unâ sclopetariorum; Audientia Regia; Archiepiscopatus;

tus; Tribunal Inquiſitionis; Tribunal Sanctæ Cruciatæ; (a) Camera computuum; Camera bonorum à defunctis relictorum; Capitulum; Vniverſitas vel cùm primis totius Chriſtianitatis certans; Quatuordecim Religioſorum monaſteria. Tantus autem monacharum eſt numerus, ut in ſola Lima major eſſe dicatur quàm in triginta civitatibus Europæ. (b)

(a) de la ſanta Cruzada.

(b) Antonius de la Calancha lib.1.ca.39.

12. Genius incolarum, blandus, magnificus, hilaris; inconſtans; imperii, honorum, magnarumque, & quæ vires atque captum excedant, rerum appetens, incurius propriarum, beneficus, ingenioſus, fugiens laborum triſtitiæque, religioſus. Nulla olim Peruviæ gens ſtudioſiùs in mortuorum ſepulturis occupabatur; humabat cum defunctl cadavere uxorem, famulos, arma, veſtes, cibum, potum, quòd crederent in alias eos regiones ab idolis transferri reſuſcitandos, eò credulitatis adducti dæmonum verſutiâ, qui aliquando ſe in defunctorum formâ & veſte, cum ſolito notoque famulitio viventibus exhibebant. Nunc egregios veræ Religionis eſſe cultores comprobant, quæ ſuprà dixi, cultus divini ſtudium, eleëmoſynarum abundantia, & numerus utriuſque ſexus Conventuum.

CAPVT II.

Deſcriptio monaſterii noſtri Limenſis.

1. 

NON veteris hîc monaſterii, quod primo Noſtri anno M.D.LI. inhabitare cœperunt, (c) ſed novi & in quod aliquot pòſt annis (d) certas ob cauſas commigrarunt, memoriam damus, ordine quidem temporis immutato, ratione tamen non iniquâ, ut videlicet illud primò lectorum oculis occurrat, quod eſt in principe civitate, ac quod matrix fuit omnium cæterorum.

(c) lib. 4 cap 5. nu. 5. & cap. 8. num. 1.

(d) vide lib. 12. cap. 7.

2. Structuram templi noſtri monaſteriique, eorundem magnificentiam, architecturæ ſplendorem, fundi & ædificiorum pretium particulatim exequitur P. Antonius de la Calancha. (e) Templi ait idem Autor eum eſſe tamque pretioſum ornatum, ut non ſint duo in Europa templa, à quibus in eo ſuperetur, pauca habeat in Hiſpania ſibi æqualia. Verùm cùm hæc ad ſpecialem illius loci ſplendorem pertineant, ſegi iſta in accurato oculatoque deſcriptore malo.

(e) In ſuis Chronicis lib.1. ca 39.

3. In cultus divini dignitate nulli cedit: ordinarius Religioſorum ibi habitantium numerus centum quinquaginta complectitur, Sacræ Theologiæ Doctorum ſedecim. Tres ut plurimùm habet Cathedraticos. Addam ex eodem Autore duo, quæ ad non-exiguam cedunt Auguſtinianorum laudem. Ac primum quidem, juſtam Eccleſiæ magnitudinem vicinæ civis ædes impediebant. Hanc ut ædificatoris templum Religioſis venderet, nec ſuaſionibus præcipuorum aut Magiſtratus minis potuit ſuperari. Rei momentum ad orationem Auguſtinianos compellit, &, dictu mirum, imago S. P. Auguſtini ab altari per aërem nullâ viſibili virtute clarâ luce ac multis ſpectantibus tranſiens ſuprà portam illarum ædium ſe collocat, reique novitate conſenſum ab obſtinato mox expreſſit, æſtimationis inſuper Auguſtinianorũ incremento. Alterum perpetuum eſt charitatis Auguſtinianæ teſtimonium, quæ per ſingulos annos in Conventu Limenſi in occultos verecundoſque pauperes ſuprà quinquies mille peſa expendit, ob id in vulgares obvioſque mendicos nihilo contractior.

4. Præcipuam tamen illius Conventus felicitatem in Reliquiis, miraculoſiſq; ac imaginibus repono.

(a) Reliquiæ. Illas (a) copiosè Gregorius Decimus tertius & Paulus Quintus Summi Pontifices tribuerunt. Hæ (b) omninò sunt quatuor, videlicet, *Matris Gratiæ*, Crucifixi miraculosi, S. Nicolai Tolentinatis, & S. Ioannis Saguntini, de quibus nonnulla ordine libanda.

(b) Imagines miraculosæ.

CAPVT III.

De statua Beatissimæ Matris Gratiæ.

1. 

HÆC prima fuit in Peruvia imago miraculis celebris. Illius ista fuit occasio quã alibi delibavimus. (c) Nobilis virgo Ioanna de Cépeda ægra voto se *Matri Gratiæ* obstrinxerat. Quo se, oobiles divitesque nuptias consecuta, liberalissimè exolvit, sumpto illustris pietatis exordio, dùm solus adhuc ex Ordine Augustinianorum in Peruviam penetrârat, & Limæ vivebat R. P. Augustinus de Sanctissima Trinitate. Nam & statuam sculpi, & sacellum excitari, illamque in hoc sub titulo *Matris Gratiæ* collocari jussit. Advenientibus posteà aliis Augustinianis cum primum Limæ monasterium esset extructum, eadem Ioanna cum viro Ferdinando Gonzalvo de la Torre ad dextrum chori (quod Euangelii vocant) latus adjunxit novum sacellum priori multò splendidius, translatâ in illud dictâ *Matris Gratiæ* statuâ. Hanc, ut consuetudo tunc ferebat, vestibus à matronis nobilibus gestari solitis induebat, solicita supra modum ne quid elegantiæ deesset aut sumptuositati. Solet scilicet cæcum flagcidumque ad divina humanum genus jacere, nihilque tantis rebus dignum concipere, nisi cognitis atque à se in pretio habitis excitetur eleveturque. In hunc finem nobiles illi conjuges tori incumbebant, pannis aureis, argenteis, acupictis statuam vestientes & gemmis lapidibusque pretiosis exornantes. Hæc populum ad inspectionem primùm evocavit, deinde injecit devotionem, ut ad illam in necessitatibus catervatim accurrerit, invitati notarum exemplo vicini, horum verò longè dissiti; & quilibet aliquod in se beneficium à Dei-para collatum memorabat, plurimi etiam pretiosorum oblatione donariorum profitebantur. Et quomodo posset se invocantibus deesse quam Angelus divini consilii Legatus plenam gratiâ salutavit? ad cujus accessum olim infans in utero matris Ioannes exultavit, & repleta Spiritu Sancto prophetavit mater? (d) Concilium certè Limense, quod fuit in Peruvia secundum, (e) decreto suo quinquagesimo tertio, quo ille imagines vestiendi modus abrogabatur, noluit comprehendi hanc *Matris Gratiæ* statuam, quam vestitam videbat tot miraculis frequentatam. Tria dumtaxat hîc adscribam certis testimoniis roborata, quæ sufficient ut Europa cognoscat statuam *Matris Gratiæ* in Conventu Augustiniano Limensi eo, quo dictum est, modo & tempore collocatam, miraculorum esse patratricem, multitudine eorum Peruanis magis ad excitandam continuandamque devotionem, quàm Europæis ad cognitionem nudam serviturâ.

(c) Lib. 4. cap. 2. & 5

(d) Lucæ 1.

(e) anno 1565.

2. Primum est. Maria de Valverde nobilis fœmina, soror præclarissimi ex Ordine Dominicanorum viri P. Vincentii de Valverde, qui adfuit cum à Francisco Pizarro in Cajamarca caperetur Atuahalpa Peruviæ Tyrannus, quique fuit primus illarum gentium Episcopus, ipsius jurisdictione

ditione ultra mille & quingentas leucas, se extendente: hæc, inquam, Maria cum nupsisset Illustri viro Petro Ordoñez ex illo suscepit filium patri cognominem; magnâ utriusque parentis hoc successore spes suas in longa tempora protendentis lætitiâ. Sed, ut felicissima quæque sunt inconstantissima, amisso rationis usu factus est filius non stultus modò sed & furiosus, ut nulli eum nodi aut catenæ satis constringerent. Hoc filii infortunium ingenti patentes dolore cumulavit, & paulò pòst patrem traxit in mortem, quam avertere non poterat suis virtutibus, fortunatoque cum Nobilissimo viro juxtà ac opulentissimo Didaco de Silva contracto matrimonio superstes optimæque mentis filia Teresa, misero mortalium fato ad adfligendos quàm consolandos semper potentiori. Maria secundis nuptiis Doctori Ioanni Blazquez Francisci Pizarri Vicario, (a) tertiis Generosissimo Rodricio Niño Toletano juncta est, remediis omnibus, quæ filium curare possent, cum maritis intenta; sed quibus cresceret potius quàm minueretur malum, ut extra timorem nulla, quibus alligabatur, vincula domesticos constituerent. Extrema calamitas supremi medici memoriam ingessit: ad eum induci per *Matris Gratiæ*, cujus jam miracula celebrari incipiebant, manum fatagens. Hanc ergò ditibus oblationibus, majoribus promissis, novendiali cultu delinire instituit. Nudis pedibus duabus famulis associata ad auroræ exortum adit veterem S. Augustini Conventum satis à suis ædibus remotum, & in eo *Matris Gratiæ* sacellum, atque ut magis eam ad compassionem commovear, rotum ei dolorem enarrat. Vix quartâ id vice iteraverat, cùm à precibus, dic ne nudides à quoquam videretur, nondum nato, redeunti occurrunt in platea famuli famulæque gaudio profusi, nuntiantesque, filium non ad tranquillitatem modò, verùm ad mentem rediisse, ac loqui prudenter. *Mater*, lætitiâ passum accelerante, provolat in ædes, intuetur solutis vinculis sedentem in lecto, alloquitur; invenitque omnia indicia hominis corpore & mente sani. Quare, postpositâ suæ personæ dignitate, ad Ecclesiam actuta gratias recurrit, ac per totam civitatem *Matris Gratiæ* gratiam filio impensam evulgat, nec ingrata nec infida in promissis, quæ munificentissimè explevit. Pagos prætereà sibi subjectos per Augustinianos in fide Catholica instrui voluit, obtentis pro *Ocrosensi* (b) & *Lanpasensi* (c) PP. Gonsalvo de Sancto Iacobo & Ioanne Ramirez, cujus vitam suprà descripsimus; (d) pro *Barrancanensi* (e) verò P. Francisco de Biedma, magnis utrobique stipendiis attributis. Quæ deinde in *Barrancanensi* ditissimè auxit Ferdinandus Niñez Mariæ ex tertio marito filius; insignis Ordinis benefactor, assignatis Conventui Limensi amplissimis fundis, & Collegio Sancti Idelphonsi reditibus. In hoc Ferdinando narrant aliqui dictum miraculum contigisse, ideò seducti, quòd & hic miraculosâ sanatione convaluerit non ex stoliditate sed alio malo, atque per intercessionem Sancti Nicolai Tolentinatis, ut infra dicemus.

(a) Teniente.

(b) & (c) los pueblos de Ocros y de Lampas.

(d) lib. 5. cap. 8.

(e) de la Barranca.

3. Secundum est. Nocte cujusdam festivitatis Beatissimæ Dei paræ sacræ, dùm Religiosi dicendis matutinis occupantur, incenditur quodam infortunio dictæ Virginis altare, crevitque flamma tam celeriter, ut vix in inferiori tabulâ nata, etiam vestes, quibus *Mater Gratiæ* ornabatur, tabulam, summumque altare corriperet. Accurrentes ad subsidium Religiosi non aliunde præsentiùs quàm ab ipsâ, cujus jam statua ardebat, *Matre Gratiæ* efflagitant, & obtinent, flammâ mox extinctâ, &, quod admirabilius, nullo seu in vestibus seu tabula seu altari permanente incendii vestigio. Cælesti

succursu læti hymnum Augustinianū in publicâ magnâque lætitiâ usurpari solitum incinuerunt *Te Deū laudamus*. Atq; hęc quidem statuâ in veteri ad-huc Conventu persistente miracula evenerunt. Quod sequitur, post translationem ad modernum Conventum accidit.

4. Anno post Christum natum millesimo, sexcentesimo decimo nono solvit è portu Limensi seu Callaoano (*a*) Arequipam navis Joannis Rodericii del Padron, Sancti Iacobi dicta. Eam commeatu instruxerant in mensem & medium, cùm ordinariè unus itineri mensis sufficeret. Navem conscenderant personę omninò viginti. Peractâ quarti mensis navigatione observatū quadringentis navē leucis à terra abesse, superesse autem in cōmeatu tria duntaxat vascula aquâ referta, & aliquantum leguminum: (*b*) malacia maris erat diuturna, inexpertus omninò navarchus. Famis periculique occasione arreptâ Didacus de Padilla Scriba navis magnoperè *Gratiæ Matri* devotus eam tanquam propitium sidus navigantibus occinere cœpit, si non surdis, certè sub initium plurimùm incuriis. Verùm crescentia incommoda, (nam & vitæ fames acti suo telo imminere incipiebat) auxêre pietatem. Didaco de Padilla exhortationibus præeunte fortibus extractis, more Hispanis usitato, à cælo inquisierūt, cujus maximè patrocinio extremam hanc calamitatem committerent; trinisque vicibus extracta fuit scedula *Matris Gratiæ* nomine inscripta. Hanc ergo omnes certatim invocant, & ipsâ deinde nocte inopinatus ventus tanto impetu vela inflavit, ut alio submersionis timore corriperentur, sed qui brevi eos statueret portui *Quilcæ* vicinos, ideoque famis marisque periculis jam defunctos, si, navarchum habuissent, qui superno uti beneficio & suâ simul felicitate potuisset, qui si alibi hîc certè gnarus esse stationum debebat. Nullæ enim domus portûs dant indicium, nulli mali conspiciuntur, quia neque sinus maris in portum quartâ horæ parte indè distantem excurrens apparet, altissimis omnia rupibus occultantibus. Abest insuper *Arequipa* à portu leucis omninò sedecim. Ibi nescius locorum navarchus & obstinatus ignorantiæ suæ defensor, alio rursùm flexu in altum navem educit, & in ea obluctantes contradicentesq; nequicquam itinerantes. Verùm quæ favere cœperat *Mater Gratiæ* post integræ noctis labores ad eundem locum navem rejicit. Factumque idem solido mense antequàm navarchi obstinatio omni mari implacabilior, frangeretur. Tandem navigantes ipsique insuper nautæ aggressi Navarchum seriò monent, ut, qui rationes hactenus periculaque spreverat, insoliti eventûs prodigio moveretur, neque pergeret miserentibus Divis obluctari. Victus tandem, rationibusne, incertum; an periculo proprio, projectâ in aquas scaphâ misit qui terram explorarent, & mox renunciarunt eum ipsum esse, quem petebant, portum, collætantibus omnibus mutuoque de cælica illa protectione congratulantibus. Tunc & aliud à nonnullis observatum, deinde ab omnibus junctim exploratum miraculum est, vixisse scilicet mensem integrum omnes, quotquot in navi erant, Pauculâ istâ aquâ exiguisque leguminibus, quæ vix duorum dierum sustentationi suffecissent, &, quod mirabilius, nullâ vel horum vel illius imminutione. Vix Limam redierant cùm Didacus de Padilla aliique facto de portentoso illo suæ salutis modo, publico instrumento, nostri Conventûs Religiosos de suę navigationis successu edocuerunt; allato etiam pocillo, quo suæ dietim portiones singulis mensurabantur, quod Provincialis Prefectus P. M. Gondisalvus Pineyro, ut ęternum esset pręstiti favoris monumentum, voluit in sacello *Matris Gratiæ* suspendi.

5. Subnecto apparitionem non minùs

(*a*) de Callao.

(*b*) media hanega de frijoles.

minùs prodigiosam. Quidam Conventûs nostri Limensis Religiosus, cujus, cùm adhuc superst, nec nomen ponam nec laudabo virtutes, etenim

——————— *nemo beatus*

Ante obitum dici, supremaq; funera debet.

Tales tamen sunt, quæ apud populum Limensem Sancti opinionem ipsi conciliaverint. Neque omitti debet sine quo initium aut successus apparitionis explicari non plenè potest. Trium horarum somno singulas noctes absolvebat: post quem in Ecclesiam progressus altaria visitans statas cuique preces persolvebat, ultimas longioresque in Sacello compleus *Matris Gratiæ*, cujus se cultui consecraverat. E vivis autem excedebat anno Christi M. DC. X. In eodem Conventu Religiosus illius ordinis, quos Laïcos appellamus. Hic ab ipso Religionis, in qua vixit annos totos quadraginta, ingressu, apud Religiosos sæcularesque vitæ suæ formâ fuerat consecutus, ut Sanctus diceretur & crederetur: idque non vanis indiciis, nam præter charitatem in Deum proximumque, in infirmitatibus præsertim, singularē, excellens erat austeræ vitæ pœnitentiarumq; Magister, nam & cilicia ejus ferreæ erant catenæ, & longissima crux, cui singulis se noctibus alligabat, lectus: quem propter vitæ sanctimoniam venerabatur & tenerrimè amabat alter noster, cujus primò mentionē fecimus. Ille multis à cælo favoribus acceptis audacior factus desiderare cœpit & petere instanter, an Laicus absque purgatorii ignibus in cælū pervenisset & quanta ejus esset gloria. Quas preces cū plurimis cōtinuasset mēsibus, intraturus noctu, ut consueverat, ex claustris in Ecclesiam, incomptâ voce inclamari audivit, *Frater Franciscus ad inferni pœnas damnatus est.* Quæ vox corpus ejus animumque percelluit adeò, ut parùm jam ipse à mortuo distaret. Ingerebantur subitò turbidæ & violentæ cogitationes, quæ miserum prorsus distrahebant. *Tantus pœnitens, tantus orator & contemplator, usquè adeò charitatis jejunii, silentii, obedientiæ, patientiaq; virtutibus excellens, pœnas non evasit æternas? Et quò tu niteris similibus studiis, infelix, tantoperè illi seu in Religionis tēpore seu virtutum præstantia impar, inferiorq;?* His itaque annum & medium cruciabatur lacrymis perpetuis madidus & raucus singultibus: illo uno sibi similis quod nihil de anteactæ vitæ rigore remitteret, aut deprecandi intermitteret consuetudine, semper pacatior & serenior à precibus regressus. Vndè & Dæmonum mille artes nocendi sibi obj cere cœpit, ac persuadere, infernalem aliquem spiritum hâc astutiâ fuisse conatum desperationis sibi teporem injicere. Dùm variè multùmque ac tanto tempore inter has cogitationes fluctuat confidenti in se adest Deus suâ manu omnes agitationes sedaturus. Etenim nocte quâdam cùm solitis orationibus ad altare *Matris gratiæ* accederet, intuitus est ejus statuam splendore insolito coruscare, ac super capitis coronam consistere Patrem Æternum, atque ad latus in forma pulcerrimæ columbæ Spiritum Sanctum. Inexplicabili hujus visionis gaudio absorptus, *Et ubi*, inquit, *est Redemptor noster* IESVS-CHRISTVS, *quem duabus aliis Sanctissimæ Trinitatis Personis non video adesse.* Audivit verò dicentes, *Quâ homo, Patre & Spiritu Sancto minor est, suscipitq; in cælestem gloriam servientes sibi animas.* Quæ claritas vocumq; dulcedo non modò præteritæ anxietatis nebulas dispulit, & lenivit fallentis loquelæ asperitatem, sed planè cælesti suavitate perfudit. Raptusque extra se, *Vnde*, ait, *Pulcerrime Domine, Dominaq; formosissima tantus tam indigno viliq; peccatori favor?* Nec plura poterat magnitudine consolationis præoccupatus. Humilior verò vegetiorque factus consuetas hactenus pœnitentias novis rigoribus cumulavit, & studia virtutum percucurrit hilarior. Abundantior hæc erit clariorque panegyris, cùm ejus, de quo

scribitur, secuta mors extra speciem adulationis constituet laudantem, & extra periculum elationis laudatum.

CAPUT IV.

De Crucifixo Miraculoso in Cõventu nostro Limensi facto ad similitudinem Crucifixi Burgensis: Et simul de vita virtutibusq; P. Antonii de Monte Arroyo.

1. E Crucifixo Limẽsi angustè minùs inglorièque scripturus sum, nisi breve ejus, ad cujus similitudinem factus est, præmisero compendium, ex libro quodam impresso, qui in omniũm est manibus, contractum. Burgos veteris Castellæ, quæ Duriâ mediam interlabente irrigatur, Metropolis est, non magis ædificiorum concinnitate & splendore quàm multitudine templorum ac monasteriorum sanctitate prædicata. Inter quæ continuatâ primævæ observãtiæ laude Sanctorumque Religiosorum frequentiâ, plurimis sæculis, quod Augustinianorum est, excelluit. In illo annos ab hinc retrò ampliùs octingentos & cultu & miraculis celebris fuit imago Crucifixi, vera, ut ex gravissimis testimoniis & non interruptâ traditione creditur, Domini Nostri IESV crucifixi effigies. Ejus hæc est historia.

2. Cùm adhuc Augustiniani in exiguo, quod Sancti Andreæ dicebatur, morarentur monasterio, soluturus in Belgium, nobilis Eques promisit Religiosis inde allaturum se statuam Christi è cruce pendentis, cujus veneratione monasterium illustretur. Hanc augendam, ut istis faciliùs nec irreligiosè ducitur humana mens, arbitrabantur ex artificio sculptoris, quales in Belgio semper fuerunt excellentissimi. At verò tot alia ibi negotia ita habuerunt Equitem occupatum ut promissi excusserint memoriam. Sed, quod se vinci non patitur, cælum statuerat abundantiùs vota precantium Religiosorum explere, simul Equiti injicere negligentiæ terrorem. Conscenso igitur navigio in Hispaniam rediturus ferebatur alto mari, quod horridâ tempestate intumescens peregrinantes tertiũ continuò diem inclementer jactavit. Sedatum undis suis advexit cistam quæ adhibitâ navigantium diligentiâ & industriâ colligi & attolli in navigium posset. Extulerunt, & quia sarcinam credebant pretiosarum relatum, aperuerunt; hîc vitro viderunt inclusum mortui velut hominis cadaver: & cum attoniti penitiùs cistam scrutarentur, reperta sunt juxtà testimonia, quibus exprimebatur statuam hanc esse quam Nicodemus Christi fecerat discipulus, qui depositum de cruce Christi corpus lavit, unxit, & sepelivit. Tùm mixtâ lætitiæ reverentiâ proni omnes cadaver adoraverunt. Eques verò promissi sui commonefactus, vidensque tàm opportunam satisfaciẽdi occasionem, quâ muneribus quâ precibus illud sibi dari satagebat. At verò præcipua prætendentiũ lis exorta est cum Burgum (a) inferretur, jam famâ advenientis notum. Cathedralis Ecclesia prælationem obtendebat; quilibet autem navigantium quantò potentior tantò amplius juris sibi adscribens, unus illi alter isti templo pro suâ devotione aut adfectu attribuebat. Augustinianis favisse cælum, ad quod unum confidentiâ suâ & precibus confugerant, observatum est: ut non aliam ob causam permissa videatur illa prætendentium

(a) Burgis.

tium pugna, quàm ut miraculosior fieret gloriosiorque illis futura donatio. Iudicum interpellatorũ hæc erat sententia, Mulus (a) quæreretur qui numquàm civitatem vidisset, huic in campo extra portam constituto ac clausis oculis imponeretur sacrum onus illius templi monasteriive futurum, ad quod illud mulus detulisset. Augustinianorum monasterium extra muros erat, & longè à consistentis muli loco situm, quod illorum causæ, si solo gradientis muli impulsu esset dirimenda, magnum fuisset periculum allaturum; sed qui olim in vocem articulatam formavit asinæ linguam (b) etiam directo tramite in monasterium Augustinianorum direxit pedes ignari platearum & obcæcati muli qui ibi ante majus altare consistens succusso leniter dorso signum dedit auferendi à se sacri pignoris. Quod magnificâ deinde pompâ ibi collocatum fuit, perseveratque miraculis innumerabilibus coruscans, & non Hispaniæ modò sed totius orbis Christiani veneratione cultum; cui vix ullæ reliquiæ in celebritate sunt comparandæ, aut magis mirabiles. Modus inventionis, uti visum est, prodigiosus: ipsa continuum miraculum est materia, in qua videntur & palpantur omnes artus compagesque, & ad modum vivi corporis humani moventur. Inclinatur & erigitur caput; contrahuntur, extenduntur, & complicantur brachia pedesque: ut tot rerum mirabilium concursus repertaque junctim fœda, homines reddiderit certos eam esse veram Christi imaginem.

(a) ace-ualla.

(b) Nu. 22.

3. Ab hac ad Limensem Crucifixi statuam descendamus. Anno post Christum natũ M.D.LXXXIIX. à P. M. Ioanne de Sancto Petro Priore Provinciali, Sacrario Limensi præficitur P. Antonius de Monte Arroyo ætatis, ut aliquibus videbatur, nondum satis maturæ, nisi senio mentis virtutumque fuisset roborata; quarum dùm relationem paulisper suspendimus, unam prætereire non possumus. Vix-dùm usu rationis frui dabatur, cùm Crucifixus semper illi in delitiis fuit: cum nunc manibus in altum elevatis præferre cæteræ puerorum turbæ, nunc flexo adorare poplite, osculari, aliis osculãdum offerre, ad pectus comprimere, nunc suspendere è cingulo; perpetuus ei lusus fuit, sed quem in serium ejusdem cultum convertit ætate maturior; auxit Religiosus, maximè autem factus Sacrista; etenim numquàm non aliquid circa Crucifixos factitabat, salutando, orando, osculando, ornando, pulveres excutiendo. Tum etiam ingens illi injectum desiderium videndi aliquando Limæ simulachrum Crucifixi Burgensis; incendebaturque tantò magis quãntò magis id cogitatione pervolvebat; abjecto procul scrupulo timoris ne frequenti circa Crucifixum externũ occupatione ab interiorum delitiarum ex divinæ Majestatis contemplatione provenientium fruitione distraheretur, quæ olim anxietas S. Gertrudem iuvaserat, hoc Christi responso dissipata: *Noli timere Charissima quia nequaquàm ob hoc poteris in spiritualibus impediri, cùm ego sum solus causa tuæ occupationis. Et etiam non mediocriter gratum mihi fateor studium devotionis quâ quis afficitur circa imaginem meæ crucifixionis*, &c. (c)

(c) Ioannes de Castañiza Benedictinus lib. 5. cap. 4. de imagine Crucifixi.

4. Communicato cum Priore Limensi P. M. Ludovico Lopez (qui postea trium successivè locorum Episcopus fuit) desiderio, cùm ab eo intelligeret multis fore difficultatibus obnoxium, & impossibilitate præpeditum, tristis ab eo abscessit, sed non desperans, non ignarus *Omnia esse possibilia credenti*: (d) Ad hanc fidem fiduciamque ferventes orationes adhibet, in omnes occasiones explendi tam sancti sui desiderii vigilans. Intellexit Martinum de Guçueta ex Biscaia oriundum, sibi in primis familiarem, profectionem in Hispaniam adornare. Hunc adit, consilium suum votumque exponit, & persuadet sibi plurimùm addicto non difficulter. Istud tamen

(d) Marc. 9.

incom-

incommodum suberat, Martinus secum vehebat ingentem argenti copiam in Hispania negotiationibus impendendam, quæ, ne Burgum ipse adire possit, sint impeditura; spondet ergò se sumptibus suis curaturum, & in Peruviam allaturum similitudinem Crucifixi in monasterio nostro Hispalensi (a) coli. (a) de Sevilla. Verùm Antonius Burgensi inhiabat, urgetque proptereà Martinum, ut, consignato fidæ personæ Hispali argento, ipse Burgum pergat. His occupato, ut cælo videas vota Antonii cœpisse esse curæ, Ioannes Baptista de Torres se obtulit non ad iter modò sed curationem negotii Burgensis, atque confectam Crucifixi imaginem se Hispali Martino Guçuetæ traditurum. Expedit Antonius ad Priorem Burgensem literas, (b) eis operosè conatus persuadere, ne adversaretur ex devotione studiosis, ut simulachrum illius Crucifixi in novum illum ac tot maribus ac terris seclusum orbem inferant, adjungatque spinam aliquam crinemque Burgensis. Impetrat insuper à Præfecto Provinciali, definitorio, Priore Limensi epistolas ejusdem argumenti. (b) scriptæ erant 1589.

5. His instructi Martinus & Ioannes Baptista solvunt, & prosperâ navigatione appellũt Hispalim. Ibi relicto ad sua negotia Martino Ioannes Burgos contendit, pius sed infelix negotiator. Etenim Prior Burgensis P. Nicolaus de Paleneia ex Patrum suorum ob Perüanas literas convocatorum consilio respondit Ioanni, cùm res, quæ petebatur, esset impossibilis, non posse se aut votis Patrum Perüanorum, aut ejus laboribus satisfacere; impossibilitatis causas dictis Patribus perscripturum. Earum hæc erat summa. (c) Cùm imago Burgensis artus habeat compagesque in modum corporis humani visibiles ac palpabiles, mobiliaque brachia pedes & caput, nullam esse artem humanam ita industriam, quæ hæc pingendo sculpendove imitiari queat. Longâ experientiâ certum esse numquàm imaginem eamdem ab inspicientibus videri, objicique semper secundò accedenti aliam speciem, quàm viderat priùs. Quis autem Apelles aut Lisippus hic non erret? Variationis autem hæc creditur causa, ne simulacris ejus aliò translatis, imminuatur cultus principali exhiberi solitus. Constat certè punitos fuisse, qui furtivè istud aliquando tentassent. Quòd si in his maximæ illæ apparent difficultates; supremam fore temeritatem extrahere è corona spinam, è manibus aut pedibus clavos, præscindere capillos. Isabellam Reginam desiderasse aliquando ex devotione unum clavorum, quo extracto cecidisse brachium tamquam mortuum, & Reginam in animi deliquium aliquot horas perdurans, qui dùm redisset, *Remittite*, ait, *clavum in priorem locum, & ego audaciæ meæ, quam pietatem credebam, pœnas à me exigam.* Magnum Capitaneum simile quid conantem tremulum turbatumque clamasse, *majoribus ibi opus esse viribus quàm mille aciebus perfringendis.* (c) in literis ad Provincialem & definitorium Peruviæ datis anno 1590.

6. Hunc in modum se apud Patres Perüanos Prior Burgensis excusabat; Ioannes Baptista verò ob repulsam tristis Hispalim repetebat, itineris laborisque eventum Martino narraturus. Sed quàm longas habet oratio manus! Antonius in Peruvia precibus intentus evicit ut pii illi negotiatores Martinus & Ioannes non desperarent, & animis ipsorum objiciebatur qui auxilio consilioque adesse posse videbatur si vellet; voliturum non inaniter præsagiebant. Erat is P. M. Rodericius de Loaysa virtutibus, doctrinâ, nobilitate illustris, & scriptis nominatus, qui cùm in vetere Limẽsi monasterio Ordini esset initiatus, in Castellæ Provinciam adoptatione transierat. Huic desiderium suum & ob cõsecutionis difficultates tristitiam explicant pii mercatores, qui causam istam tamquàm suam amplexus iter suum Hispali Burgum, quo eum alia negotia vocabant, maturavit. Ibi cum Hieronymo Escorceto in sculpto-

ſculptoriâ arte præ cæteris excellente ſecretò de conficiendo Crucifixi Burgenſis ſimillimo ſimulachro tranſegit, ſibi curæ fore, ut ad inſpectionem prototypi, quoties opus eſſet, callida inventione admittatur. Quâ ſculptoris excellentiâ & diligentiâ Rodericii factum eſt ut poſterior ſtatua priori quoad longitudinem, quæ duabus ulnis quartâ parte eſt major, latitudinem, capillos, colorem, formam, vulnerum loca, diſpoſitionem & crucem fieret prorſus ſimillima: ut judicio peritiſſimorum dumtaxat differrent in duobus, materia nempè & clavorum numero. Materia ſiquidem Burgenſis incognita eſt & creditur cæleſtis, Limenſis ex nuce. Burgenſis Crucifixus cruci ſuæ quatuor affigitur clavis (a) Limenſis tribus, ſiniſtro hujus pede pendulo, hac diverſitatis causâ; nam ſculptor præcipuum ſuum ſtudium ad perfectiſſimam imitationem referens nihil, quod non invenit addidit; ſiniſtri autem pedis clavus ut plurimùm extractus eſt, ut per illius pedis foramen ex clavo relictum perfundant aquam, quam magno confluxu populus, qui eam continuâ experientiâ didicit eſſe miraculoſam, efflagitat. Et aberat fortuitò cùm Limenſis ſtatua ſculperetur. Atque ita quidem prò exprimenda ſimilitudine laboratum fuit: illa tamen parùm Limenſibus eſſe poterat grata abſque ſimilitudinis certitudine, de qua præcipui in civitate Burgenſi ſculptores pictoreſque jurati ſententiam dixerunt, ſcribente & ſubſignante Andreâ de Carrança Notario publico (b). Illud autem inſtrumentum eſſe Andreæ de Carrança tres alii Notarii, ne qua dubitandi ſupereſſet occaſio, confirmant.

(a) Chriſtū quatuor clavis fuiſſe crucifixū docent Cæſar Baronius tomo 3. Ann anno Chriſti 326. & anno 21. Conſtantini Imper. Greg. Turonenſis de gloria martyr. cap 6. Zonaras parte 3 Annal. P. Cornelius Curtius.

(b) anno 1590. die 19. Octob.

7. P. Rodericius Loayſa ſucceſſu lætus Hiſpalim feſtinat. Verùm nulla tanta eſt ſecreti clauſura in quam per rimulam aliquam non penetrent oculi aureſve curioſiores. Innotuit furtiva ſculptura Religioſis Burgenſibus: hi legatum mittunt Religioſum Burgenſem Salamanticam ad Vicarium Provincialem P. M. Aloiſium Legionenſem rogaturum, ut ſuâ authoritate curaret detineri, quod nullo conſenſu erat elaboratum, & aliò transferebatur, ſimulachrum; & ſimul devotionem orbi toti venerandam maximoque honore cultam conſervando non pateretur eam alteri mundo conſecrari, non laudanda primævæ venerationis imminutione. Provincialis non modò gravanter legatum audivit, ſed expediris mox Religioſis P. Rodericium aſperè reprehendi & novam ſtatuam detineri juſſit, P. Rodericio nequidquam ſeu per ſe ſed per magnates Hiſpaniæ, nominatim Garciam de Loayſa conſanguineum, Archiepiſcopum Toletanum, qui que Philippo Tertio fuerat præceptor, pro conſenſu in Peruviam illam mittendi laborante, ſpes tamen ſuas nutriente per electionem novi Prioris Provincialis poſt paucos menſes futuram. Verùm ſuffragia in P.M. Aloiſium de Leon convenerunt, ut qui hactenus titulo Vicarii Provinciam adminiſtraverat, idem in poſterum faceret titulo Prioris: adeoque deſperare potuiſſet Rodericius, niſi altera ab electione die è vivis exceſſiſſet P. M. Aloiſius ingenii miraculum, ſcolarum ſtupor, Hiſpaniæ Phœbus, & ſæculi ſui phœnix. (c) Ejus in officio ſucceſſor piâ Rodericii, cui opitulabatur P. M. Petrus de Aragon, aliud Auguſtiniani Ordinis lumen, ſupplicatione victus conceſſit ut in novum mundum transferretur nova imago, novam ibi venerationem conſecutura, quæ non minuerer antiquam Burgenſem tot indè terris ramque immenſo mari diſcretam. Quâ facultate lætus P. Rodericius civitatis equis, ne qua eum remora aſſequi poſſet, Hiſpalim accurrit, ſtatuamque mox Martino de Çuçueta credit in Peruviam aſportandam, & ſculptori

(c) P Cornelius Curtius eum in ſ is viris illuſtribus laudat.

sculptori Burgensi pro opera transmittit aureos sexcentos. Martinus verò eam thecæ adfabrè non modò elaboratæ, sed internè sumpruosè ornatæ, externè egregiè cōtra quasvis temporis injurias defensæ includit & tempus navigationi opportunum operitur, securè merces suas suamq; vitam indomito mari commissurus, quandoquidem secum veheret effigiem ejus, cui *venti & mare obediunt.* (a) Solvit autem cum classe quam Admirantius Franciscus de Leyva in Indias educebat; accidit certè, neque, ut opinor, *sine numine divûm*, ut in navem, cui nomen erat *Maria de Iuncal* statuam, semercesque deponeret; ut effigies ejus, qui ex ventre Beatissimæ Mariæ mundo semel natus est, deferretur in penetralibus navigii ejusdem Dei-paræ nomine appellati in alterum mundum.

(a) Matt. 8.

8. Vix à portu classis abscesserat, cum eam sævissima tempestas invasit, quæ eam ad oras Gaditanas, nec sine magnis damnis hominum navigiorumque, quæ nulli rudentes satis poterant alligare rejecit. Solum Sanctæ Mariæ, in quo statua Crucifixi vehebatur, integrum perstitit, tanto miraculo majori, quod injectum in illud tempestatis vi grandius navigium neque obrueric neque læserit, altero penitùs lacerato. Aliâ tempestate cùm proximum navigium undis sorberetur, nihil nocumenti passum est illud, quod Christum vehebat dirigentem & elemento terribili imperantem. Factumque est idem eodem illo itinere sæpiùs; neque enim creditum fuit, ex quo in Peruviam navigari cœptum est, umquàm novum illum Oceanum majoribus motibus fuisse agitatum. Deprehensum autem cùm classis Cartagenam appulit, singulas naves aut lacerum aliquid habuisse, aut multa navigantium funera numerasse, aut laborasse dulcis aquæ atque commeatûs defectu; quorum priora aberant prorsùs à Sanctæ Mariæ nave; posteriora ita abundabant, omnibus ad rem admirandam obstupentibus, ut aliis ejusdem classis navibus aquam cōmeatumque, quantùm opus habebant, potuerit erogare. Inter Cartagenam deinde & Nomen Dei (b) æqualia præcedentibus pericula damna & naufragia ab indignantibus undis classis passa cùm sit, secura fuit vectrix Crucifixi navis, & quotquot in ea vehebantur; ut jam nullum aliud fortiùs ad augendam Crucifixi venerationem argumentum desideraretur: Mare nimirùm toties edomitum vasto suo ore eam palàm prædicabat. Nomine-Dei plissimus mercator Martinus de Guçueta, nullâ umquam merce, quàm Crucifixo, ditior aut illustrior, exstinctus est, aliâ nunc luce numquàm defectum passurâ, illuminatus; & in utroque orbe pietatis & nominis sui splendore coruscans. Crucifixus verò ac res ad Martinum pertinentes in scapham deposita per fluvium *Chagre* delata non sine novis præsentis Numinis argumentis, Panamæ exposita sunt. Vbi lite ab hæredibus Martini, maximèque à Martino de Rezinas ob sumptus seu in sculptura seu vectura Crucifixi factos motâ, annum integrum detentus fuit, P. Petro Rodriguez Eremitâ Augustinlano, qui fortè tunc illuc advenerat, ad maturandam ejus in Peruviam missionem, nequidquam laborante. Hæc porrò eorum altercatio majoris reverentiæ causa imagini fuit. A prædictis siquidem Augustiniano ac Martino de Rezinas Præses Auditoresque Regii obnixè postularunt ut sibi videndi Crucifixi tot jam miraculis celebrati facultas fieret; nullo præterea præsente. Defertur in hunc finem in Audientiæ Sacellum, idque, ut majus esset secretum, noctu. Sed nulla diligentia celare id Rempubl. novâ famâ excitam omnique curâ sollicitam potuit: accurrunt ergò ad horam constitutam undatim omnis sexus plurimi, imaginem aut spectaturi aut veneraturi;

(b) Nomen de Dios, portus.

raturi; neque potuit totâ illâ nocte submoveri turba, quæ & per diem continuari avebat spectaculum, sed negatum ; donec importunis precibus impetratum, ut appropinquantis Septimanæ Sanctæ tempore in monumento fieri solito videndus & adorandus in templo Augustianorum exponeretur. Et expositus fuit tenui velo tectus quoad ultima Paschalium dierum festivitas finiretur, populi affluentiâ & devotione incredibili. Eleemosynarum insuper ea fuit liberalitas ut octingenta numerata sint pesa.

9. Precibus tandem P. Petri Rodriguez devictus Martinus de Rezinas, hic illi imaginem tradidit in Peruviam, cum vellet, transmittendam. Illata fuit in navem IESVS MARIA dictam, reverentiâ potiùs nominum quàm necessitate; nam non-nemo eam suæ navi imponi petebat sanè importunè, gratuitam operam offerens. Ferebatur faventibus ventis per placidas aliquamdiu undas navis, cum (dæmonum, ut creditum fuit, furore) subitò intumescere visum fuit mare, cælum nigrescere; irruêre undique venti tauro impetu ut desectam navem plenis ostiis salsam haurire aquam coëgerint, ipsi jam in navi velut mari homines natabant, & desperationi extremæ omnia erant proxima. Sola spes in Crucifixo reliqua erat: huic se omnes calidis votis, in mediis licèt fluctibus, commendant. Res mira; Vix se commendaverant, cùm subitò siluêre venti, posuêre insolitos motus æquora, erecta est navis, ejecta è navi aqua, pulsus à navigantibus timor, nullùmque observatum est illatum fuisse damnum; datæ ab omnibus pro beneficio cælesti gratiæ. Tandem post variam fortunam navis IESVS MARIA in portum *Guatra* quindecim leucas à Callaono versus septemtrionem distantem, quò merces ex Africa advehebat, illabitur. Ibi Augustiniani efferentes è navi statuam, itinere pedestri eam *Arnedonem* (a) usq; portaverunt, occurrentibus in via Religiosissimis Viris Franciscani Ordinis civibusque cereos ardentes ferentibus. Eam in cœnobio dictorum Franciscanorum deposuerunt magnâ illorum consolatione gaudioque, quod continuâ luminarium accensione, divinorum cantu hymnorum solemnique missæ celebratione fuur contestati.

(a) Arnedonicus, communiter Cangay dictus.

10. Indè eam rursùm navigio imponere visum seu commoditatis seu solemnitatis majoris causâ. Excepit illam Prætoriâ nave Didacus de la Sierra Biscainus: P. verò Antonius de Monte Arroyo aliique Augustiniani deposuerunt in cubiculo egregiè ornato. Adfuerunt mox Cœnobiarchæ Ordinum SS. Dominici & Francisci solemnibusque Vesperis, & altero die Missâ Crucifixum sunt venerati. Et ut nullum ingens sine magnis multisq; difficultatibus obtinetur bonum, quasi non satis fuissent præcedentes sive in Hispaniâ sive Panamæ superatæ, moræ hîc aliæ sunt, sed quibus redderetur tandem Crucifixi cultus illustrior. Primam injecerunt per Capitulum & Regios ministros Religiosæ Conceptionis petentes ut per earum Ecclesiam, obtentu devotionis, ferretur. At fortior Ioannis de Cadaalso Centurionis actio fuit. Hic Sacello in templo Augustinianorum exstruxerat hac cautione ut si aliquando in dicto templo, erigeretur Crucifixus, in suo erigeretur sacello, quod & exiguitate suâ,& trâsitu Religiosorum e Sacrario in Ecclesiam erat incommodum, parumque excellentissimæ imaginis cultui correspondens. Inito igitur consilio Augustiniani decreverunt illam ad monasterium suum transportare, hoc pacto alteram difficultatem elusuri, ad alteram responsuri rutiùs. Sed disposuerat ubique exploratores suos pietas curiosasque, ut qui soli navem prætoriam conscendere putabant Augustiniani, circumcinctos se undique lembis luminaribusque, quæ binuia in diurnum velut splendorem conver-

Aa 4

verterant. conſpicerent, ut maria terræ æmula proceſſionem ſuſtinere viderentur. Expectabat ad litus portûs Callaoani Præfectus Alvarus de Avendaña illuſtri nobilium coronâ cinctus. Tubæ, litui, feſtivo cantu, tormenta bellica ſuo mugitu gaudium, quod poterant, cum hominibus conteſtabantur. Quare effuſi paſſim virorum, fœminarum, ac adoleſcentum greges proceſſionem reddebant numeroſiſſimam; cui populi ſtudio, rupto jam ſilentio, occurrere volens P. Antonius ſategit, ut cruce prælatâ ordinatè Auguſtiniani obviâ præcederent civeſque comitarentur, quo reddita eſt celebritas multò auguſtior, & crevit in immenſum funalium ardentium numerus; atque ita tumultuariâ quidem ſed ingenti ſolemnitate, campanis non noſtræ tantum Eccleſiæ, ſed etiam aliarum ſonantibus, monaſterio noſtro Limenſi illata tam longè & operosè quæſita Crucifixi ſtatua anno poſt Chriſtum natum M. D. XCIII. VII. Kalendas Decembris (a)

(a) 25. Novembr. 11. Centurio autem Cadaalſo in actione perſiſtẽs, implorată Tribunalis Sacræ Inquiſitionis auctoritate, imperravit in Eccleſiam ut non inferretur, niſi in ſuo ſacello collocanda: fuitque in hoc propoſito adeò pervicax ut eum neque Proregis Garciæ Hurtado de Mendoça Marchionis de Cañete frater, neque aliorũ Magnatum preces aut ſplendida promiſſa, neque commune civitatis publicumque deſiderium indè potuerint dimovere. Sed didicerat P. Antonius non uno experimẽto manum in cælis potentiorem, quàm fervidâ oratione interpellavit, proteſtatus non aliò ſe collimare quàm ut Capella Crucifixo daretur opportunior ſumptuoſiorque. Et, dictu mirum, advenit ad monaſterium ſequenti die vix nato Cadaalſa, juſſitque per Tabellionem confici publicis tabellis, toti, quam tractamus, actioni ſolemniter renuntiavit; quam ejus liberalitatem miraculoſo, uti mox dicemus, favore Deus compenſavit. Adeò ut nova Deum inter & Centurionem diſceptatio orta videretur; illo beneficia cumulando; hoc ſi non cupido contra Deum victoriæ, certè gratitudinis, quâ voluit ut monaſterium Capellaque bonorum ſuorum, quæ non minùs centum peſis æſtimabantur, eſſent ex aſſe hæredes.

12. His ergo remoris, &, ut omnium erat ſententia, miraculosè expeditis, Auguſtiniani tantò magis ornandæ Capellæ incumbebant, quantò ampliùs novis indies acceſſibus accendi in ſe & populo pietatem ſentiebant. Ornatus autem forma hæc ferè erat: totum, quantum à pavimento ad fornicem intererat, ſpatium aut tapetes occupabant pulcherrimi pretioſiſſimique, aut elegantes & ad expreſſionem ſpectantes ſolemnitatis picturæ, quæ ab affini Poëſi facunda omnis metri carmina mutuaverant, digna ſanè à poſteritate noſtroque mundo videri, & à P. Antonio ſtudiosè collecta, ſed nondum in Europam tranſmiſſa. Præcipua Capella: pegma habebat multos gradus altum, multò, quàm reliqua Eccleſia, ſtratum ſumptuoſiùs: in gradibus cerei albi omninò quatuor & triginta; ſinguli quinque librarum erant: præter hos plurimi alii, tamquàm minores in firmamento ſtellæ, non ingratâ varietate colluſtrabant: longum eſſet candelabrorum artificium, aut magnitudinem vel pretium enumerare, & quid attinet ea in Europa noſſe? His ornamentis præcipuum addi impatiens Civium, vicinorumque ardor identidem inclamabat, Crucifixum nempè tot maribus peritum, tot experitum votis.

13. Dictus igitur collocandæ in pegmate ſtatuæ dies ad III. Nonas decemb. (b) Magno non magis gaudio populi quàm ſolatio afflictorum lenimen aliquod ſuis miſeriis ad tanti medici adventum ſperantium. Chriſti figura cruci adfigitur, modo à Burgenſi prorsùs indiſtincto, quem adjunctæ in ciſta ſce- (b) 3. die Decembris 1593.

dæ

dæ edocebant; constituitur que in pegmate ante descripto, illo die quo Crucifixi memoriam septimanatim Ecclesia venerari solet. (a) Quid hic populi affluentis concursum, quid musicæ excellentiam, quid multitudinem triumphalium ignium seu in plateis locisque publicis excitatorum seu per aëra volitantium, quid tubarum, quid æris campani concentum memorem? talia scilicet omnia fuerunt, qualia nunquàm Peruvia seu à Regibus suis possessa seu Hispaniarum Regi subjecta viderat. Divinis verò oculis nihil acceptabilius fuit quàm gemitus lacrymæque inspectantium, quas vix ullus continebat, & adveniens ingens se flagellantium chorus: perseveravitque populi inter hos gemitus & lacrymas devotio duos dies & noctem intermediam ut nullo aut imperio aut satellitio excludi ex Ecclesia potuerit. Donec tandem aliquantum imminutus circa secundæ noctis (b) horam duodecimam, translato in Sacellum suum Crucifixo, persuaderi sibi passus sit templo ut egrederetur, commodiùs posteà suâ pietate fruiturus. Præcipui certè Proregis, ejusque conjugis Teresæ de Castro & de la Cueva totiusque aulæ, suspirantium & plorantium notati affectus fuerunt. Sacellum autem ipsum, si structuram, picturas, lampades, aliaque ornamenta spectes, est magnificentissimum: Si Romanorum Pontificum privilegia indulgentiasque, venerandum; si Confraternitatem, Confratrum nomina tituloſque, illustre; si cultum devotionemque, toto novo orbe celeberrimum. Cùm verò in petenda ex Hispania statua Crucifixi, in præparanda recipiendæ pompa, in instruendo ornandoque sacello præcipua eluxerit P. Antonii de Monte Arroyo cura & labor, ejus hic breve subnectam elogium, ut qui vivus à Crucifixi cultu non potuit avelli, & mortuus in ejus sacello voluit humari, nostrâ ab eodem non separetur historiâ.

(a) die Veneris.

(b) post Sabbathum.

14. Natus est Tavilæ, quæ Algarbiæ in Lusitania civitas est & Episcopatus. In Peruviam profectus anno ætatis undecimo, habitu Eremitarum S. Augustini donatus est anno supra sesqui-millesimum octuagesimo XV. Kalendas Februarii. (c) Adhucdùm Novitius magnarum virtutum specimen dedit, quas deinde annis succedentibus solidavit. Ex erant humilitas, obedientia, patientia, pœnitentia, mansuetudo, constantia in laboribus, modestia non minùs in verbis quàm operibus: quibus ex ingenii celeritate & consiliorum prudentia splendor non exiguus accedebat. Castitatem virginalem in eo illibatam perstitisse constans omnium opinio est. Si quis vel levis de mulieribus eo præsente sermo esset, totam ejus faciem rubore pudor inspergebat. Præfecturas in Ordine non semel oblatas, nunquàm admisit, memor doctrinæ S. Cypriani (d) *Sicut per emptoria est altitudo quæsita, ita & peri culosissima est oblata*. In ornandis templis celebrandisque solemniter festivitatibus totus erat, nullis in illis parcens aut laboribus aut sumptibus; quod ejus ingenium sub ipsis Religionis auspiciis Cœnobiarchæ solerter inspexerunt: unde mox Sacrario Sanctissimæ Virginis de Guadalupe, (e) deinde Limensi præfectus est. (f) Quanto aurē zelo munus illud fuerit executus, paulò ante memoravi. (g) Perstitit in eo annos ampliùs triginta semper aliquid ornamentorum præcedentibus adjiciens, & Crucifixi cultui ita addictus, ut ne ad unum diem se abesse pateretur, alternationem quandam laboribus suis daturus ambulatione ad agros villasque. Infirmus non de dolorum acerbitate querebatur, sed de sua à Crucifixo absentia, quem redditus bonitati mox depingi jussit, ut solatium præpararet secuturis morbis. Ingravescente ætate urinæ dolores, quos sæpè in vita passus fuerat, facti sunt acutissimi, ut etiam mortis periculum adducerent;

(c) 18. Ian.

(d) lib. de jejunio & tent.

(e) infra.

(f) 1588.

(g) hoc cap. num 3 & seqq.

rentı ipſe contra hoc imperterritus, in illis patientiſſimus. Interrogatus quid eum adfligeret maximè, reſpondit, quòd magnitudo me dolorum impediat ut non totâ animâ omnibuſque viribus Deo intendere poſſim aut quietè ad receptionem Sacramentorum præparare. Nonnemo conſolandi cauſâ cùm ſperare juberet, eum die Veneris, ob ſingularem eo die cultum Crucifixo exhibitum tot annorum continuatione, ex hac vita abiturum, conjectis in Crucifixum oculis complicatiſque in modum crucis manibus exclamavit lacrymans, *ô Piiſſime Domine, putarem me aliqualiter Tibi iſta mea ſervitia grata fuiſſe, ſi die Veneris me mori contingeret: nunc autem Te per meum Tibi ſerviendi deſiderium obteſtor, ut tantiſper ſe dolores intermittant, ut majori quiete à Te peccatorum meorum poſſim veniam poſtulare.* Audivit preces Deus, omniſque penitùs dolor mox abſceſſit. Ille cœleſti beneficio non ingratus tenerrimis lacrymis, maximoque, quo potuit, ſtudio Sacramenta, quæ ſolent morituri, ſuſcepit, duravitque ſolitâ lanienâ liber à die Lunæ uſque ad medium noctis, quâ Veneris dies computari incipit, quando Crucifixo ſuo abblandiens extinctus eſt anno M. DC. XX. X. Kalendas Majas (*a*) ejuſdemque diei horâ undecimâ ſepultus eſt in Sacello, quod Crucifixo ab ipſo ædificatum ſuprà diximus magnificentiſſimum. Glorioſa mors, in qua *Sancti* appellationem, quam in vita apud omnes obtinuerat, Deus ſpeciali ſuo favore confirmavit.

(*a*) 22. Aprilis.

CAPUT V.

Quædam Crucifixi Limenſis miracula.



1. QUAM multa in tranſumptione & tranſvectione mira contigerint præcedentis Capitis lector obſervabit: Hîc aliquod miracula ex plurimis referemus certiſſimis teſtimoniis roborata. Nam quot ibi petrâ duriora pectora in carnea ſint converſa, quotve ex profundo peccatorum ſint erepti, ille novit qui convertit & eripuit: fidenter tamen dico hæc quoties contigerunt, maxima fuiſſe miracula. Nam *ut ex impio juſtus fiat majus eſt quam creare cælum & terram.* (*b*) Ad graviſſimorum ſolatium peccatorum unicum adſcribam.

(*b*) S. Auguſt. tract. 72. in Ioannem.

2. Limæ vivebat homo moribus perditiſſimis, & qui nullum in Peruvia locum reliquerat, quem non inſigni aliquo flagitio fœdaſſet. Adeòque ſpiritus infernales tanquàm de re jam ſuâ diſponentes, multoties viſibilibus modis eum ad laqueum urgebant, qui ſceleribus ſuis miſericordiam omnem præcluſiſſet. Vrgebant, inquam, eum indies, *Euge, ſuſpende te, quid moraris? quidlibet obvium tibi pro reſte ſit, quid tardas?* Inter hæc ſæpè illi aliquam lecticæ cordam, ſæpè faſciam aliquam porrigebant. Et jam-jam miſer illorum triſtia conſilia explebat, & nondùm tamen explebat, ſed, magnâ Dei miſericordia etiam in maximo peccatore vigilante, aliquando Deum, aliquando Dei-param, inter tàm præſentes anguſtias inclamabat, ſed retundebatur his dæmonum vocibus, *Stulte, quid tibi & Deo, quid tibi & Sanctis?*

& Sanctis? aliquemne ab illis sperare audeas favorem, quos tam impudenter, toties, tantoq; tempore lacessivisti? Nihil spei reliquum est; expedi te, quid adhuc tempus teris? Ita miserrimus distrahebatur. Vivere tædebat, & tamen mori tot delictorum conscientiâ pavidus horrescebat. Alius quidam amicus miles ingentis illius tristitiæ licèt non causas, signa tamen evidentia animadvertit, autorque illi fuit ut ad Ecclesiam Augustinianorum, in qua ratione festivitatis tunc forte incidentis solemnes Vesperæ decantabantur, se conferret, musicam mœrori lenimen aliquod allaturam. Admisit amici consilium, & simul executus est, altero comitante; & visus sibi fuit à dæmonum vexationibus esse liber, ut non minoris virtutis esset ille Ecclesiæ cantus, quam peritia Davidis citharam, *quandocumq; spiritus Domini malus arripiebat Saul* (a) manu percutientis. Quare regressus ad eandem Ecclesiam sæpius, semper idem solatium est expertus. Vnde & factum ut de confessione generali instituenda, quamquam in contrarium dæmonibus omnem lapidem moventibus, apud se deliberaverit & serio statuerit. Altero autem à facta confessione die cùm multò à terriculamentis dæmonum liberior altaria in eadem Ecclesia precando visitaret, transiretque ad latus Sacelli, in quo Crucifixi est cultus, ad altare quidem oculos erexit, non tamen ingressus hanc ex Chrucifixi ore dearticulatam vocem audivit, *fili, etiam me venerare*. Intravit, & istâ Dei invitatione confortatus, profundissimâ humilitate prostratus rogavit per pretiosa vulnera, ut ne peccatori licèt indignissimo misericordiam denegaret, neque petire fineret in miseria, quod infinita ejus bonitas creasset & redemisset. Interque has lacrymas & suspiria, tantus eum interiùs ignis accendit, ut præcedentis vitæ sordes expurgaret; Et non multò pòst castris Augustinianorum adscribi petierit & obtinuerit, factus prodigium Sanctitatis. Nomen, patriam, genus illius peccatoris non expressit P. M. Antonius de la Calancha certas, ut ait, ob causas, neque fuit ad miraculi magnitudinem necesse.

(a) 1 Reg. 16

3. Inter corporalia seu visibilia exteriùs miracula hoc sit primum. Matrona Limensis profluvio sanguinis laboraverat annos plurimos, ita tamen curationis sollicita ut in medicos, quidquid haberet bonorum, effudisset, non tantùm nullâ emendatione sed nec ejus spe. Hæc recenti Crucifixi famâ & cultu excitâ vigesimo, à quo statua Limæ fuerat illata, die, ad ejus Sacellum prorepsit potiùs quàm accessit, ubique signans fluente sanguine vestigia, posuitque se juxta ejus altare, in quo tunc sacris operabatur P. M. Gabriel de Saona, ministrante F. Iosepho Garcia, de quibus suo loco recurret sermo. Illa singultiendo ejulandoque salutem à Deo postulabat; à fratre verò Iosepho, ut ablatis velis, quam nunquàm viderat, statuam conspiciendam daret, à qua sanitatem sperabat. Ille eam, ne sacerdotem celebrantem suis intempestivis vocibus interturbaret, monebat, docebatque absque consensu Superiorum sibi id esse illicitum, cereos prius in ejus honorem esse accendendos, in summa, expectaret. Ipsa hoc responso facta importunior miserabiliùs ejulabat, ut misericordiâ motus celebrans innuerit ministro, ut retractis velis statuam aperiret: quo facto ipsa preces pro valetudine ingeminavit, & consecuta est ipso illo momento adeò perfectè ut totâ vitâ reliquâ nunquàm ullas ejus senserit reliquias; sed facta cælestis beneficii publicatrix omnibus adflictis inculcabat medicum, quam ipsa experta erat tam potentem & liberalem.

4. Peruviæ Protege Garcia Vrtado de Mendoça Marchione de Cañete, nascente anno supra millesimum quingentesimum nonagesimo quarto per fretum Magellanicum in novum mundum irruperat, Duce

Duce Richardo Xaquel homine prorsus temerario & periculorum contemptore, navis piratica Anglis hæreticis plena, penetraveratque per mare Pacificum ad regnum usque Chilense, ubi inter cæteras naves unam ceperunt in qua repererunt statuam Crucifixi, quam scommatibus illusam deinde frustatim concisam in mare præcipitaverunt. Sensit injuriam Christo illatam, ut omnis deberet Catholicus, acerbissimè Prorex, cui in portu Callaoano tristia hæc nuntia deferebantur: missisque ad Mooasteriarcham Augustinianorum literis funestum eventum aperuit, & simul edocuit de classe quam in vindictam sacrilegii post piratas, qui portum Callaoanum prætervecti Panamam petiverant, emittere parabat, rogans ut Religiosi quotidianis precibus pulsu campanæ ad conciendum populum indictis zeli sui successum à Crucifixo exposcerent: addens insuper solemnis supplicationis votum cum de hæreticis victoriam esset consecutus. Fiunt preces, ipse classem expedit, Duce Bertrando uxoris suæ germano illi imposito. Hæc inimicum veotis maximè secundis consequitur non longè *Paytâ*, nondum medio, quod interjacet Limam inter & Panamam, itinere, estque circiter graduum viginti. Impetu animosè facto vicerunt, captis hæreticis ad unum omnibus eorumque spoliis, nostrorum verò incommodo prorsus contemnendo: unâ eâdemque victoriâ & sacrilegium ulti, & demptâ viciosis piratisque, quod certè momenti erat maximi, spe Hispanos posse in mari isto superari. Classis cum prædâ *Paytam* invecta citò cursores, quæ læta hæc nuntia Proregi perferrent, expedivit: festivitas erat Exaltationi Sanctæ Crucis sacra (a) & nox concubia, cùm Limâ pervenerunt. Intellectâ victoriæ felicitate Prorex, ut fortè tunc erat sine pallio & pileo, sè è palatio festinus proripuit ad Ecclesiam Augustinianorum acturus immensas, pro victoriæ qualitate, Crucifixo gratias. Aperta est, horâ licèt intempestâ, Ecclesia, accensi cerei, discoopertus Crucifixus, & alternantibus choris à nostris decãtatus solemnis hymnus, *Te Deum laudamus*.

(a) 14. Sept 1594.

5. Sequentis diei horâ post meridiem quartâ celebris facta processio est, Clero omni, Prorege, Audientiâ, totâ denique urbe ad Ecclesiam nostram pro gratiarum actione ex summo templo procedentibus. Eadem jussu Proregis solemnitas reiterata fuit, dùm nuntiatum fuit Franciscum Dracum famosum piratam, qui portum Nominis-Dei (b) occupare statuerat, non procul inde fuisse extinctum, magno Regis Catholici commodo & quiete. Semel dicam, nullum Proregem à subacto Peruviæ imperio ad illud usque tempus fuisse Marchione de Cañete fortunatiorem, sed nec ullum in cultu Crucifixi magis pium.

(b) nomini de Dios.

6. Nicolaus de Valderas fluxu sanguinis laborabat & calidis febribus. Illum, quia admodum opulentus erat, præcipui, ut curarent, medici vocati. Verùm nihil proficiente arte aut remediis Nicolaus jam ibat ad plurimos. Medici desperabant, signa vicinæ mortis observabantur, consanguinei, quorum multùm intererat ipsum vivere diuturniùs, ejulabant; quorum ploratu tactus infirmus voto Crucifixo facto rogavit, ut, si ita visum Superis esset, sanitati, quæ jam altera vita æstimari posset, restitueretur. Ipsi etiam amici horâ vespertinâ septimâ (c) gregatim ad Ecclesiam Augustinianorum processerunt idem pro Nicolao precaturi, convocatis ad precum adjutorium Religiosis: faciunt eas accenso magno cereorum numero, discoopertoque Crucifixo: quibus dùm absolutis ad ædes Nicolai reverterentur, timerentque se jam non Nicolaum sed ejus cadaver reperturos, totum inveniunt sanum disenteriâ æquè ac febribus liberum. Ipse paucos post dies votum explevit, egitque reliquum vitæ tempus mirâ in Crucifixum devotione & gratitudine.

(c) anno 1595. in Martio.

7. Subi-

7. Subitam miraculosamque Nobilis Viri Ioannis de Cadaalso Centurionis mutationem suprà (a) memoravimus, qui cùm in assignanda Crucifixo Capella obstinatissimè Augustinianis restitisset, posteà ædificandæ ornandæque Capellæ ampliùs quinquagies mille pesa impendit; nec minorem utilitati Monasterii summam. Huic post excessum mariti non impar fuit Ludovica de Acuña Ioannis uxor, translatis in Cænobium omnibus bonis, ipsa solâ annua pensione contenta. Quàm autem hæc Ioannis devotio liberalitasque sine mercede non fuerit jam dicam. Pridie festivitatis Inventioni S. Crucis sacræ anno M. D. IC. animi oblectandi negotiorumve causa in forum exiverat, ibique cum aliis præcipuis viris ambulabat Ioannes, cùm inopinanti injectum est ingens confitendi peccata non tàm desiderium quàm impetus, quem tantò ampliùs admirabatur, quòd domo excedens ejus ne cogitationem habuisset. Expedit igitur se à consortio, ac recto itinere ad monasterium Augustinianorum progressus, ibi in cella sui Confessarii ampliùs duas horas expiandis peccatis occupatus sedulò se præparabat quasi mox iturus ad meliorem patriam, cujus jam sentiebat se præ gustibus invitari. Post confessionem solemnibus intererat Vesperis: illis absolutis P. Antonio de Monte Arroyo, quem inter paucos diligebat, insolitos cælestesque suos impulsus narravit; adjunxit quomodò non multò antehac inspiratione quadam divinâ, uti credebat, ad pagos sibi commendatos, quos multis annis non visitaverat, concesserit, satisfeceritque damno, quod sementi Indorum intulerant suatum pecudum greges. Eadem mox P. M. Alphonso Pacheco Priori Limensi aliisque Religiosis reiteravit, moneriquе se interenis exhortationibus setiâ illâ diligentiâ vicinam mortem prævenire. Alterâ luce sacrâ synaxi refectus cum conjuge suâ Luisia de Acuña, ac Iubilæi indulgentias promerens, Missæ ac Concioni interfuit. Vix in ædes reversus subitò deficere cœpit, ægrè inter famulorum brachia in cubiculum delatos, acceptâ Sacrâ unctione, extinctus est die Veneris sequenti, die scilicet in quo ante annos tres Ecclesiam pauperesque scripserat hæredes, atque in Sacelli à se ædificati possessionem ingressus erat, canique cœperant in honorem Crucifixi missæ ab illo fundatæ. Tàm sedulâ curâ ad inevitabilis mortis tempus Deus præmonere voluit servum qui tantis impensis suum auxerat cultum. Atque hæc quidem pauca Europæis sufficient miracula, ut cognoscant quantâ in altero mundo veneratione & fructu Crucifixus ad similitudinem Burgensis in Hispania factus colatur. Plura curiosus Lector inveniet apud P. M. Antonium de la Calancha. (b) Nunc cætera Conventus Limensis exequamur.

(a) cap. præced. nu 10. & 11

(b) lib. 1. sui Chronici cap 46. & 47.

CAPVT VI.

Miracula intercessione S. Nicolai de Tolentino Limæ facta.



TERTIA, quâ Conventus Limensis illustris redditur, imago est S. Nicolai de Tolentino, qui cùm per totum mundum tam sic prodigus miraculorum, non decuit eum in novo mundo eorum fieri parcum. Ingenuè fateor, eorũ is est numerus, ut sola, quæ Limæ contigerunt, potentia sint integrũ tomũ explere, cùm uno nonnunquàm die referantur octo, pauci verò per-

 cuttant

currant dies quorum singuli non aliquo miraculo celebrentur. Inter cætera paniculi in honorem S. Nicolai benedicti in veneratione sunt maximâ, cum dietim unus Seniorum Religiosorum deferendis ad domos sæcularium paniculis à manè in vesperam se impendat: & contingat esse dies, quando unus non sufficiat omnibus. Delibabimus ex plurimis pauca. Neque pluribus opus est apud credulum mundum, cujus nullus est angulus non aliquot domesticis ejus prodigiis præoccupatus.

2. Dùm in veteri nostro monasterio Limensi ipsâ S. Nicolai festivitate verba ad populum faceret P. Ludovicus Alvarez Vir planè Apostolicus, fortè ibi ludens puer octo annos natus Didacus Limensis (a) dictus in cœnobii puteum lapsus est profundissimum & angustum: labentem alius puer animadvertens exclamat *Sancte paniculorum succurre*. Rumor interim ad Ecclesiam usque excurrit, & eum nomen lapsi non exprimeretur perculit supra modum quotquot meminerant se puellos habere, atque ad puteum certatim accurrunt. Vox autem ex imo puteo audiebatur, *Eripite me nam sanus & illæsus sum*. Dimittunt ergo situlam, in quam cum puerulus se injecisset, extractus non modò integer apparuit sed & siccus. Utriusque causam rogatus respondit, *Augustinianus quidam stellis undiq; rutilans me cadentem, ne quid nocumenti acciperem, manibus portavit; & Domina quædam formosissima postea detinuit ne aquas contingerem*. Ut ipsa Beatissima Virgo in Solemnitate S. Nicolai, dùm hoc miraculum patraret, obsequium aliquod præstare voluisse videatur. Puteus autem exinde Sanctus dictus est, præstititque aquas multis infirmitaribus salutares.

(a) de Lima.

3. Aliud in eodem puteo accidit miraculum tribus annis postquàm Augustinianis in novum monasterium translatis successerant Religiosæ S. Bernardi, quarum fundatrix & Abbatissa erat Lucretia de Sansoles, nostra, antequàm Religionē capesseret, non minima benefactrix & cultûs S. Nicolai studiosissima. Vehemens diuturnaque siccitas fontes ac puteos civitatis Limensis omnes arefecerat, etiam hunc, quem Sanctum appellatum fuisse diximus, ut cogerentur Religiosæ magnis incommodis ex fluvio plurimùm distante necessariam sibi aquam petere. His molestiis fatigatæ in honorem S. Nicolai processionem instituunt, quam nondum absolverant, quandò famulæ monasterii accurrunt nuntiantes putei, quem suprà notavimus fuisse profundissimum, aquam effluere. Rei novitas aquæque necessitas totam ad spectandum Civitatem excivit, ut timeretur multitudinem duabus illis causis incitatam monasterii claustra perrupturam. Prodigii rumore & populi studio ad Archiepiscopum Hieronymum de Loaysa delatis, ipse subitò adveniens multitudinis ardorem contemplatus concessit, ut laxatis foribus omnes admitterentur, eo obtentu, quasi aquam miraculosam pro se quisque haustuti. Intrârunt omnis generis status que plurimi, Ecclesiastici, Nobiles, Viri, mulieres, senes juvenesque, ipse etiam Prorex Franciscus de Toledo, omnes non tantùm miraculi magnitudine attoniti, verùm etiam aquæ opportunitate læti, quam factis canalibus in plateas derivârunt, ut & sua monasterio clausura constaret, & suppeteret ex hac scatutigine sacra civium necessitatibus, quam plurimis infirmitatibus tanquàm medicam adhibuerunt, & fuisse sunt experti.

4. Febribus desperatè laborabat Nicolaa Rodriguez Nobilis Viri Petri de Salaçar uxor, cui hæreditaria erat erga Sanctum Nicolaum devotio, ex ea siquidem parentes eam illo nomine vocari voluerant. Hæc ergò in tãta adflictione maximè devotionis fervorem explicat factisq;

votis

votis Sancti patrocinium promereri studet. Ille nec surdus nec immitis per cervical ab ægrotante transire in habitu Augustiniano visus jussit eam esse securam, cui hæc infirmitas mortalis non esset. Quo viso mox spiritum resumpsit, & paulò post sanitatem.

5. Aliàs eandem Nicolaam malum invasit, ingens quidem sed quod omnis medicorum cohors ignorabat, quod dùm fortuitis remediis expellere conati sunt, exacerbatius reddiderunt & tandem desperatum. Hic illa nostrum sibi inter cælites medicum inclamare aggressa, eundem iterum propitium experta est. Nam transiens ante lectum decumbentis Nicolaus, *Infirmitas*, inquit, *tua deliquii genus est, & ut tale curandum*. Quod dùm faciunt medici brevi reddidêre sanitatem.

6. Nobilis mulier N. multos annos impatienter prolem expetiverat: illi filius nascitur, sed denascitur iterum post paucos menses; eum tamen mater sepeliri vetuit seu excessu amoris seu excellenti in cælites fiduciâ. Corpusculum ergò sindone involutum ad Ecclesiam defert & super altare S. Nicolai reclinat, ipsa lacrymis precibusque à mane usque ad horam post meridiem quintam illius Sancti patrocinium importunè sollicitans: tunc oculos puerulus aperuit, arridensque matri testis fuit irrefragabilis veræ resuscitationis. Simile Mauro cuidam accidisse ferunt, qui filiolum, ut ipse testatus est, mortuum in eodem altari deposuerat: hunc Sacerdos ibi celebraturus amoveri volebat: pater autem, ne amoveretur, plangendo rogandoque instabat, atque etiam obtinuit, simul ut sacrum in honorem S. Nicolai celebraretur, quod nondum erat absolutum cùm puer vivere visus est.

7. Anno M.DC. XXIV. Henricus de Castrillo Ordinis S. Iacobi Eques & equitum Præfectus occidit illum qui sibi mendacii injuriam irrogaverat; & asylum in Collegio nostro Sancti Idelfonsi quæsivit, sed quem ibi invaserunt febres periculosissimę. Vxor ejus Iacoba Loboguetrero viri periculo consternata religioso voto ad S. Nicolaum recurrit promittens cerâ pondus statuæ illius se, si convalesceret maritus, exæquaturam; factumque ut non tantùm sanitati restitueretur, sed & libertati, quam ei dedit Prorex Marchio de Guadalcaçar, ut Iacobo Termin piratæ, qui cum undecim majoribus navibus portui Callaoano illapsus erat, occurreret. Vxor desiderii compos facta etiam se mox voti debito solvit.

8. Miraculorum per paniculos in honorem S. Nicolai benedictos factorum velle inire numerum idem sit ac ateoam maris velle comparare. Multos annos in ædibus suis pinsuerat paniculos fidelibus distribui solitos Anna de Escarcena, mulier, si quæ alia, S. Nicolai studiosissima: factum autem fuit, ut, cum humanâ inconsideratione, quæ vigilantissimis sæpè obrepit, paniculi in furno die quâdam illi Divo sacrâ negligerentur, torrerentur omnes nigrescerentque instar carbonum extinctorum, quos proinde illa tanquàm inutiles in angulum aliquem officinę conjecit tristis & de S. Nicolao querula. Mittunt Sacristæ qui paniculos coctos ad se deferant, sed Anna non remisit nisi querelas & ustorum infortunium. Sed, quia plurimum desiderabantur, adest mox ad ædes ejus par Religiosorum integriores selecturorum. Illa horum diffidentiam non satis æquè ferens, *Intrate*, inquit, *& ipsimet projectorum inutilitatem inspicite*. Intrantes verò candidissimos omnes pulcerrimosque invenerunt, miraculo commutatos, ingenti Annæ famularumque rei consciarum stupore.

9. Si in domum nobilis virtuosæque fœminæ Mariæ de la Torre ingrediamur, ipsissimam ingredimur miraculorum officinam. Anno M. D C. X X I I I. Ludens cum coæva sibi Elvita de la Serna

formosissima puellus sex annorum cultro oculum alterius medium discecuit, & simul integrum penè Mariæ, apud quam orphana Elvira educabatur, cor, dùm propendentem extra orbiculum contuetur oculum. Illa anxia Inopsque consilii subitò paniculum molere, S. Nicolai interim patrocinium identidem implorare, oculum in orbiculum remittere, super eû molitum paniculum colligare, & in stratum reclinare, si posset, quieturã, dùm aliquis interea chirurgus advocaretur. Quievit non tantùm puellula sed placidè dormivit duas horas; post quas non priùs à somno exstitit libera quàm vulnere, permanente tamē non tàm vulneris cicatrice quàm quodam quasi vestigio in modum lineæ cristallinæ rectà à supremo ad infimū oculi projectę, quæ ita miraculi memoriam omnibus inspicientibus refricaret ut nullum visionis pręstaret impedimentum, sed adderet insuper pulcritudini ornamentum. Rogata aliquando à P. M. Antonio de la Calancha *nunquid discurrens per oculum linea visum offuscaret*; *tantùm*, inquit, *istud abest, ut etiam adferat claritatem: experta siquidem asscevero clariùs me sanato quàm intacto oculo quælibet contueri.*

10. Anno M.DC.XXV. ad mortis vestibulum febres deduxerant servulum (a) dictæ D. Mariæ de la Torre; periculi admonita, cùm pridie festi S. Nicolai paniculus pinseret, hortata ægrum est ut fiduciâ patrocinii S. Nicolai conceptâ paniculum licèt nondum benedictum sumeret: hanc benedictionis præventionem in subitis casibus miraculosæ operationi non obfuturam. Sumpsit, & post pusillum, *Hera*, ait, *dereliquerunt me febres*, quæ deinceps nunquam redierunt. Anno sequenti paulò ante S. Nicolai solemnitatem non minùs mortis periculum adibat alia dictæ Mariæ serva, cui illa non parùm adficiebatur. Hæc præter febris malum magnos sanguinis coagulari bolos frequens evomebat. Maria opis à Sancto Nicolao ferendæ, quam toties fuerat experta, quasi secura, etiam minari Sācto ausa est, Non pinsendos in posterum in suis ædibus panes, nisi famulæ redderet sanitatem. Et distulit aliquot dies operam suam, expectavitque servæ curationem frustrà. Tùm temeritatem suam accusans imminente jam festo solitum opus exequi & paniculos pinsere cœpit Maria, & simul servam, sed humiliùs, S. Nicolao commendavit: atq; eo ipso die nō febres modò sed omnis sanguinis eructatio defecit.

(a) ægrito

11. Anno M.DC.XXXI. medicorum judicio desperata erat salus Annæ-Mariæ de Vrdanivia Mariæ de la Torre filiæ, quod periculum eùm animadvertisset Ignatius de Vrdanivia Annæ frater, & ipse pœoniæ artis peritissimus

——— *Postquam mortalia cernit Tentamenta nihil, nihil artes posse medentûm,*

Auxilium cæleste rogat

idque per S. Nicolai, cujus Imaginem in cubiculo suspensam videbat, patrocinia, formâ usus precandi, quam non nisi plenus fiduciâ animus commendare potest. *Nisi*, aiebat, *integram, Divorum gloriosissime, valetudinem sorori restituas, nulla in posterum in his ædibus manus paniculos pinsent, nullus furnus coquet.* Vix tàm breviter oraverat eum mox ingens eum per integrum corpus stupor anxietasque invasit, steterunt erecti in altum capilli; locum fugiendo mutare, etiamsi conaretur, non potuit, visúsque sibi est sentire tergo suo instantem personam plurimùm adflictam. Atq; illo ipso temporis momento melius se soror habere cœpit, intraque pauculos dies surrexit integrè sana. Verùm quia in iisdem ædibus etiam F. Francisci Solano Limæ id temporis miraculis clari depicta erat & culta imago, incerti utri hanc præter naturæ modum curationem tribuerent, jactis sortibus, quæ tertiò S. Nicolai nomē reddiderunt, huic se patri credulitate & devotione addiderunt, more nec insusitato nec superstitioso. (b)

(b) S. P. Augustinus lib. 1. de doctrina Christiana cap. 28 & in epistola 180. ad Honoratum. Thomas 2. 2 qu 95. art 8.

12. Sæviebat Limæ in platea S. Crucis incendium, & jam ad ædes quasdam ad Mariam de la Torre spectantes vorando volandoque pervaserat: illa famulum properè misit, qui paniculum in furentes flammas immitteret, quas injectus ipso momento extinxit undâ omni, quam inutilem cives experti fuerant, in ignem potentior. Plura in ejusdem matronæ ædibus ac familia facta miracula refert P. Antonius de la Calancha. (a)

(a) lib. 1. cap. 18. num. 11.

13. Cum P. M. Alphonsum Pacheco visitasset Ioannes de Canseco Medicinæ Doctor; exque eo intellexisset egregium prorsus in se per S. Nicolaum factum miraculum, quod referetur dum vitam ejus describam, ab eo deflexit ad Ferdinandum Niño ætate gravem & quem herniæ molum frigidaque & extra ventrem prostantia plurimùm intestina morti proximum constituerant, narravitque quod ex P. M. Alphonso Pacheco audierat miraculum, cujus narratione excitatus paniculum malo extremo applicuit, &, dictu mirū, eo ipso tempore retracta sunt in ventrem intestina nullo herniæ vestigio, nisi quæ miraculum testaretur linea, relicto.

14. Nec minùs in domo Leonoræ nobilitate æquè ac virtute insignis fœminæ, quæ Ioanni de Mendoza nupsit, cultus fuit adr benevolus S. Nicolaus de Tolentino. Extra spem salutis laborabat Ioanna Leonoræ filia, sed applicatione panis integram sanitatem est consecuta. Ejusdem Leonoræ filius Gonsalvus Sacerdos mancipium habebat hecticâ febri irremediabili properans ad mortem; cujus miserens Gonsalvus, illud duxit ad S. Nicolai altare, oblatoque pro eo incruento sacrificio reduxit plenissimè sanum. Leonoræ serva parabilis genere constictabatur omnis medecinæ regulis mortali, & jam non aliud quàm supremus anhelitus expectabatur, quem applicatus paniculus prolongavit redditâ instantaneè salute.

15. Ad bruta etiam animalia horum paniculorum virtus se extendit, nam fractam molæ hero suo utilis & charę tibiam solidaverunt.

CAPUT VII.

De imagine S. Ioannis Saguntini Limæ miraculis celebri.



HÆC quarta, quâ Conventus Limensis famosus est, est imago: eā ex Hispania secum advexerat P. Didacus Salmeron in Peruviam missus ad corrogandas canonizationi illius servituras pecunias. 1. Et quamquàm variæ ejusdem Sancti imagines in diversis monasteriis; maximè Cuzcensi, Guamangensi, Arequipensi, aliisque, ut suis dicetur locis, sint miraculis commendatæ; nulla tamen hac Limensi est illustrior.

2. Anno M. DC. XXIII. XIV. Kalendas Iulias (b) ipso scilicet ejus festo die, qui tunc idem cum dominico erat, plurimis pretiosissimisque gemmis & lapidibus Divi hujus imago ornata erat. Et quod cultûs causâ factum erat, agazonis cujusdam furandi pruritum accendit. Qui vigilum invigilantiâ fretus maximam melioremque gemmarum partem clàm abstulit & aufugit. Hinc secutus eorum, qui gemmas concesserant, dolor & tumultus. Inter ceteros Dominæ Luisia & Catharina Manrique, quæ imaginem ita sumptuosè ornaverant, ferventiùs à Divo experunt ut furem detegat & furto ablata restitui cogat. Divus autem seu furti iniquitate indignatus seu motus cultorum suorum damno, seu harum provocatus precibus, fugientem per plateas cum gemmis agazonem insequi visus, causa fuit ut fur, in humeros

(b) 18 Iunii

tos respiceret,& vidit in habitu Augustiniano hominem sibi torvo vultu minitantem. Ille hinc cupiditate gemmarum possessus, inde terrore minitantis pressus incertus primùm quid ageret, cupiditati dein' cedens fugam persequitur, sed non evadit Augustiniani illius præsentiam aut minas tantò semper acerbiores quantò magis repetitas, ut tantum jam timorem angustiasque incuterent, ut mors non videretur terribilior. Nocte etiam sequenti hanc continuò vocem sibi audire visus est, *Redde gemmas quas furatus es.* Vt tot concussionibus ipsa jam cupiditas superaretur. Fur ergò ut ab his se molestiis expediret, confessario rem aperit, creditque, quas cōfessarius restituat, gemmas; quod fecit, & simul injectam per Divum furi restituendi necessitatem, eo, quo dictum est, modo, planè ex ipsa furis confessione recitavit; undè passim per totam civitatem cultus S. Ioannis Saguntini factus est celebrior.

3. Ioanni Fernandez de Vbitarte filia erat nomine Casilda, quam febris continua tamque intensa corripuit ut ad præsentissimam mortem perducta videretur: medici interim adhibere non desinebant, quę ex artis præscripto his extremitatibus didicerant esse remedia opportuniora; illa autem S. Ioannis Saguntini inclamatione se occupabat. Quodam die cùm illam pater desperatiùs, incremento caloris labotare perspiceret, audiretque illam multò ferventiùs S. Ioannis patrocinium invocare, rogavit Augustinianos ut dictam illius Divi imaginem in suas ædes adferrēt, quò eam filia præsentem ardentiùs posset honorare. Verùm, quod maximâ curâ servetur, exclusa Patris petitio est: alia tamē submissa est horâ post meridiem septimâ, quæ eadem fuit suæ curationis; nam momentaneè perfectam est adepta sanitatem. Quod beneficium ita agnovit Casilda, ut, quāquàm decimum-octavum annum ætate non excederet, habitum, quem Ordinis nostri Beatæ gestant, petiverit & obtinuerit, posteà in monasterio Incarnationis ejusdem Ordinis Religiosa facta vixerit vitæ perfectioris exemplum.

CAPVT VIII.

Successus aliquot notabiles qui Limæ acciderunt.



CRIBA quidam motum perditissimorum & projectæ luxuriæ ob-tētu quidem zeli erga Ordinem nostrū sed revera studio se vindicandi & infamandi Sacerdotem, accusavit eum apud Prælatum criminis pessimi. Lætus de vindicta domum properabat narraturus suis concepræ à se criminationis eventum. Sed non citiùs in ædes intravit, quàm in eum rabies; nam in ipso vestibulo ebrii instar ant à dæmonio possessi clamare cœpit, *Heus famuli adeste, ejicite à me istum Religiosum. Quid me vult iste Religiosus?* Cui cum respōderent non adesse, quem ejicerent, Religiosum, *Proditores*, ait, *& latrones, nònne videtis Religiosum illum huc ingressum ut ad se vindicandum me occidat? Quid enim aliud sibi vult turba illa deformium fœtidissimorumq, quos secum habet, tortorum? Heu, heu, jam jam me invadunt.* Clamabatque hæc voce adeò elatâ, ut ex vicinia concurrerint non pauci tristes miseri hominis spectatores, deinde testes futuri spectaculi miserioris. Nam manibus oculos occludendo continuò ejulabat, *Ejiciant à me Religiosum, qui, quod eum apud Prælatum illius criminis accusaverim, severè vindictam exigit, nam integram dæmonum legionem adduxit. Hei Hei Hei me, jam me occidunt!* inter quas voces infelicem emisit spiritum; incusso omnibus divinæ 1.

vinæ justitiæ suos Christos protegentis terrore, relictoque, quo cautiores redderentur, exemplo.

2. Anno M. DC. XXI. mancipio quodã Guineënsi utebatur Petrus Salguero, qui operam suam locaverat in villa Lucianæ Centenò viduæ ab Alphonso Garcia Ramon Chilensi, dum viveret, Gubernatore relictæ. Mancipium illud morbo periculoso correptum herus in civitatem atque in viciniam Collegii S. Idelphonsi, ut curaretur, adduxit. Monitum fuit periculi sui, atque ut sacrâ exomologesi peccata expiaret; sed monitores aversabatur; ipsusque gehennæ metus deinde à monentibus objectus aut adjunctæ preces nihil evicerunt. Instant ut sanctissima IESV & MARIÆ nomina pronuntiaret; irrisit. Christi aliarumque sacrarum rerum imagines, quas veneraretur, obtulerunt; excussit. Petrus Salguero his mancipii sui, quod semper Christianum crediderat & propter impensam fideliter operam diligebat, gestibus tristis, motusque Christianâ pietate, Lucianæ, quam noverat prudentiâ charitateque egregiam, rem aperit, quæ mox ad tugurium, in quo mancipium cubabatur, accurrit, observavitque nihilo, quàm quod ex Petro intellexerat, moderatius. Illa periclitantis animæ compatiens, &, ut erat, sagax, cogitatione omnes, quæ hujus in mancipio intemperiei causæ esse possent, percurrit, injectumque animo ejus est, fortè non esse Christiano ritu baptizatum: interrogare ergò cœpit quinam fuissent in baptismate patrini; advocati sunt qui habiti fuerant pro talibus, dixeruntque se quidem fuisse vocatos; verùm, quia præcedens herus eum vendiderat Petro Salguero, qui emptum mox rus ad labores abduxerat, baptismum fuisse intermissum. Rogati, cur ergò Michaël vocaretur, responderunt id à nautis, dùm in Peruviam veheretur, ut ab aliis distingui posset, factum. Luciana his instructa documentis ex vicino S. Idelphonsi collegio P. M. Michaëlem Romero Rectorem accersiri curat, qui & Lucianæ relatu & mancipii actibus miserum ejus statum edoctus, catechizare aggressus est, tanto quidem adfectu, ut ad petendum baptisma perduxerit, quod Romerus illi impertiit; tantâ quidem in servo mutatione ut qui autè eâ indignitate sacra omnia fuerat aversatus; jam Crucifixum miro pietatis sensu amplexaretur, oscularetur imagines, & Sacratissima IESV & MARIÆ nomina identidem pronuntiaret, seipsum illius misericordiæ & hujus patrocinio commendans, ut adstantibus præ gaudio lacrymas excuteret. Quæ cùm duas horas egisset servus ille Guineënsis, inter Crucifixi amplexus beatam animam exhalavit.

3. Alius ejusdem nationis servus, quem omnes Christianum credebant, ille numquam esse voluerat, extra spem salutis omnem ægrotabat, Mariæ tamen nomen aliquoties pronuntiaverat, atque agonisans, *Succurre mihi*, ajebat, *Virgo Maria.* (a) Nec defuit invocata, nam & voluntatem baptismi indidit, & vitam, donec eum consequeretur, produxit. Petebat ille magnâ anxietate ut aquâ salutari eum abluerent ac rederent Christianum, quod nũquàm fuerat. Sed ignorabat herus baptismi formam, & in plateas, ut aliquem accerseret illius peritum, egressus, non occurrit nisi indis, donec tandem illàc transiret fortè ex Ordine nostro F. Sebastianus laïcus multarum virtutum, qui Prælatorum jussu foras ad missionem egrediebatur. Ille ab hero introductus vidensque sollicitudinem quâ servus baptismum petebat atque observans mortis præsentiam, è vestigio eum petenti contulit: fuitque finis verborum formæ quàm F. Sebastianus pronũtiabat, initium perpetuæ beatitudinis ad quam evolabat servus, insigni Divinæ Prædestinationis documento.

(a) Valgame la virgen Maria.

4. Et quia Limæ versamur, quædam quæ ibidem contigerunt, ad divinæ in Sacramentis virtutis, & severæ

severæ castigationis commendatio-nem adjungam, licèt nullius ex ordine nostro Religiosi opera intervenerit. Anno M. DC. XXIII. expositus fuit in ædibus Centurionis Mireles recèns natus infantulus, filius, ut creditum est, civis præstantioris ex quadam quæ vulgò virgo habebatur & honesta. Adfixa infantulo sceda baptizatum testabatur & vocari Antonium. Quâ fide educatus fuit usque ad annum ætatis quintum non minori charitate quàm si ex ipso Centurione genitus fuisset. Tùm morbo correptus gravi mortalique infans clamare cœpit, *Baptizate me ecce enim morior*, frequensque eadem & similia repetebat. Sed credita hæc fuerunt velut ægrorum somnia aut deliramenta, vel certè infantis inscitia, quamquàm non pauci observarent admirarenturque rogandi in tenellula illa ætate sollicitudinem, quam neque præsentium blanditiæ, neque signa silentii data poterant impedire. Quin & dùm quisquam eum baptizatum diceret, incũctanter respondit se non esse. Rogatus undè se non esse baptizatum sciret, anxiè fervidèque reddidit se id certò scire, proindè baptismum non differrent mox morituro. Præsentes incunctabundo puelluli responso & supra ætatem gravi attoniti divinæ Prædestinationis profunditatem venerari cœperunt, reflexique ad generationis & expositionis modum horamque, resolverũt dandum baptismum infanti tam anxiè in his circumstantiis petenti, præsertim cùm tàm parum sit obstetricum de veritate baptismi attestationibus deferendum. Baptizavit ergo eum Parochus quidam S. Annæ cum signis exsultationis mox à baptismo exspirantem.

5. Ioannam de Aranda Lima extulerat, nutriebatque honesto & virtutibus ornato viro nuptam. Hęc frequẽtatione Sacramentorum variisque pietatis operibus studiosè se exercebat. Sentiebat tamen quidpiam, quod eam in sanctis his exercitiis turbabat & planè conabatur ab iis avocare: eratq; illi hæc inter sacros illos impulsus, & violenta, uti videbantur, impedimenta lucta molestissima, quam tùm suis tùm emendicatis aliorum orationibus superare tentabat. Celebris tunc fama erat cujusdam Religiosæ Discalceatæ in monasterio S. Iosephi, per quam divina potestas mirabilia operabatur, ut variis Archiepiscoporum Vicariatuumque informationibus constat. Visum ergo Ioannæ fuit hanc adire, ac bellum suum intestinum enucleatè explicare. Quod dùm exequitur, sensit Religiosa ab interiori sibi magistro dici, Ioannam non esse sacro fonte ablutam. De patriis ergo, cùm Ioanna absolveret, Religiosa quæstionem instituit. Ioanna autem respondebat à Magdalena Mathæ, apud quam fuerat educata, inquirendum. Hæc vocata dixit non alio se documento de baptismo Ioannæ fuisse instructam quàm affixâ expositæ scedâ cum hac inscriptione, *Hanc pro honore Dei infantulam recipe & ale, baptizata est, & nomen ei Ioanna.* Ioãna insuper per omnes parochias inquisitione de testimoniis sui baptismatis factâ, nullisque inventis, ad eamdem Religiosam rediit, omniũ relationem redditura. Cui Religiosa certum sibi ait non fuisse baptizatam: consuleret Theologiæ peritos, exposceretque eorum, quid in ea re faciendum esset, judicium. Consuluerunt illi in secreto ut baptismum reciperet. Recepit eum in Ecclesiâ Cathedrali quæ & illi erit parochialis; subitòque magnâ animi claritate sensit omnibus turbationibus extinctis solùm in se divinos illos ad Sacramenta, Missas, resque pias impulsus dominari & augeri, quibus illa totâ animâ obsequens ingentes meritorum acervos cumulavit, numquam divinæ immemor ergà se clementiæ.

6. Mortuâ Limæ (a) Augustinâ de Velasco oriũdâ de Saña, Ioannis Maldonado uxore, matre verò Antonii Maldonado Sacerdotis, ipsâ nocte diem sepulturæ insequen-

te, mi-

te, miseri terribilesque ante filii Antonii lectum gemitus auditi sunt, quos matris esse Antonius statim agnovit, maritus autem totaque familia exhorruerunt. Creverunt secundum dierum successum suspiria defunctæ, & vivorum secundum suspiria terror, quos mutare ædes coëgit. Sed insecuta est ejulatibus fugientes: qui deindè toti ad cæleste auxilium confugerunt, maximè verò precum Discalceatæ illius Religiosæ fiduciâ. Hæc supplicantium addictione mota orationem dies aliquot continuat, post quos apparens Religiosæ defuncta maximis conclusa tormentis nomen edidit, qualitatemque. Rogata cur tantis terroribus proprias ædes repleret, ac familiam olim suam, & præsertim filium Sacerdotem persequeretur, *Filius*, inquit, *iste meus aliquando S. Francisci Religionem amplexus, nostris lacrymis importunoque rogatu, quia illo carere summo mihi supplicium videbatur, habitum susceptum dimisit, & quia spiritualem ejus profectum corporali consolationi meæ posthabui, purgatorii pœnis sed gravissimis irreligiosum illum matris adfectum luo. Sacrificia quidem orationesque pro me oblata pœnarum acerbitatem minuerunt; & eripiar ab omnibus, si ille ipse filius, etiamsi jam non Franciscanum Ordinem, quem meâ causâ dimisit, resumat, certè Tertiæ ejusdem Sancti Regulæ se adscribat, dicatque novem ac unam cantet ad altare Conceptionis B.mæ Virginis Matris missas, per summam Dei misericordiam cœlesti felicitate in perpetuum fruitura.* His dictis videri audirique desiit defuncta: Religiosa verò accersito ad se filio & matris apparitione prudenter dissimulatâ, eò sermonẽ deflexit ut interrogaret, nũ aliquando aliquod capessendæ Religionis desiderium habuisset. Ille ex ordine eadem, quæ mater dixerat; respondit. Tum Religiosa extra illusionis periculum secura suasit. filio, ut Tertiæ se S. Francisci Regulæ adscriberet, novem diceret in Conceptionis altari missas ac cantaret unam: sperare se ut his factis requies detur defunctæ, pax autem vivis reddatur. Fecit filius quod Religiosa suaserat; & experti sunt omnes quæ futura prædixerat, nullis posteà gemitibus auditis ac domo in pristina pace constitutâ. Alios quosdam successus P. M. Antonius de la Calancha studiosum edocebit. (a)

(a) lib 1. cap 49.



HISTORIÆ PERVANÆ LIBER VII.

Capitulum Peruviæ tertium .i. ab anno 1557. *usque ad* 1560.

CAPVT I.

Capituli acta decretaque.

1. QVÆ de Lima interserui[m], quod nec scitu injucunda sint neque inutilia, facilè, ut mihi quidē blandior, veniam digressionis à benevolo lectore impetrabunt. Post quæ ad ordinem nunc temporis redimus illa tractaturi, quæ ab anno M. D. LVII. in triēnium proximè sequens digna posteritate æstimabuntur. Comitia Provincialia Limæ ad Idus Maii (a) à P. Andrea Salaçario indicta veteris habuerunt humilitatis & honorum fugæ exemplum: nam adeò nullus aliorum pro se suffragia emendicavit, ut etiam absens, qui ea precando à se divertere non posset in Provincialem eligeretur P. Ioannes de Sancto Petro, qui tunc *Guamanchuci* (centum Limâ abest leucis) prædicatione evangelicâ distinebatur. Definitores horum Comitiorum fuerūt RR. PP. Andreas Salaçar sive de Iesu, Andreas de S. Maria sive Ortega, Ioannes del Canto; & Ioannes Ramirez. Ordinata sunt. Religiosi, qui *Chachapoyarum* & *Conchucorum* (utrique plus centum leucis Limâ distabant) conversioni & instructioni insistunt, de familia reputentur Limensi, dùm Prior erit (vetere id more fiebat) eligendus. Artes liberales Philosophiaq; à quolibet Priore suis subditis tradantur, ut fratres meliùs instituantur & doceantur ad ea, quæ Ordinis sunt, peragenda. Sex præterea Religiosi deputati sunt, quorum unicum esset studium ad missiones se, quando peterentur, præparare, exacuendo se charitate Dei ac animarum zelo ad quævis seu agenda seu perferenda; & idiomata illarum gentium, quot possent, addiscendo. Vngebantur scilicet & quasi boni athletæ exercebantur; nam in multis sæpè errare necesse est imparatum, & ad occursum difficultatum fugere inexercitatum. Et fuit sanè tàm ingens à Spiritu Sancto nostris datum linguarum donum, ut nulla fuerit, quantumcumque essent variæ, quam, non dico non didicerint sed non docuerint Augustiniani, magnâ & suâ gloriâ & gentis barbaræ utilitate. Limensi monasterio P. Andream de S. Maria; Guamachucensi P. Antonium Loçanum, quos ipsi Conventus elegerant, præesse suâ confirmatione voluerūt. Ipse, qui ad Capitulum convocaverat Provincialis P. Andreas Salaçarius, nec Superioris officium nec novitiorum curam est dedignatus, admirando humilitatis exemplo.

(a) 15. Maii 1557.

CAPVT

CAPVT II.

Secunda Augustinianorum in Peruviam trajectio.

1. BEATVM Ioannē Stariū in Hispanias profectum fuisse, profectionis ejus causas, daras que rerum agendarum curas suprà (a) executi sumus: inter has non minima erat educere ex Hispania in amplam Peruviæ messem operarios sui Ordinis copiosiores. Quæ ubi scita per Hispanias fuit, plurimi seu suavi hominis genio ac sanctitate illecti, seu zelo animarum, quarum multæ myriades in infidelitate doctorum defectu peribant, permoti, sacræ se expeditioni offerebant. Hanc autem distulit superveniens Ioannis, antequàm ex Hispaniis egredi posset, mors, (b) ab ipso quidem expetita, verùm Confratribus gravis, & nascenti in novo mundo Ecclesiæ damnosa.

(a) lib. 5 cap. 3. num. 17. 18. & 19.

(b) ibid.

2. Effecerat porrò Ioannis authoritas vitæque innocentia apud Regem Catholicum ejusque ministros ac Ordinis Prælatos, ut missus posteà anno M. D. LVI. à P. Andrea Salaçario cum iisdem instructionibus P. Petrus Cépeda, vir in quo, incertum, virtus palmam ferret an multijuga eruditio, omnia brevi in Hispania perficeret feliciterque. Rex namque Philippus patente suo Cæsare seu erga Ordinem Augustinianum adfectu seu liberalitate non inferior, ejus literas (c) non cōfirmavit modò, sed & ampliavit, medicinis dari jussis cuicumque illuc advenienti Augustiniano: reiterato insuper de exstruendis regiâ pecuniâ monasteriis patris mandato, quod nondum satis ministri explevezant; vitio aulicorum non inusitato, qui largitiones Principum Ecclesiasticis factas eludere aut differre conantur; sollicitudinis quidem de ærario Regio prætextu, revera autem ut ipsi eos suas emolumentaque curent.

(c) lib. 4. cap. 5.

3. Fuit item Regis cura non exigua ut nova in Peruviam Augustinianorum, quos egregiè utiles seu barbarorum conversioni seu statui suo firmando fuerat expertus, cohors transmitteretur. Hæc, etsi plures certatim insisterent, numero undecim susceptorum expleta est; sed hominum selectissimorum, & quos non nobilitas sanguinis in plerisque, aut animus & animus magis, quàm probata virtus scientiaque reddebant invincibiles, quorum nomina cum scripta esse in libro vitæ arbitremur, eadem nostro ad alias terras posteritatemque scripto transmittimus. Fuerunt ergo.

- *P. Didacus Gutierrez.*
- *P. Ioannes de Bibero.*
- *P. Didacus de Carvajal.*
- *P. Luisius Lopez de Solis.*
- *P. Luisius de Cordo.*
- *P. Didacus Hernandez.*
- *P. Didacus de Valverde.*
- *P. Andreas de Villa-Real.*
- *P. Didacus de Dueñas.*
- *P. Ferdinandus de Cruce.*
- *P. Chrysophorus Badillo.*

Quorum omnium laudibus locum in sequentibus lector inveniet.

4. Navim conscenderunt in portu de S. Lucar de Barameda anno M. D. LVIII. VIII. Idus Februarias: (d) neque moribus suis ac vitæ ratione in ipsa navi servatis minorem apud omnes, quàm qui primi illuc profecti fuere (e) æstimationem sunt consecuti, quam alibi notasse me memini. (f) Literæ ipsis datæ fuere in Comitiis Provincialibus anno præcedenti in Maio celebratis in hunc finem conscriptæ, charitate erga Conventos suos in Indiis existentes, & studio conversionis Indorum sanè commendabiles, quas proinde annectimus.

(d) 6. Febr.

(e) anno 1551.

(f) lib. 4. cap. 4. nu. 7.

5. Mut

5. *Muy Reverendo Padre y Padres nueſtros, la gracia y favor del Eſpiritu Santo ſea ſiempre en guarda de Vueſas Reverẽcias. Segun la buena informacion, que aca tenemos, del gran cuydado y ſolicitad, que Vueſas Reverencias tienen al continuo egercicio, para que nueſtro Señor los llamò y eſcogiò a la predicacion de ſu ſanto Euangelio entre eſas diverſas naciones, alabamos a ſu divina Mageſtad y le ſupplicamos con continuas oraciones, las tenga y ampare con ſu ſanta mano, y infunda ſu Santo Eſpiritu dandoles nuevas fuerças para paſar por ſu ſanto amor tan continuos trabajos como cada dia ſe les ofreceràn. Y aſi les rogamos que pongan delante ſus ojos, quien es el Señor por quien los padeçen, y qual es el galardan que les eſta aperejado en la bienaventurãça del cielo, porque deſta manera les ſeran muy dulçes y muy agradables.*

En eſte preſente año de mil y quinientos y cincuenta y ſiete nos juntamos en eſta villa de Dueñas a noſtro Capitulo, como lo tiene de coſtumbre nueſtra ſanta Religion, donde con el favor divino ſaliò por Provincial a quinze de Mayo el muy Reverendo P. F. Franciſco Serrano, y por difinidores los muy Reverendos Padres F Diego Lopez, F. Pedro de caſtro, F Iuan de Guevara, y F. Iuan de Palencia, y preſidiò por Vicario General el muy Reverendo P F. Alonſo de Orozco: y proveidas las coſas que tocan a eſta Provincia de Eſpaña, nos a parecido proveer las que a eſa ſanta Congregation convienen conforme a lo que ſomos informados por el Padre fray Pedro de Cépeda.

Lo primero mandamos que ſe guarde la inſtrucion que diò el muy Reverendo P. F. Franciſco Serrano, que entonces era Provincial quando a eſas partes paſaron, en la qual ſe contiene el modo y manera que ſe a de tener en la eleccion del, que huviere de ſer Provincial en eſas partes, y otras coſas que en la dicha inſtrucion ſe contienen, a la qual nos remitimos. (a)

(a) habetur lib.4. cap.4.

Iten, damos facultad que por la falta preſente que de Religioſos ay, paſados tres años pueda ſer reelegido el Provincial, y que los difinidores del Capitulo paſado puedan ſer reelegidos al meſmo oficio, no aviendo numero de electores que paſe de doze adelante. Y los eſcrudiñadores, que fueron para elegir Provincial, puedan ſer elegidos en Provincial; y que los Priores puedan ſer reelegidos, porque tenemos informacion que aſi conviene.

Iten, que por quanto tenemos informaçion que algunos Religioſos de las otras Ordenes, que a eſas partes han paſado, piden algunas limoſnas con zelo piadoſo para embiar à ſus Padres o parientes, de lo qual ſe ha ſeguido algun eſcandalo y mal egemplo en eſtos reynos (porque dan titulo de propriedad a lo que parece alla a los tales piedad o amor.) Por tanto ordenamos y mandamos en virtud de ſanta obediencia, que ningun Frayle de los de nueſtra Orden ſe atreva a pedir la tal limoſna ſin eſpecial licentia por eſcrito del Provincial que fuere, taſandole la cantidad que huviere de pedir, eſto es al tamaño de la perſona, a quien ſe ha de embiar, y no al del deſeo de quererlos enriquezer; y deſpues de pedida, el meſmo Provincial con los Difinidores embien la tal limoſna conſignada en nombre de eſa Provincia a los tales padres o pariẽtes del dicho Religioſo, dandoles a entender que la Provincia ſe lo embia por ſocorrer ſu neceſſidad; y eſto ſe guarde aſi, y ſe cunpla para evitar los tales eſcandalos, que oca ſe recibẽ de embiar frailes dineros, que no es juſto que el amor de la ſãgre deſtruya el voto de la pobreza; y ſi alguno con poco amor de Dios, lo que Dios no quiera, quebrantàre eſte mã dato, ſiendo convencido, por eſtas preſentes lettras le privamos de voz activa y paſiva haſta que por el Provincial y difinidores de eſa Provincia ſea diſpenſado con el tal, y por un mes padezca la pena de la grave culpa, ſegun nueſtras Conſtituciones diſponen, y ſea privado de la dicha limoſna: y mandamos a todos los Prelados y Religioſos a cuya notitia eſto viniere, luego lo manifeſten al Provincial para que egecute las penas ſobredichas en el tal delinquente. Dada en nueſtro Convento de Dueñas a veynticinco de Mayo de mil y quinientos y cinquenta y ſiete.

6. Tantus erat in ſervandâ paupertate rigor, ut cũ naturali filiorum in parentes pietate pugnare videretur, niſi Religioſo commento & hãc & illam convenire poſſe docuiſſent, miſericordiâ per Ordinis Prælatos parentibus

parentibus impeusâ, quam per filios fieri prohibebant, ne horum in parentes studium degeneraret in irreligiosum, loco eleëmosynæ, quæstum. Tantus etiam erat humilitatis amor & fuga officiorum, ut facultate reelectionum factâ nullus unquàm fuerit usus.

CAPVT III.

Augustinianorum intereà in Peruvia occupatio, nominatim P. Antonii Baeza & P. Francisci Tristan.

1. VM hæc in Hispaniis geruntur, Rexque ac Ordinis Prælati incremento Augustinianorum in Peruvia summo studio incũbunt, ille temporali indigentiæ, quæ una maximos sanctissimosque conatus extinguere potis est aut reddere lentiores, succurrendo; hi operarios ad opus à cælo, à Rege, à se intentum mittendo animandoque sacris Instructionibus: Ipsi, ut tantis Regis favoribus digni haberentur, opinionemque de se in Europa pervulgatam non in solo paterentur titulo consistere, fervidè cœptum munus, quà Hispanis quà Indis subveniendo, prosequuntur. Certè ipsi magna pars fuerunt quod S. Andreæ hospitale ad eum, quem supra (a) descripsimus, splendorem à Prorege Andrea Hurtado fuerit perductum, parvis omninò initiis nasci cœptum. Ea autem hęc erant. Anno post Christum natum M. D. LII. Franciscus Molina Sacerdos Hispanorum, qui cùm plurimi ex Hispanis auri cupiditate pellecti in Peruviam accurrerent ac aëris ciborumq; diversitate facile infirmarentur procul à suorum solatio, miseratus, conduxit ædiculam, in qua duos primùm curare otsus est: crescebat numerus infirmorũ ad sex, deinde duodecim crescente cum eo charitate, sed non mediis quibus aut majorem conduceret domum, aut suppeteret quod ęgris ministraretur. Ibi Augustiniani pium Francisci institutum probantes, modis omnibus nisi sunt promovere; quare nunc pro concione populum ad misericordiæ opera permovere, nunc stipem cum Francisco pro infirmis colligere in deliciis habebant: factumq; horum auxilio, ut non constaret modò hæc ægrorum curatio, sed augerentur etiam eleëmosynæ quibus jam quadraginta sustentarentur. Continuata hæc pro infirmis Hispanis sollicitudo est usque ad annum M. D. LVII. quo Prorex advenit Andreas: cui, cùm operis necessitatem cùm Franciscus tùm nostri non difficulter, ut erat misericors, persuasissent, ipse ædes, adjunctâ insuper Ecclesiâ, exstruxit (in quibus ultra ducentos simul curantur eâ charitate, opulentiâ, nitore, & splendore ut alibi (b) memoravimus) non contemnendo quidem Sacerdotis Francisci & Augustinianæ charitatis monumento, laude certè Proregis immortali.

(a) lib. 6. cap. 1. num. 10.

(b) lib. 6. cap. 1 num. 10.

2. Et hæc quidem præter aliorum infirmorum visitationes, conciones, confessiones, sacrificia Hispanis impensa à nostris cura; sed & major Indis fuit. Præter sumptuosissimum siquidem ditissimumque S. Annę nosocomiũ, quod illis erexerat Illustrissimus Hieronymus de Loaysa ex sacro Dominicanorum Ordine Limensis Episcopus tertius, & primus Archiepiscopus; vir omnium sæculorum memoriâ dignus, vitæ nostrorum uti quotidianâ conversatione inspector, ita æstimator præcipuus ac præco; illorum conversioni viribus omnibus Augustiniani, adeptâ barbarorum idiomatũ notitiâ, incumbebant fideique colla

ſubmittebant non pauci, fortunatiori, quàm ſperari poterat, ſucceſſu, ita primùm adventitiam Chriſtianorum fidem, enormibus primorum Hiſpanorum flagitiis illius gentis animi exaſperati averſabantur. Cui obſtaculo aliud etiam ſuperaddidit dæmon, qui abſtruſioribus illarũ linguarũ vocabulis, nationi exteræ nõdum cognitis, reſponſa dare cœpit, ſdoq; exemplo ſpecie elegantię dignitatiſq; præcipuos ad idem faciendum invitavit, ſeverè interdicens, ne hunc loquendi modum quemquam Hiſpanorum edocerent. Sed ceſſêre tandem etiam hæc diabolica commenta divinæ illuſtrationi & improbo labori noſtrorum Apoſtolorum, præſertim cum jàm contra has veternoſi inimici technas educere poſſent longâ conſuetudine edoctos, & enutritos in Aſceterio Limenſi milites. Inter primos fuêre P. Antonius de Baeza & P. Franciſcus de Triſtan, non mutato militiæ, quam in mundo ante Religionis initiationem glorioſè geſſerant, nomine, ſed genere; homines ſueti vincere, nunc cum principibus ac poteſtatibus tenebrarum colluctaturi.

3. Antonius quidem nobilitatem traxerat ex antiquiſſima Baezarum domo, Vbedæ non minus ac Granatæ famoſa ibi origine, hîc habitatione. Sed hanc omneſque quas habebat, conſequique promptum erat, divitias præ Chriſti amore cotempſit, habitu, quo Eremitæ S. Auguſtini uti ſolent, aſſumpto in monaſterio Limenſi. In tyrocinio virtutes exercuit veteranorum: hæ erant, humilitas; oratio & flagellationes per integras pænè dies noctelque continuatæ, ſui contemptus mortificatioque tunc magis illi uſitata, cùm ſpecies objicerentur deliciarum atque oſtentationum præteritarum, vilia autem miniſteria in deliciis nunc computabat; perpetuus ſine requie labor, eò hilariùs factus quò major; prompta in omnibus obedientia; adfligentium ſe proſecutio. In ſumma, nihil ab eo difficile præ præmii, quod ſperabat, magnitudine reputabatur; ut brevi etiam perfecerit ſe in ſcientia quam ſibi, quam Indis utilem fore judicabat.

4. Quas cum in Antonio virtutes frequentatione noſtri Conventus obſervaſſet Ferdinandus Gonzalez inſignis Ordinis benefactor patruus alterius Ferdinandi Gonzalvi de la Torre, ſuâ in Regem fidelitate, in Ordinem meritis ſupra (a) à me commendati, dictum Religioſum vix profeſſum mox Sacerdotio, rato apud nos privilegio, initiatum elegit petivitque ſuis Indis ſacri Euangelii præconem & Sacramentorum adminiſtrum. Indi hi *Pachacamenſes* erant, populi ut olim numero, opibus, ac dignitate præcipui, ita vitiis, quæ hæc conſequuntur, effluentes obdurati, obcœcatique. Nomine autem *Pachacamac* apud illam gentem exprimi ſeu prę-puum apud ipſam Deum, ſeu oppidum ob ſumptuoſiſſimum illius in eo templum (*guaca* illis dicitur) ſeu Provinciam, ſuprà (b) memoravimus, tùm nonnulla illuc pertinentia. Hic quædam de *guaca* ſplendore adjungere operæ mihi pretium videtur.

(a) lib. 4. cap. 2. nu. 5. & cap. 5. nu. 2 & 3.

(b) lib. 4. cap. 1. nu. 3.

5. Templi ſeu *guaca* inferior circumferentia octavæ unius leucæ parti coæquabatur: altitudo eminens & ſcitè correſpondens: ſpatium omne ſeu altitudinis ſeu latitudinis in atria, aulas, cubicula, porticus, egregiè ex arte diſtributum, quorum parietes variis animalium ſævorum, ut leonis, urſi, tygridis aliorumque, paſſerum item marinorum figuris depicti cernebantur. Infima cubicula minora erant, in habitationem (ita putatur) ſervorum, quibus Sacrificuli utebantur. In ſecunda contignatione habitacula ipſorum Sacrificulorum. In tertia & quarta aliorum, prout in Sacerdotum genere magis minuſve eminebant. Suprema *guaca* aula Regis ſeu Iugæ erat ipſo ſuo aſpectu pulcerrima. Trochleam ad Orientem conſtituerant: altare, in

quo

quo corpora sacrificabantur humana, Occidentem occupabat. Sacrificiis verò animalium altaria Meridionale Septemtrionaleque fuerant, nec sine egregiâ arte, deputata. Inventam in ea inter testas ab Hispanis ajunt vulpem ex auro puro, voluntque id indicio esse vulpem ad præcipua solere sacrificia adhiberi. Quia tamen *Pachacamac* Deum reputabant invisibilem, nullam statuam templum habuit. Erat autem *Pachacamac* eodem apud Indos, atque apud Turcos *Mecha* cultu celebre. Consistebant ibidem Virgines Soli sacræ, illorum linguâ *Mamacona* dictæ non minori, quàm apud Romanos Vestales veneratione. Solem ergo venerabantur sed cultu, quàm *Pachacamac* exhibebant, (a) Pachacamac. longe inferiori: hujus (a) enim nomen nefas erat pronuntiare; cùm (b) Solem. illum (b) in ore haberent frequentissimè: hujus item nomine verum Deum, quamquàm ignorantes, exprimebant: qui proinde nonnullorum mentibus claré se aliquando insinuabat, infinitâ ejus misericordiâ imperscrutabilem justitiam superante. Referam successum luculentum hujus misericordiæ unum ex tot infidelium myriadibus, quos meritæ damnationi justitia servabat obnoxios, eripientis testem.

6. Ipso, quo Cuscum Hispani occupaverant spoliabantque, die, ferebatur eodem, quo cæteri, prædæ tam opulentæ impetu Alphonsus Ruiz Trugillo in Estremadura oriundus, spoliationi cædibusque, ut alii, indulgens. Exilit autem illi ex quadam domo obviàm serenissimâ lætissimâque facie Indus dominus domus, dicitque, *Auspicatò venerìs, plusculi, ex quo te operior, dies effluxerunt: Pachacamac in somnis mihi promisit non me moriturum ante quàm ab adventitiâ gente edocerer certam, quamq; observare oporteat, legem, quam toto vitæ decursu desideravi: nec ullus dubito Te mihi advenisse hujus legis doctorem.* Alphonsus incongruo cædibus occursu lætantis Indi attonitus, cum multa de auro actæ vitæ ratione moribusque sedulò quæsisset, intellexissetque eam secundum gentis legem fuisse inculpatam, nulli nocuam, plurimis utilem, gavisus prima fidei Catholicæ mysteria aperuit, & quia ad discendum Indus erat avidissimus, triduò edocuit; tùm accersito Sacerdote baptizavit, summo gaudio non magis Sacerdoris, patrinique, quàm Indi, qui non ita multò post hilari morte defunctus est. Alphonso autem Ruiz propter impensam hanc infideli pietatem, neglectâ diripiendi ex spolio tam favente occasione, divinâ inspiratione datum primò, ut injustè ibi accepta plus quinquagies mille pesa restitueret; tùm ut exiguo pago sibi à Cæsare juxta Trugillum cum censu parvo attributo non tantùm ipse pacificè sit fruitus, sed & gaudeant hæredes, cùm cæteris, qui amplissima ex Cusco spolia retulerant, non sufficiant, quibus vescantur, panes, pœnâ bonorum malè quæsitorum inseparabili.

7. Ad Antoniū nostrum ut revertamur, ille ad *Pachacamenses* Apostolus missus est. Erant autem non pauca quæ apud ipsos Euangelii prædicationem reddebant difficillimam, quæque sanctos aliorum conatus hactenus eluserant, populus frequens atque ex omnium collluvie collectus, affluentes divitiæ deliciæque, magnatum luxus, Sacerdotia opulenta, venefici honorati ac magistri errorum, templi seu *guaca* majestas & veneratio summa, quæque apud illorum mentes evincere poterat ne vilis idololatria haberetur, & subdola fraus Dæmonis modò explicanda.

8. Prædicationis exordium ipsis Doctoris Gentium ad Athenienses verbis fecit (c) *Per omnia superstitiosiores vos video: Præteriens enim & videns simulachra vestrâ inveni & aram in qua scriptum erat IGNOTO DEO: Quod ergò ignorantes colitis hoc ego annuntio vobis &c. Deum prædico, qui mundum universum, qui vos condidit, invisibilem intractabilemq;, quem adoratis; non tamen illum qui sub istorum* (c) Act. 17.

verbo-

verborum larva delitescere cupit, vosq; decipere & perdere. Hic dæmon est, inimicus humani generis, quem neque sine abominationis signis (spuere ipsis mos erat) *Zupay nominatis. Impostor tamen ille se contemni à vobis videns, aliis modis ab iisdem obtinet venerationem: responsa dat in simulachris, in templis, in angulis, crediq; se vult esse omne id cui tribuitis divinitatem.*

9. Atque in hunc quidem modum Antonius orabat, sed nullo fructu, donec majori spiritu agitatus arrepto Crucifixi simulachro impotentiam ipsis suorum Deorum exprobrando prosequitur, *Crucem videtis in simili Iesus Salvator noster pependit, & cæteris omnibus virtutem impertiit potentiâ omnium Deorum vestrorum majorem: nam ad hujus conspectum Deos vestros falsos tacere quin & fugere percipietis.* Dixit hæc magnâ in Deum fiduciâ, nec minori in ipsa eorum *guaca* seu templo Crucem collocavit. Neque confundi in se sperantem passus est Deus, nam ab hinc non nisi fremere, minari queri auditus est, qui antea superbis oraculis tyrannidem, & sacrificiis divinitatem affectabat. Iamque eorum implorabat auxilium quos ante impulerat ad sibi sacrificandum. Expoluit etiam Antonius in eodem templo sacratam hostiam, cujus certè virtutem maximè fraudulentus ille deceptor est expertus: nam ab ipso illo momento non tantùm templo sed toto pulsus territorio fuit. Fugiens tamen, ut vel tunc deceptionis reliquiæ aliquæ restarent, obviis quibusdam, quosque præcipuos habuerat sui cultus zelatores, dixit, se non in exilium ire Crucis aut Sacramenti potentiâ compulsum, sed cùm Christianorum Deus idem sit secum, sed suâ potius indignatione, quod suos antè cultores cerneret baptizari.

10. Hæc relata Antonio sunt, qui opportuniùs ad aperiendas deceptoris technas non voluisset argumentum: accepta ergò occasione, *Videtis, inquit, & ut credo, palpatis Deorum vestrorum mendacia, qua hactenus oracula reputastis. Si Deus Christianorum ipsiq; unum essent, neque ipsi illum abominarentur, neque minarentur illi obedientibus; laudarent potius ac remunerarent quotquot ad Baptismum, quem lex Christianorum jubet, convolarent. Aut si ipse est qui mortem in cruce subivit vel præsens est sub consecrati panis figura, cur ascone sui-ipsius obmutescit aut fugit?* Quæ cùm clarissima certissimaque auditoribus visa essent, tædio tot mendaciorum, quibus se tanto tempore fuisse illusos pudebat, ultrò Diis suis templòque injurias insultare ausi sunt; *Isti ne*, aiebant, *Dii sunt quos lignum reddidit elingues, aut bolus panis fugitivos?* Quare iùi maiim ad audienda novæ fidei rudimenta ac baptismum confluebant: & inter eos non pauci veneficiorum ac idololatriæ præceptores, quod maximi semper momenti in quarumcumque conversione gentium habitum fuit, ut qui fuerant magistri errorum, discipuli fiant veritatis. Quibus verò fides nova displicebat (displicet autem semper plurimis) aut major liberæ vitæ erat cura, seipsos in exilium ejecerunt.

11. Tribus ita annis in messe illa *Pachacamensi* operatus est Antonius, post quos ipso aliò mandatis Superiorum evocato suffectus est P. Franciscus Tristan, natus mundo Hispali *a*) Religioni Augustinianæ, Limæ; ubi egregiâ modestiâ, mortificatione, penitentiâ, paupertatis amore, improbitate laborum & ingenii acumine magnam fuerat laudem consecutus. Excelluit verò, quodque hujus maximè loci est, zelo animarum, quo omnibus omnia fiebat, sufferendo rusticitatem ignorantiamque Indorum, dissimulando injurias, infirmis succurrendò & rigidè veneficorum & idololatrarum relapsorum obstinationem confringendo. Et sanè si qua in prædicante apud Indos virtus requiritur, audacia est: hâc præditum venerabuntur, contemnent timentem. His autem virtutibus non minorem apud Pachacamenses fructum fecit quàm fecerat Antonius.

(*a*) Sevilla.

Cui

Cui etiam accessione pagorum de *Mala, Chilk*, & *Manchay* labor crevisset, nisi in eorum societatem P. Didacus Flores advenisset. Qui cùm eos solus portare posse videretur, & ne vicinorum negligeretur salus Franciscus in Provinciam *Cajamarca* operam transtulit, fœcundoque proventu impendit. Est autem *Cajamarca* primâ Francisci Pizarri in Peruviam expeditione, & Atahualpę Tyranni captivitate celebris, eadem cum civitate Limensi ferè longitudinem habens, sed latitudinem Australem sex gradibus minorem. Indè in vicinas valles, longeque dissitas & fabulosas planities non rarò excurrit, neque æstum fugiens nec frigus, utpotè majori interiùs flammâ charitatis succensus: perstititque in infidelium prædicatione annos ampliùs triginta, neque tùm quidem à statione recedens cùm continui labores, insomnes sæpissime noctes, sub dio cubationes aliaque infinita corporis subeunda incommoda surdum reddidissent: nam & signis inceptum Euangelii munus continuare placuit, nisi quod randem incommodis fractus paucis ante mortem annis se recepetit ad monasterium nostrum *Guadalupense* cultu Beatissimæ Virginis Deiparæ in tota Peruvia notissimum. In quo ipsi cum infirmitatibus fuit luctandum, verùm luctà gloriosâ, in qua etiamsi sæpè debile corpus prosterneretur, perstitit tamen immobilis solidaraque eius adversis illis patientia, velut, cùm arbores tempestatibus quatiuntur, fortiùs radices aguat: ibique taodem morte gloriosâ extinctus est ætate decrepitâ.

12. Multos aonos ab abscessu Francisci apud Pachacamenses per Augustinianos continuata Euangelii prædicatio est, donec eâ utpote opulentiori aliis operarii traditâ, nostri ad pauperiores magisque incultos populos transierunt. Hodiè tantæ templi majestati & ædificiorum superbiæ sola supersunt pauca rudera, atque ex tanta populi frequentia homines vix numeres ducentos, eosque vilibus mapalibus nonnihil à priori loco separatis habitantes.

CAPVT IV.

P. M. Ioannis de Sancto Petro Præfecti Provincialis sedulitas & profectio in Hispaniam.



MNIVM quidem Augustinianorum studium erat in terra divite esse paupertimos (a) & vitibus omnibus prędicationi incumbere Euangelii: in utroque tàmen hoc triennio emicuit P. M. Ioannes de S. Petro; qui cùm posset variis occasionibus monasteria Limense & Guamachucense splendidis ædificiis divitiisque augere, nullum æstimavit profectum præterquàm animarum. Quapropter exactis Comitiis, in quibus fuerat Provinciæ Præfectus renunciatus, mox loca omnia licèt longissimis, difficillimisque itineribus dissita, quæ erudienda nostri susceperant, non exiguis laboribus æstibusque ac frigoribus pedes visitavit, suâ prę sentiâ ac molestiarum cum suis societate illos ad sacrum opus animando ac dulcedinem quandam ipsis fatigationibus inspergeodo. Quin & ipse non rarò in rupes ac valles excurrendo per se fidei rudimentis bonisque moribus imbuebat quibus Contractum labor non sufficiebat: erat sanè, si unquàm ulibive fuerit; *messis multa, operarii autem pauci.* Horum numerum auctum flagrantissimè desiderabat; augeri autem non poterat nisi 1.

(a) lib. 4. cap. 8 num. 19. 22.

CAPVT V.

Fundatio primi Religiosarum in Peruvia monasterii, Incarnationis dicti.



1. MERITÒ hæc Augustinianis laus debebatur, ab illo scilicet institutoris qui primus Sāctimoniales in Africa in monasteria clausa redegit, regulam scripsit, cōmunivitque vitæ leges, quibus sanctissimi illarum mores dirigerentur exercerenturque. Porrò monasterium illud Peruanum uti fuit nobilissimarum, optimarum, pudicissimarumque matronarum ac Virginum fœcundissimum, ita incunabula habuit tragica prorsus ac tenuia, & scientiâ digna posterorum, quibus doceantur quàm misericordi manu providus Deus mortalibus sæpè auferat opulentiam, dignitates, honores, favores hominum, contraria omnia adducendo; nihilque deinde adeò esse exiguum difficileque, quod fixâ in Deum confidentiâ non excrescat ac vincatur.

2. Monasterio initia dederunt nobilissima matrona Leonora Portocarrero orta parentibus Didaco Lopez Portocarrero & Mariâ de Monroy nobilibus Salmanticensibus, & hujus filia Mencia de Sosa, quā ex Alphonso de Almaraz item Salmanticensi Terræ firmæ Gubernatore ac deinde Ærarii Regii Limensis Thesaurario genuerat. Hæc fratres habuit P. M. Ioannem de Almaráz Cathedraticum Sacræ Scripturæ in Vniversitate Limensi proprietarium, qui mortuus est dùm Provinciam Præfectus administraret, & electus Episcopus esset *Paraguayenses*, (a) P. Franciscum de Monroy Augustinianos; P. Alvarum de Sosa Dominicanum: & sororem Sanctimonialem. Mencia autem, de quo hujus est loci, exequamur, nupserat Francisco Ferdinando Giron, ludibrio alternantis fortunæ, de quo cum plura in præcedentibus libris non uno in loco scripserimus (b) in hoc dabimus extremū ejus in *Pucara* infortunium, quod Menciæ societate & felicioris vitæ mutatione fuit notabile.

(a) *del Paraguay* vide lib. 15. ca. 4.

(b) lib. 3. cap. 3 num. 29 & cerè lib cap 4. num 25. lib. 5. ca. 4.

3. *Pucaram* copias suas duxerat Franciscus Ferdinandus Giron Regi rebellis, quæ equitibus viginti quinque, sexcentis scloperariis, & lancearius septuaginta quinque supra centum constabant: his junxerat ducētos triginta Nigros (ut vocant) armis a se assuetos. Franciscum insequebatur Paulus de Meneses exercitus Regii Præfectus cum militibus omnino mille, & sex æneis tormentis. Franciscus Regiorum animos virtutemque expertus & timens, ad insidias animum convertit, statuitque adversarium obruere imparatum; sed detectâ per transfugas Franciscum Mendez & Dominicum Ollave fraude, pugnatum utrimque fortiter fuit, pugnæ quidem laude victoriâque penes Regios permanente, sex dumtaxat suorum desideratis, læsis triginta. Tum Franciscus deliberavit de fuga non tam exercitus Regii metu, quàm diffidentiâ sui, quem de cæde sua agitasse suspicabatur nullo fundamento, utpote à quo summoperè amabatur; sed vel solitâ proditorum conscientiâ ex se quoslibet metiente, vel infortunio cum suo perurgente. Fugæ autem consilium curat per Gonsaluum Vasquez & Religiosum de Mercede uxori Menciæ nuntiari, monēdique *Pucaræ* ut ipsa consistat, ne suo consortio tutæ alioquin fugæ impedimentum periculumque injiciat. Mencia nuntio turbara sed non fracta, animo prorsus virili respondit, *Franciscus Giron Menciam à parentibus accepit, habuitque itinerum suorum hactenus comitem, ac honorum meliorisque fortunæ sociam; eam*

jam non in ejus consortio detrectare deteriorem, qua nulla tantas sit objectura difficultates, damna, aut pericula, per qua maritum non sequatur uxor: qui si abnuat, secuturam vel invitum baculo nixam peditemq́. Vxoris responso confirmatus Franciscus ac in tentorium ejus procurrens, *prohibeant*, inquit, *Superi, ut te deseram obluctantem; nunc autem cum fuga tempus urgeat, parata sis sequereq́.* Mencia licèt compositis celeriter sarcinis festinaret illas præmittere, non tamen evitavit murmur exercitus Francisco, quasi muliebri amori salutem omnium posthaberet, exprobrantis. Quod sanè suorum convitium animum Ducis altè momordit qui conjuge subitò valere jussâ, cum utrumque non posset, salvandi exercitus curam induit maturavitque fugam. Mencia mox inter præsentium manus prolapsa jacuit nonnihil viribus ac sensibus destituta: quæ cum rediissent, de marito percunctata est: profugisse intelligens, in vicinum forte clivum majoribus, quàm credi potuisset, viribus animoque conscendit, magnum desertionis solatium captura, si oculis sequi posset quem pedibus prohibebatur, aut animo conjicere maritum extra periculi metum jam processisse. Quare cum nullos sequenti obruta assequeretur aut detegeret, derepente, muliere fortior, Centurionibus, qui cadentem paulò antè exceperant, *properate*, inquit, *& suprema vobis cura sit Ducem vestrum servare*; raro amoris exemplo commoda omnia solatiaque, in tanta rerum consternatione, præ mariti incolumitate contemnentis. Illam solam rebusque omninò omnibus ac famulis destitutam Centurio tandem Ruybarba Cuscum induxit, ubi Auditoris Saraviæ egregiâ benignitate excepta primùm, deinde Limam in ædes paternas translata totam se ad pœnitentiæ opera damnavit, paucis rarissimeque visa, sicque animum obfirmans contra extremum malignantis fortunæ furorem: & quæ ultima fugientis mariti verba, delinquente se animo, vix audire potuerat, nunc captivi ignominiosissimoque supplicio damnati sententiam voce præconis juxta angulum domus transeuntis pronuntiatam non audivit modò sed & Christianâ fortitudine toleravit. Trahebatur scilicet ille ad equi caudam alligatus ac in juncis resupinus, præcone cũ his verbis præeunte, *Franciscum Ferdinandũ Giron proditorẽ, rebellem & seditiosum, eisq́ nominibus læsæ Majestatis reum Petrus Puertocarrero Dux Regii exercitus condẽnavit; jussitq́ abscissum caput patibulo affigi, ædes ejus destrui ac sale seminari, imposito marmore scelera defuncti continente.* Ad hæc Mencia converso ad imaginem Christi è cruce pendentis vultu, *Fiat*, inquit, *in omnibus voluntas tua, admitteq́ ut dolor ille, qui intimas mihi cordis fibras transcindit, tuorum merito tormentorum exoret ut infortunatus ille maritus meus in tua gratia excedat: & suscipe me ex hac hora in sponsam, qua nullum posthac amorem præter tuum admittam.* Et ille quidem magnæ contritionis signis extinctus est anno post Christum natum M.D.LIV. ætatis suæ XLIII.

4. Mencia autem delusa satis diu blandientis fortunæ lenociniis, sed recedentis acerbiùs illusa convitiis, suo experimento docta, suo docuit omnes exemplo, quàm omnes in ea spes sint inanes; quas proinde ex integro securiùs sanctiùsque in Deo collocavit, Augustinianorum veteris monasterii, qui passim Sancti dicebantur, usa instructione, quâ totum regni terreni desiderium exuit & induit cælestis. Habitabat cum matre sua Leonora Portocarrero ejusdem animi & adfectus matrona, non longè ab Augustinianis, qui virtutum, quibus se matronæ illæ solidè exercebant, conscii, interque in occasiones, quibus clausa monacharum monasteria, domicilia sponsarum Christi, in novum Peruanum mundum introducerent, non alias invenerunt incipiendo proposito opportuniores. Vtraque altè virtutes imbiberat, utra-

que

que flagrantissimè cultus divini, animarumque studio ardebat, utraque non tantùm apud se prudentiâ, sed apud Prælatos Ecclesiæ Regiasque Audientias authoritate præpollebat, non magis nobilitate sanguinis quàm virtutum; sed aderat egestas rebus egregiè gerẽdis ut plurimùm inimica. Nam & mariti bona Rex aut destruxerat aut Fisco addixerat; propria Menciæ autem Regio exercitui in *Pacara* cesserant in prædam. Verùm nihil nimiùm difficilè amanti & in Deo fidenti est, *qui infirma mundi eligere solet ut confundat fortia*, (a) ne hæc, rebus factis, societatem deposcant laudis, quæ nulli unquàm benè, quam Deo, tribuitur.

(a) 1. ad Cor. 1.

5. Quare non magis Augustinianis quàm his matronis visum fuit contemnere, quæ ab egestate objiciebantur, difficultates, & fixa in Deo, qui est auxiliator opportunus, confidentiâ, initium monasterii Religiosarum dare. Ædes ergo quas non admodùm amplas Leonora & Mencia incolebant, in formam monasterii cancellis clausam ac aliis officinis aptatam distribuũt & in iis facellum ornatissimum. Tùm VIII. Kalendas Apriles (b) anno M.D. LVIII. à P. Andrea de S. Maria Vicario Provinciali habitus Ordinis (quem S. Monica olim dùm viveret à Beatissima Virgine accepisse tum gestavit) (c) donantur Leonora Portocarrero, Mencia de Sosa, Ioanna Giron Francisco Ferdinando Giron sed non matre Mençia genita, & Agnes Velasquez. Sacellanus ipsis datus P. Ioannes Delgado, primus Conventus Limensis ex iis qui Sacerdotio initiantur, alumnus, qui eas non minùs prudenter direxit, quàm exhortatus fit vitæ exemplo. Atque hæc quidem initia fuere exilia sanè pauperrimaque, ac Augustianorum eleëmosynis aliquamdiu fota sicut eorum hortatu prima illis matronis voluntas aggrediendi arduum sanè opus fuerat. Injecta: quæ suis quidem obtrectatoribus omnia terrenis mediis & humano

(b) 25. Martii

(c) Iacobus Bergomensis in v.ta S. Monicæ. Augustinus de Tolentino in lib. privilegiorum Ordinis, aliique complures.

auxilio metientibus non caruerunt; Augustinianorum tamen incipientiumque Religiosarum in Deum, qui cogitationes nostras vorasque suâ benignitate solet vincere, fiduciâ in eam amplitudinem excreverunt, ut nihil sit in Peruvia, seu ædificiorum architecturam & capacitatem, seu eorum præsertimque Ecclesiæ ornatum, seu cultûs divini majestatem & musicam, seu Religiosarum numerum nobilitatemve spectes, augustius. Singula prolixiùs explicat P. Antonius de la Calancha (d) notatque anno M.DC.XXXI. numeratas in eo fuisse Religiosas primi ordinis (e) 233. secundi (f) 37. Novitias 18. donatas 45. sæculares nobilium filias 34. quibus si famulas intra claustri terminos servientes adjicias, omnium numerum octingintas excessurum.

(d) Lib. 2. cap. 23. & 24

(e) de velo negro

(f) de velo blanco.

6. Primum incrementum cœpit Ioannæ Pachecó, Agnetis de Mosquera, Mariæ de la Cruz, & Marianæ de Sancto Hieronymo, nobilium prorsus virginum, ad statum religiosum accessu, quo factum ut jam vera monasterii norma, constitutis, quæ præessent, induceretur: & earum temporalibus mediis ædificia augerentur. Priorissæ quidem officio Leonora Portocarrero, Supprioriſsæ Mencia Sosa functæ sunt. Promovit deindè liberalitas Proregum, Francisci in primis de Toledo, qui undecim annos Regnum Peruviæ administravit, sanctitate Inceptum ac legum cõditarum prudentiâ illustrior, cui in deliciis erat earum templo ac officio divino interesse 1. quique ne quadragesimæ tempore umquam abesset, ío vicinas monasterio ædes commigrare assueverat; tanta in majestate cultûs divini ac famâ sanctitatis ad pelliciendum pii hominis animum vis erat, eritque semper.

7. Prima earum institutio sub Prælatorum Ordinis obedientia fuit, quam quarto abhinc anno mutârunt. Causa mutationis hæc fuit P. Andreæ de Sancta Maria Vicarii Provincialis ac Comitiorum anni

 M.D.LX.

M. D. LX. mandato cautum erat, ne qua ad Religiosarum numerum admitteretur parentibus Peruanis, aut altero eorum tali, orta. Patre autem Andreâ absente (Cusci tum visitabat) instituit Alphonsus de Alvarado Ordinis S. Iacobi Eques & Mariscallus pro duarum filiarum suarum Isabellæ & Agnetis, quas matre Peruanâ genuerat, ad habitum religiosum admissione. Nobilitas parentis, dos viginti millium pesorum, quam promittebat, secutura eo cætera parentis post ejus obitum bona successio, facere videbantur, ut interpretari mitius (per epiquejam Theologi vocant) mandatum liceret. Interpretari sunt & habitum Isabellæ dederunt. Quod factum Præfectus Provincialis adeò tulit acerbè, ut accelerato itinere Limam Cusco advolârit. Religiosæ rigorem offensi Prælati metuentes, alium quærere quàm hunc pati maluerunt, quare per Garciam Diaz de Sancto Michaële obedire Archiepiscopo Hieronymo de Loaysa obtulerunt. Andreas his nihilo placatior factus ponderaosque obedientiæ momenta divitiis omnibus sacrificiisque præponenda, alteram ab illarum habitu manicam & corrigiam abstulit, permisitque ut in habitu diminuto in posterum Archiepiscopo obedientiam præstarent, quam sibi integram non servâssent: quod hæ fecerunt anno M. D. LXI. Kalendis Febr. Et isto quidem rigore Patres nostri à numero Sanctimonialium volebant exclusas, quæ altero parente Peruano nascebantur, quas Philippus tandem Rex duobus diplomatibus,(a) mutatis rationibus admitti, factâ priùs de moribus inquisitione, voluit, inolevitque hæc illius constitutio pro lege: præcipua tamen ob læsam obedientiã exacerbatio fuit, quam non facilè damnaverit, quisquis ex divinorum potius librorum authoritate quàm humanarum specie rationum judicium voluerit stabilire. Ad majus autem prædicti monasterii *de Incarnatione* ac mei

(a) 1588. 31. Augusti, & 28. Sept.

Ordinis, quo plantante natum est, & rigante crevit, præconium, aliquam vitæ, quam primæ præcipuæque Religiosæ egerunt, synopsim huic capiti attexam.

8. Primus autem locus Leonoræ Portocarrero debetur, quæ prima fuit & animi in incipiendo tam heroïco opere magnitudine,& Prælatæ dignitate. Ejus quidem genus suprà (b) posui,virtutes autem non inter solos monasteriorum cancellos concludi suo probavit exemplo. Nam & perfectâ veneratione viro subjecta fuit,quò rariori eò laudabiliore actione; familiam studiosè nullâ tamen avaritiâ administravit; pietatem cum affabilitate conjunxit, pauperum sollicitudinem gessit singularem. Mariti mortem fortiùs tulit, quàm de ejus erga illum amore expectari potuisset: clarissimè tamen animi ejus magnitudo in rebellione generi Francisci Ferdinandi Giron infamique tandem supplicio eluxit;quodlibet siquidem nuntium omni gladio penetrabilius cor ejus traosadigebat, aut fidelitatem impetens si Regi esset adversum, aut naturalem amorem, si generosi quibus nullum certius solatium quàm ab oratione quæsivit.Primùm in Peruvia Sanctimonialium monasterium fundavit, ipsa prima inter omnes, quod deinde annos rexit omninò viginti & novem, tantò virtutibus præcedentibus major,quantò dignitate altior: si qua eam visitandi gratiâ, ut fit in illo sexu multoties, sæcularis accederet, suis sacris colloquiis efficiebat ut sæculum desereret, si habitu non posset, saltem mente. Prudentiâ,sollicitudine, obedientiâ, regularum observantiâ, silentio, affabilitate, charitate erga pauperes infirmosque documenta dedit non tantùm perfectæ Religiosæ sed & præstantissimæ Prælatæ. Quibus omnibus jungebatur tenerrima erga Sanctissimum Sacramentum devotio, circa quod assiduè aut aliquid ad ejus ornatum factitabat, aut cum lacrymis precabatur, nihil unquàm his occupationibus

(b) hoc capite nu. 1.

nibus experta delectabilius. Tandem anno post Christum natum M.D.XC, ætatis suæ LXXVII. ad sponsum, cui se, totque alias (a) suo exemplo ac monitis consecrârat, læta, corporeq; supra præteritos mœrores ac ætatem infracto perrexit V. Kalendas Iulii. (b)

(a) centum & quinquaginta sunt in uno illo monasterio antequam moreretur.
(b) 27. Iunii

9. Successit Mencia de Sosa superioris non magis carne quàm spiritu filia, Prælata quidem secunda, sed prima Abbatissa, quem titulum Leonora semper fuerat aspernata. Virtutum maternarum hæres, authoritate etiam seu apud subditas seu exteros major, cui id detulerunt Proreges, Archiepiscopi, Audientia, Tribunalia cætera ut preces loco mandatorum haberent explerentque, victi non æstimatione generis sed virtutum. Cultus divini eam ipsa majestatem induxit, quæ postea perseveravit. Pacis conservandæ conciliandæque cum studiosissima vixisset, in pace quievit anno Christi M. DC. XVIII. XI. Kalendas Iunias (c) Post hanc Sedis Apostolicę decreto (d) triennales Abbatissæ fuerunt, hoc quidem ordine, Luisia Altamirano, Hieronyma Gudiño, iterum Luisia Altamitano, Laurentia Cerrato, Casilda de Illescas, Angela de Zarate, omnes & sanguinis & virtutum prosapiâ nobilissimæ. Post quas ex eodem Incarnationis monasterio etiam Sanctas damus.

(c) 22. Maii
(d) Clementis VIII. 1599. qui cum sola Mencia tanquam fundatrice dispensaverat.

10. Et sola quidem MARIA DE IESV potens est & dictum asceterium & habitum Augustinianum gloriâ immortali illustrare, cujus infantia prædicat gratiæ prævenientis potentiam, & fructum adultior ætas. Parentes habuit notæ nobilitatis ex Andalusia oriundos Hispalenses. Hi in Peruviam transmiserunt, eodem, quo cæteri solent, ditescendi adfectu. Cui cùm abundè viderent satisfactum, alius successit atq; importunior, scilicet prolem ut haberent, in qua & ipsi vivere diutius & frui acquisitis bonis viderentur. Hanc ergò à cælo votis omnibus continuisque sactificiis efflagitârunt, & obtinuerunt; nam ipsâ Resurrectionis Dominicę nocte nata ipsis filia est, cui nomen MARIA DE IESV imposuerunt. Illa in operibus bonis nulla infantiæ impedimenta sentire videbatur omnibus admirationi & in amore, parentibus præsertim, qui in ea intuebantur quanto fœnore Deus eorum orationes eleëmosynasque cumulâsset: more apud eum nôn insitato. Gaudebant ergò illi mirum in modum de filia ita Gratiis ornata, sed gaudio non prorsus inculpato, ut eventus probavit. Maria siquidem septimum ętatis annum vix supergressa, nullo domesticorum conscio, sola, quanto cursu potuit, fugit in monasterium *Incarnationis*, alacris hæc effata, *Veni ut Iesu Christi sim sponsa, date mihi habitum Religiosum.* Dictum puellulæ risu exceptum fuit ab iis, quæ eam hactenus non noverant; alię altiùs venerabantur. Parentes filiolæ absentiâ consternati primò eam inter cognatos & notos inquirunt, deinde, aliquorum indicio, in monasterio *Incarnationis*, certi aut blanditiis eam indè precibusque pellicere, aut avocare minis. Blanditias utpote ętatulę isti convenientiores ante omnia & variè experti sunt, nullo unquàm profectu: quin ab ipsa illarum vehementia animum Marię reddi robustiorem non obscurè percipiebatur. Itum igitur ad minas est: publicant se brevi in Hispaniam profecturos, filiam derelicturos absque omni prorsus dote, quoad viveret, desolatam: Et ne inanes minę haberentur, etiam supellex ac agri vendebantur. *Cujus ad hæc quantumlibet ferreum pectus non emollesceret? aut cujus interior quantumlibet spiritualis oculus non turbaretur: cui inter talia ad suam liceat recurrere conscientiam?* (e) Et tamen tam nihil his omnibus motus est Marię animus, ut potiùs responso suo veteribus fortitudinis dederit exemplum: *Iam*, inquit, *mihi pater Christus esse cœpit, & mater Deipara, in quorum auxilio persistam secura.* Non sanè facilior in expetendo

(e) S. Bernardus epist. 2. ad Robertum nepotem suum.

statu

ſtatu Religioſo, quàm in proſequendo conſtantior. Parentes autem in propoſito obſtinati, iter Hiſpanicum, quod antè putati erant ſubornare, aggreſſi ſunt, ingrati certè divinis beneficiis, quibus & divitias & prolem erant conſecuti; ac crudeles in filiam oratione magis quàm ſexus commixtione conceptam, quam ideò abominantur quòd cæleſtibus nuptiis terrenas, divitiis deliciiſque in æternum duraturis poſthabeat bullâ omni fragiliores. Scilicet hoc eſt parentes eſſe: in quos S. Bernardus juſto dolore ſtimulatus exclamat, (a) *O durum patrem! ô ſævam matrem! ô parentes crudeles & impios! imò non parentes ſed peremptores, quorum dolor, ſalus pignoris; quorum conſolatio, mors filii.*

(a, Epiſt. 111)

Maria parentum moleſtiis jam expedita, plena cæleſtibus impulſibus vela explicavit, & vitam egit cum omnium admiratione planè Religioſam. Et prima quidem ſacrarii commiſſa illi cura fuit, apta ſcilicet ejus inclinationi, quâ tota in Sanctorum cultum ferebatur: incredibile eſt quantùm ornamenta lipſanaque auxerit, ipſa pauperrima atque à parentibus derelicta. Sed nullus major eſſe ſolet certiorve in Religionibus quæſtus, quàm ſeipſum prorſus rebus omnibus propter nomen Chriſti expoliare, centuplo proculdubiò fœnore reddendus. Nihil unquàm ſibi datum in proprios uſus conſumpſit, dicere ſolita, *perditum eſſe quidquid ſibi applicaretur.*

Annos vix nata viginti à Patronis & Fundatricibus Agnete de Ribera & Maria de Claves expetita fuit quæ prima in novo Conceptionis aſcetério vitæ religioſæ formam introduceret & ſtabiliret, cum digna ſocia ſua Maria de la Cruz, & præfuit illo ætatis anno quo aliæ vix benè diſcunt ſubeſſe, tantâ ſanè laude, ut domus illa ſpeculū mortificationis vitæque ſpiritualis habita ſit. Quare Fundatrices tanto lætæ ſucceſſu ex eoque ſecutura tempora metientes, multis precibus non ſemel niſæ ſunt illi perſuadere, perpetuam ut adminiſtrationem acceptaret, admitteretque titulum Abbatiſſæ. Allegabant non modicam illius tituli apud omnes æſtimationem; divitias monaſterii non contemnendas; amorem ipſum quo novi monaſterii Religioſas velut filias complexa fuerat, educaveratque hactenus, & quòd neque hæ in reciproca veneratione defuiſſent. Sed hæc fulmina erant ad Mariam unico ictu obruēdam, adeò etiam Prælatæ nomen in ſeipſa exhorrebat: & quæ ubique ſuas laudes aſpernabatur, illas quæreret in ſpecioſa aliarum cura? quarum acceſſu & ratio ante tremendum Dei tribunal reddenda creſcit, & fit, ut cùm adminiſtratur diligentiſſimè, multi quotidie defectus omiſſioneſque, ſi non incurrant, certè irrepant. Certa ergò erat reditu ad *Incarnationis* monaſterium onus omne animarum declinare. Neque eam Archiepiſcopus Toribius Alphonſus Mogrovejo alterius monaſterii S. Claræ ædificationi fundationique intentus, decem annorum precibus evicit, ut in illo, ſicut in Conceptionis fecerat, prima communis religioſæque vitæ jaceret fundamenta: qui quidem honos, quamvis eum Maria excuſſerit, tamen penes Auguſtinianas manſit, Iuſtinâ de Gnevara animosè oneri ſuccollante. Maria, ut in ea officiorum hortorem planè videas, carceris ad triduum toleratione Subprioriſſæ officium Noviciarumque curam redimere eſt conata.

Vanam gloriā hominumque applauſū fugiebat, &, quātùm per Superiores licebat, vitabat Proregū, Archiepiſcoporū, & Auditorū congreſſus lętior cellulæ quiete, quàm doctis illorum diſcurſibus, quamquàm non careret ipſa eloquio, gravitate, ſuavitateque condîto, quo modeſtè aliorum aures permulcebat, nullibi eloquentior quàm cùm adeſſet morientis: & aderat non infrequēter, ſolita ſcilicet, infirmis cujuſque conditionis, ſervis ęqualibus, Perüanis, Æthiopibus, &c. nullâ differentiâ miniſtrare; omnibus autem

tem mundissimè, nulla tamen famularum in adjutorium servitia admittens. Pauperum studium adeò illi solemne erat, ut per Superiores, lege generali permitteretur illis elargiri quod vellet. Accidit ut pauper, famâ charitatis ejus audacior facta, rogaret in quo dormire posset; illa incûctanter lectum lanâ suffultum cervical & stragulas dedit, ad usum quidem ipsi concessa, sed è quibus quassatum corpus non aliud habebat solatium, quàm ut vanam gloriam amoliretur, si à fortuitò ingredientibus observatum fuisset, nihil esse in cella in quo cubaret. Neque pauca similia occurrerent si vitæ ejus prolixè enarrandæ insistere decrevissemus. Quod sequitur & charitatis & divinæ inspirationis continet testimonium. Religiosa quædam animosior, non disputo, dicenda sit an superbior, cùm eam tres res necessariæ defecissent, nec Prælatæ necessitatem explicasset; ut prætextu honesto à choro communibusque congressibus abesset, morbum simulavit, absentaveratque se multos dies, cùm Maria quodam manè cellam illius ingressa, projectis, quibus indigebat, rebus, *Habes ecce*, inquit, *quæ deerant, surge & cum cæteris Deo in Choro psalle*. Illa attonita sciri tùm quod fingeret ægritudinem tùm defectum præcisè rerum, quem nulli unquam revelaverat mortalium, rata Mariam id non nisi docente cælo cognovisse, & illius sanctimoniam profundiùs posthac venerata est, & se superbiæ condemnavit, quòd pudori suo potiùs quàm Constitutionibus, ut ne quidem Superiori necessitatem aperiret, obsecundandum duxisset. Simul expendens Dei bonitatem ei, cui supplicia debebantur, inusitatâ munificentiâ succurrentis. Ea autem charitatis erga proximum in Maria cura, ut, ne dies aliqua sine eleëmosyna transigeretur, cum nihil esset quod daret, proprios cibos elargita est ipsa jejuna; atque apud omnes, tamquàm in mercedem benefacti, silentium stipulata.

Pœnitentias agebat asperas continuasque: singulis noctibus horam solidam se flagellando insumpsit, ut posteriora verbera non jam carnem ferirent sed priora vulnera: ad hæc perpetuò non cilicium sed loricam gestabat, quam ægrotanti aliquando quædam ipsi familiarior abstulit sed carni ita altè impressam, ut sine novâ laceratione id consequi nō posset. Parùm somno indulsit, etiam tunc in carnem suam severa, quàm cordâ suspendebat: neque ob aliū finem lectum in cella quàm durioris cubationis dissimulationem servabat.

Orans angelicum induisse vultum videbatur, sed propter orandi assiduitatem verè callum instar pellis cameli genua obduxerant. Et ne ab obviis ad loquendum sollicitaretur, etiam tunc orabat, cùm è cubiculo in Ecclesiam pergeret; fabellas, &c, qui in monasteriis circumvolant, rumusculos prorsus oderat, non ignara quàm rarò sine detractionibus & temerariis sint judiciis: semper autem mentem ab interiori quiete & divina contemplatione avocent. In meditatione dolorum Christi multa erat, & nunquàm sine ubertimis lachrymis, quas nec tunc poterat cohibere si joco raptimve mentio alicujus mysterii injiceretur. Ob quem in rebus divinis gustum vitæque puritatem jussa à Confessariis erat tertiò quartòve sacrâ synaxi per singulas hebdomadas refici, in qua mel sensit planè cæleste, scilicet omni dulcore dulcius.

Atque istis quidem passibus ad mortem, imò meliorem vitam accedebat, quàm priusquàm assequeretur, accidit quod narrabo. Instabat tempus, quò Priorissam supprioriss amque eligere suffragiis Religiosarum mos erat. Maria præcurrente famâ ad Priorissæ officium vocabatur; sola illa resistebat seu allatis contra se rationibus, seu fusis maximè ad Sanctissimam Dei-param, S. P. Augustinum, & S. Paulum primum Eremitam, quem inter præcipuos patronos

assumpserat, orationibus. Dies aberant ab electione non plures quindecim, cùm advenit ad monasterii portam Eremita quidam numquàm anteà Mariæ visus, vultu habituque certè decorus, postulans Mariæ de Iesu affatum: cui properè accurrenti & nonnullis aliis Religiosis associatæ dixit, *Para te ad exequendam Dei voluntatem ac obedi, videasq́, ne perdas quod bonis actionibus merita es, Deo ejusq́, Matri chara.* His dictis abiturientem profusis uberrim lacrymis iterùm, ut se invisere videreque dignaretur, Maria rogavit: Cui ille, *Mutuò in cælo videbimus*, ait, & abiit. Religiosæ, quibus & habitus & majestas, & dicta viri reverentiam injecerant, tàm subitò ejus discessu attonitæ missis post eum hominibus sæcularibus, qui fortè ad portam aderant, quò diverteret, explorare satagebant: illi in publicam plateam, quà iter ipsi necessariò erat, egressi neminem observârunt, ingenti tùm suo, tùm aliorum, qui narrari audiebant, stupore: quare à Religiosis judicatum fuit, seu propter habitum eremiticum, seu propter specialem ei à Maria delatum cultum, fuisse S. Paulum Eremitam. Maria autem præparandis in Festum Transitus Dei-paræ Virginis floribus occupata, cùm in prandio primos in os bolos V. Idus Iulias (a) ingereret prorsus sana, frigido derepentè sudore suffundi cœpit, quare relictâ mensâ cùm aliquoties cubiculum recitando hymnos Virgini matri obambulasset, deficiente corpore ac rogatis priùs Sororibus ne eam denudarent, procubuit, ac non ita multò pòst eodem die inter suavissima ad Christum sponsum ac Sanctissimam Virginem suspiria expiravit anno Christi M.DC.XVII. ætatis sexagesimo nono, ex quibus septem exegerat in paternis ædibus, novem novitia existens, professa quinquaginta tres. Post mortem à quàdam Dei famulâ opinione sanctitatis in civitate Limensi notissimâ visa est, & tunc primùm, Maria juxta calicem in sacrificio, quod pro ea offerebatur nec disparuit nisi sumptis à Sacerdote augustissimis speciebus. Visa autem fuit in veste candidissima splendidissimis floribus, ut cælum stellis, respersa, ramum manu gestans similibus floribus formosissimum, ac rutilantem in capite coronam. Duravit eadem visio quinque omninò dies, scilicet à die Martis quo obiit usque ad Sabbathinum. Hanc apparitionem literis suis consignavit egregius Dei Servus Didacus Martinez Societatis Iesu Sacerdos.

(a) 11. Iulii.

11. IOANNA PACHECO nobilissimis orta natalibus ac magni P. M. Alphonsi Pacheco Augustiniani, quem infrà describemus, soror, nativum splendorem adeò virtutibus auxit, ut haud sciam fueritne ulla in Cõventu Limensi illustrior. Quidquid à consanguineis accipiebat (accipiebat autem annuatim plurima) in pauperes ac infirmos erogabat, ne quidem ipsis suis parcens vestimentis: & ut superesset semper aliquid quod largiretur, ipsa suis manibus operabatur, & orphanas aliquot in eundem finem sustentabat. Studio etiam spiritualis augmenti præcellebat, exemplo suo in hoc fortior quàm verbis. Dictis virtutibus accedebant, modestia singularis, purissima virginitas, oratio frequens, rigida pœnitentia, spallendi peritia & fervida voluntas. Priorissæ Prælatæque officio non unis vicibus functa, tandem anno post professionem LXVII. post Christum verò natum M. DC. XXVI. VI. Kalendas Oct. (b) felici morte extincta est. Et quamquàm nullum sit, quàm vita acta, sanctitatis testimonium illustrius, fragrantia tamen corporis exanimis ab omnibus Religiosis habita fuit miraculosa. Aliquæ insuper fide dignissimæ affirmant super extinctæ cubiculum eàdem nocte à se visam clarissimam maximamque lucem, quæ diem reduxisse videbatur.

(b) 26. Sept.

12. ISABELLA DE ASTETE nobiliores potentiores, opulentioresque

resque parentes habuit quàm religiosiores, nam filiam post factum ab illa virginitatis votum ad nuptias urgebant nullis lacrymis aut precibus placandi. Quare fugâ, quod nullis aliis artibus poterat, obtinere statuit: illam inire absolvitque quandoque pedes, quandoque eques, & per ambages ac mutatis in viles vestibus, ut insecuturos jussu parentum falleret. Quo astu Limam octuaginta à paterna domo leucis distántem pervenit. Vbi in monasterio *Incarnationis* recepta mox exstitit religiosarum virtutum exemplar, studiosa S.Catharinæ de Senis imitatrix; ad cujus exemplum tulit perpetuò coronam ex chalybe in acutos stimulos elaboratam, quam etiamsi velis abscondetet, exiliens tamen non rarò per ejus impressionem sanguis prodebat. Rogata exilientis sanguinis causam, in culicum punctiones sanctâ dissimulatione retulit. Parentum morte amplissima ad eam hæreditas ingentesque opes cùm devolverentur, iis multò antè professionem, quam in eum finem aliquot annis distulerat, in favorem pauperum, & monasterii, quod ædificabatur, renunciavit, nullâ re felicior; quàm summâ paupertate sibi visa. Egregia silentii ac humilitatis cultrix in opinione sanctitatis vivere desiit religiosæ vitæ anno X L V. nativitatis Christi M. D C. X I X. I V. Nonas
(a) 4 Iulii. Iulii. (a)

13. De BEATRICE DE SANDOVAL quid dicam? prolixam ejus laudationem documentorum ex tam immensâ Peruviæ distantia defectus invidit: parùm dicere injuriosum videbitur non magis generi ejus quam virtutibus. Verùm benigne lector ignosce. Peccatum, si quod in brevitate erit, necessitatis peccatum erit: semperque minus esse debet non laudare dignè, quàm rectè facta tumulo ignorantiæ sepelire. Maximum diffusumque Sandovalliorum stemma non tantùm plurimi duces Magnatesque (b) sed & Episcopi Cardinales que illustrissimum reddiderunt. (b) Granden.
Ex hoc nata Beatrix nostra, illius tamen gloriam etiam nondùm Religiosa contempsit, ruptis quæ longa seriè de avis proavisq; &c. erant, testimoniis & instrumentis; & mutato *Dominæ* titulo in *Servæ*. Quam humilitatem auxit postea Religiosa, vilioribus in monasterio ministeriis semper addictior, & se vestire solita non aliis indumentis, quàm quæ trita aliæ projecissent. Somnum captura eam excutere velle videbatur: pro lecto scilicet arundines collocârat intermediis tegulis separatas: pro cervicali durissimum saxum. Neque mollius vigilabat, semper transversis in formam crucis (c) lignis humeros alligata. Orationi mirùm in modum erat dedita, præsertimque cultui Venerabilis Sacramenti, quod præcipuam suæ domus margaritam appellabat. Iejunia exercuit incredibilia; carnibus semper abstinuit. Obiit anno nati Christi M. D C. XIII. XII. Kalend. Iul. (d) vitæ Religiosæ X L V I. Altero ab ejus morte die ad *Incarnationis* monasterium venerunt duo Recollecti, interrogantes quænam obiisset. Cùmque responderetur Beatricem de Sandoval, *Beatissimam*; inquiunt, *animam quam hac nocte nostri viderunt multorum Angelorum occursu in cælum conscendere*.
(c) quæ S. Andreæ dicitur.
(d) 20. Iunii.

14. Ejusdem cognominis SANDOVAL, MARIA fuit vidua, mediis quidem sed non meritis Beatrice inferior. Hæc cum duabus neptibus ad vitam Religiosam in monasterio *Incarnationis* adspirabat. Cùm non suppeteret ut omnibus dos comperens daretur, neptibus providit, naturali amore an fortior, incertum, an spirituali, quas hac arte Religiosas fecit, aliàs multis fortè castitatis periculis exponendas. Ipsa in eodem monasterio Laïcæ statu assumpto, insuper ad vilia Donatarum servitia libens se abjecit,

abjecit, quæ in sæculo fuerat honorata. Beatissimam Deiparam atque Virginum undecim millium legionem celebritate colebat singulari, illi in luminaribus sufficibusq; impendens quidquid labore manuum (quod totus ejus census erat) poterat corradere. Moritura generali omnium totius vitæ peccatorum exomologesi constantis ab infantia puritatis admirationem Confessario (a) injecit, divinos magis favores confessa quàm vitia. Morti propinqua, receptis insolitâ devotione Sacramentis, quasi perennis gloriæ prænuntium aliquem radium intuita, Sorores, lecto ut abfisterent, rogans dixit: *O me felicem peccatricem! ô divinum favorem! Nónne Sodales, undecim illas in altari luces videtis?* Hæ cùm nullum in altari accensum esse luminare attonitæ respondissent, prosequebatur illa lætitiæ signis inusitatæ, *Vndecim has luces adduxerunt amicæ meæ Virgines numero undecim millium celebratæ. O gratissima Divæ! ô amicæ in necessitate!* Inter quæ cælestis benignitatis verba felicem animam in cœtum undecim millium Virginum transmisit.

(a) M. Antonio de la Calancha.

15. Alia in eodem monasterio Religiosa pauperrima solita erat singulis Dei-paræ festivitatibus exiguum ante quãdam ejus imaginem incensum adolere. Hæc cùm P. Francisco Cuello Societatis Iesu Viro eminenti factam confessionem absolveret, subitò gaudio extra se rapta conspiciensque Beatissimam Virginem-matrem cum cælestibus odoribus ad se properantem in hæc verba, & non aliud, locuta est. *Tanta pro tantillo incenso gratitudo? Tantus favor uni peccatrici?*

16. Duæ hoc Religiosarum monasterii Incarnationis breviarium germanæ sorores concludent PAVLA DE AGVILERA & ANNA LVCRETIA DE VERA Limæ illustribus ortæ natalibus. Ipsa PAVLÆ infantia virtutem spirabat, & exterior prædicabat modestia latentem interiùs pudicitiæ amorem. In domo adhuc paterna perfectam Religiosam exercitiis suis exprimebat omnes pænè Adventus & Quadragesimæ dies transigens pane solo aquâque contenta. Religiosa pœnitentiarum facta est magistra cui pro schola corpus serviebat, tot in eo genera exercebantur. Orabat extensis in figuram crucis manibus: stationes, quas in illo monasterio inventrix devotio erexerat, servabat ponderosâ cruce onusta, Quadragesimæ Venerisque diebus. Alias rigorosissimas pœnitentias cancri malum, quo eam Deus probavit, detexit, earum alioquin ingeniosissima dissimulatrix. Supremam scilicèt horam proximare sentiens, Sacramentis munita, non tamen passa est ut Convotæ sibi vestes auferrent; uni id atque familiariori permissum. Hæc ab humeris abstraxit crucem in modum pectinis lanificorum stimulis in carne impressam; à genibus hispidæ loricæ partes; à lumbis similis modi catenam; à suris cilicia duo ex rigidis animalium crinibus: omnia non domandæ modò sed cruciandæ carnis portenta. Inter quæ tamen dandæ ante divinũ tribunal rationis consideratione tremens frequẽtissimis lacrymis immadebat; eloquẽs suo exemplo præco horroris, quo dies ille olim obruet peccatores quem tantâ anxietate timet ab infantia sua innocens. Confessionis Sacramento se expiatura loquelæ passa est impotentiam; quare extractam chartam peccatis totius vitæ conscriptam Confessario obtulit, & ab eo absoluta fuit horâ octavâ vespertinâ, cùm illa divini amoris & contritionis adfectibus, madentibus oculis Christum, ejusque Matrem ac S.P. Augustinum in objectis eorum imaginibus allocuta reliquum ad quintam usque matutinam tempus exegit. Vnâ ante obitum horâ etiam brachium cancro infectum, quod anteà non poterat, in formam crucis extendit, atque ita persistens exspiravit anno M. DC. XIII. VIII. Kalend. Febr. (b)

(b) 25. Ianuarii.

17. Ejus soror LVCRETIA uti benefi-

beneficam admodum in corporis donis naturam fuerat experta, ita ad animæ bona felix fuit Ioannæ Pacheco institutione. Religiosum statum amplexa est anno ętatis duodecimo, illique vixit aliquamdiu congruenter, donec eam specie urbanæ conversationis abripuit periculosa in nonnullis Provinciis consuetudo, ubi sub DEVOTO nomine in procos degenerant procasque, ita nihil in muneribus omittitur curiosum, quod faciat ad illiciendos hincindè animos. Lucretiæ Devotus (sic enim translato ab aliena lingua vocabulo uti visum est) magnæ authoritatis erat (posteà Episcopus) sed juvenis, munera utrimque plurima, scriptitatio reciproca, conversatio frequens nec injucunda; tot certè veræ virtutis ac divini amoris diverticula: inter quę propositum castitatis non imminui inter miracula esset computandum. His ergo humanæ mentis solatiis à sanctioris vitæ, quæ hauserat, principiis Lucretia frigescebat & paulatim excidisset, nisi eam misericors pater potenti manu tenuisset in lubrico lapsantem. A quo divinæ lucis radio illustrata vidit quàm longè abscessisset à deliciis, quibus eam verus animarum sponsus non recreare tantùm sed exsaturare nonnunquàm solebat. *Haccine fit ait, Religiosa vita, quæ præter commixtionem corporum nihil differt à nuptiis, in quibus nec jocus effusior, nec affectus liberior, nec protractiora colloquia nec frequentiora sunt curiosioraque munera? Hæ illa* (a) 1. Cor. 7. *virgines quæ, laudante Apostolo, (a) cogitant quæ Domini sunt, & ut sint sanctæ & corpore & spiritu? Hæ nuptiis propter indivisam placendi sollicitudinem præferendæ?* Tùm resumpto Sanctioris vitæ proposito statuit ad priorem sponsum, abdicatis posterioris proci lenociniis omnibus, reverti, præteritam inconstantiam condignâ castigatione compensare, & lacrymis abluere infidelitatis notam: literas indignâ Religiosis urbanitate salibusque refertas rupit, & munera est aspernata quæ secum insculptam ferre solent imaginem dantis. Nec segniter, quod promiserat, executa est, eò humilior facta, orationique intentior, quòd etiam inter mundanas illecebras currentem Deus non deseruisset. Germanam non observavit modò sed & imitata est, nihilo illâ in corpus suum benignior: æqualia jejunia, similia cum acuminibus cilicia magis etiam in formosissima juvencula divinæ gratiæ auxilium, sine qua tot tormentis impar judicata fuisset, commendabant. Accessit his febris hectica molesta diuturnaque quæ patientiam quidem ejus roborabat, efficere tamen nō poterat ut communibus exercitiis nō interesset, suâ in melius commutatione facta speculum, in quo aliæ suum periculum intuerentur. Vivere desiit Kalendis Mai anno M.DC.XVIII. Professionis vitæ Religiosæ XVIII. Quidam notæ authoritatis asseruit ipsâ obitûs nocte à se visam cælum petere magnâ vestitam gloriâ, à Sanctis Apostolis Philippo & Iacobo deductam.

18. Præter quas obiêrunt etiam cum opinione sanctitatis Maria Germana de Aliaga, Maria de Padilla, Magdalena de Spiritu Sancto Maria de Cruce, Anna de Illescas. Ac vivunt etiamnùm plures, quæ cùm à puritate vitæ ac innocentia maximè commendentur, subticentur tamen earum laudes, quæ illis aut adulatoriæ videri possent, aut esse periculosæ.

CAPVT VI.

De aliis monasteriis Religiosarum per personas Ordinis Eremitarum S. P. Augustini fundatis.

1. BREVI narratione, quidquid ejus objecti, nostri erit instituti, complectar, ploxiorem singulorum Ordinum historicis relinquens: quos si consequi potuissem, non me invenirent non hic modò sed & sæpè alibi in eorum præconiis, quæ plurimorum magna sunt multaque, tam parcum, quæ nostro labore libens in plurium manus transmisissem. Ascetetium *Conceptionis* anno M.D.LXXIII. fundàrunt prænobiles matronæ Agnes Muñoz de Ribera, quæ nupta fuerat Antonio de Ribera Ordinis S. Iacobi Equiti; & Maria de Chaves filia Didaci Gabilan & Isabellæ de Chaves, vidua autem Autonii de Ribera qui superiorem Antonium patrem habuerat. Fundationis dotes amplissimæ fuerunt & piissimæ: conditiones: quæ ne pauperum filiæ defectu bonorum, aut nobilium defectu sufficientis dotis à statu Religioso magnis sæpè animarum periculis & detrimentis excludantur, requirunt ut admittantur pauperum filiæ sine dote duodecim: tennioris autem fortunæ nobiles seu virgines seu corruptæ cum dote mille pesorum. Primæ autem illius monasterii Institutrices & Rectrices ex illo *Incarnationis* desumptæ sunt cognitæ nobilitatis fœminæ Maria de Iesus & Maria de la Cruz aborationum assiduitate, rigore pœnitentiarum, humilitatis profunditate, extremæ paupertatis studio, prudentiá & affabilitate prædicandæ. Ab his ea mox disciplinæ fama diffusa est, ut plurimæ ejus amore excitatæ concurrerint; factumque non longo annorum decursu fuerit, ut ubi octo cœperant, numeratæ sint centum octuaginta quinque Domicellæ, Laicæ undeviginti, triginta Novitiæ, cum quibus si famulas computes, invenientur plùs minùs trecentæ personæ illuc pertinentes.

2. Idem *Incarnationis* monasterium dedit Agnetem Velasquez & Antoniam de Velasco zelo Religionis & multarum virtutum maximeque fortitudinis ac prudentię ad regendum opinione honoratas, quę Religiosas S. Bernardi in cœnobio Sanctissimę Trinitatis in vera disciplina firmarent: consecutęque id sunt adeò feliciter ut plurimę in eo vixerint vivantque uti primę institutionis tenaces, ita celebres laude virtutum: ut nihil dicam de numero, qui ad centesimum in solis Religiosis, quę nigro velo amiciuntur, excrevit. Fundatrix monasterii fuit Lucretia de Sansoles vidua Ioannis de Ribas anno millesimo quingentesimo septuagesimo nono quę in eodem Abbatissa fuit omnium prima, Priorissam habens Menciam de Vargas filiam.

3. Et ut videas diuturnam in eodem *Incarnationis* monasterio virtutum constantiam, non alias elegit Illustrissimus Sanctusque Archiepiscopus Limensis Toribius Alphonsus Mogrovejo, quas Asceterio S. Clarę ditissimè à se anno M. DC. V. fundato ędificatoque pręficeret, futuras secuturis omnibus bonę vitę magistras. Hæc laus debetur Iustinę de Guevara, quę Abbatissę officio primò functa est, Annę de Illescas, Barbarę de Vega, & Isabellę de la Fuente plenis merito, & ingenti filiarum non minùs sanctitate quàm nobilitate illustrium numero gloriosis. Nigro velo velatarū ordina-

ordinarius numerus est 170. albo 16. Donatarum 30. Novitiarum 19. Omnium simul fœminarum illuc spectantium 350. Nullus est in Peruvia cantus, quàm in hoc monasterio, celebrior, aut major divini cultûs splendor.

Paruit autem sub ipsis ferè monasterii Sanctæ Claræ incunabulis clarissimâ manifestatione divina religiosæ castitatis protectio. Rebellabant sub id tempus Indi Chilenses cædibus Catholicorum, vastitate templorum, nobilium captivitate, atque, qui summus est infortunii gradus, redactione ad servitutem planè infames fœdique. Qui cum eo furore vagarentur implacabiles, non procul à civitate de Osorno in eorum manus incidit nobilis Sanctimonialis S. Claræ Gregoria Ramirez. Quam arreptam unus aliquis ex ipsis insolentior in campum separatum abducit à se opprimendam. Illa inter has angustias memor se esse S. Claræ filiam Deum admonuit promissionis de perpetua defensione datæ. Interea annitebatur barbarus virginitatis Florem delibando brutalem libidinem exsaturare. Sed vicit imbellis sexûs oratio robur lasciviens barbari, qui vidit astantem Gregoriæ quendam vultu gravi decoroque ac habitu Franciscano indutum, qui repetitis cordâ ictibus corpus Indi crudeliter contundendo ardorem libidinis suppressit. Nam saluti magis quàm fornicationi intentus veniam à Franciscano precabatur, & fugâ nitebatur evadere irati verbera. Gregoria autem videns barbari tremorem nec tamen protectorem suæ castitatis, timere quidem nondùm desinebat, sed nec audebat desperare manifestas experta suppetias, quare tantò ardentiùs castissimum Sponsum inclamare cœpit quod etiam non visus visibili ope succurreret. Barbarus cùm fugâ Franciscani ictus conspectumque declinâsset, ebulliente rursum libidinis æstu, ac revocatis in memoriam veteris fortitudinis exemplis, pusillanimitatem suam, quòd hominem solâ cordâ armatum non invasisset, damnavit, resumptoque animo citis pedibus ad Gregoriam recurrit, certus & voluptatem suam in ejus corpore explere, & inermem si rediret, defensorem prosternere, discerpereque. Sed quàm inanis est, invito cælo, omnis vis & furor! Adest Gregoriæ prior defensor sed severioribus plagis obstinatum barbarum castigans, cui nec verus virtus nec furore armata libido arma roburve contra ferientis cordâ ministrabant. Venerari ergò statuit, quã vincere non potuit, manũ, Gregoriæque velut supernâ defensione sacratæ se tradere servum: atq; in subjectionis testimonium terræ, quam illa calcaverat, osculum infixit; narrans Gregoriæ quo defensore ejus pudicitia esset salva & ipse superatus, mirantibus adeò subitam tàm ferocis hominis mutationem non tantùm cæteris Indis, sed & captivis Hispanis, quibus res gesta ex ordine est exposita. Visa etiam est quodam die Gregoria Indo tristior solito, rogataq; causam dixit, quod Breviarium, ex quo mos ipsi erat orare, non haberet. Ignarus, quid rei esset Breviarium, Indus venarum exiit in montes, invenitque quod nec quærebat, nec noverat objectum videlicet librum; quem cum Gregoriæ detulisset, atque ex ipsa Breviarium esse intellexisset, miraculo obstupefactus ad genua Gregoriæ se prostravit, rogavitque ut ediceret cujus rei desiderio illa maximè caperetur; sibi decretum esse illi omni in re obsecundari, cavereque sedulò non offendere virum tali habitu & cordâ vestitum. Ipsa actis pro benevolo animo gratiis, *Si me*, inquit, *in Sancti Iacobi civitatem transtuleris, permiserisq; liberam vivere in monasterio, quod ibi est, Sanctæ Claræ, rem facies acceptam non mihi modò, sed & Sponso meo Christo, & S. Francisco, quem in tali habitu expertus es meum fuisse defensorem.* Indus ipsâ executionis testinatione ostendit quanto animo obsequeretur, nam intactam statim

ſtatim ac benè habitam in dictam civitatem duxit, inſuper & ſeipſum eidem monaſterio perpetuum mancipium addixit, factus præco divinę potentiæ ac humanæ contra eam infirmitatis, quam ſuo experimento didiciſſet, ſed ſibi prorſus felici, quò ad veri Dei cognitionem & baptiſmum victus perveniſſet. Prorex Luiſius de Velaſco mirabilis ſucceſſus famâ excitatus, advocatum Limam Indum ac quingentis peſis à ſe donatum, cum conjuge parvuloque filio etiam baptizatis remiſit, qui & acceptam à Prorege pecuniam & ſeipſum iſti monaſterio impendit, prodigium miſerationis divinæ in ipſis etiam fœdiſſimorum peccatorum actibus perditos quærentis.

4. Quin & S. Dominici inſtitutum ſurculis ſuis Religioſæ *Incarnationis* complexæ ſunt. Fundaverat exſtruxeratque Sanctæ Catharinæ Senenſis monaſterium Ioannes de Robles Sacerdos, quod dotibus ſuis auxerunt cumulatiſſimè Lucia Guerra de la Daga ejuſque ſoror Clara, quarum illa Abbatiſſæ, hæc Prioriſſę officio poſteà functæ ſunt: primæ autem diſciplinæ monaſticæ magiſtræ fuerunt quinque ex monaſterio *Conceptionis*, quas à Religioſis *Incarnationis* eruditas ſuprà diximus. Quarum tres exacto primo anno ad prius aſcerterium reverſæ, Angela verò de Aro & Iſabella Cantaño, mutatis veſtibus, S. Dominici inſtitutum profeſſę ſunt. Vixeruntque poſteà in eo quinquaginta quinque nigri veli Religioſæ, quod floret obſervantiæ, orationum, ſolitudinis, & cultus divini laude, atque in quod anno M. DC. XXIV. quo primùm habitari cœpit, ſimultaneâ ſocietate, præter Converſas & Laicas, ingreſſæ fuerant novem ſupra viginti.

5. Nullum autem plus Auguſtinianis quàm Diſcalceatarum S. Ioſephi debet, quod in Peruvia eſt unicum quidem, ſed Angelorum habitaculum, terreſtre cælum, caſtimoniæ lilietum. Media ejus fundationi neceſſaria procuravit, ordinationeſque, quibus viveretur, præſcripſit P. M. Rochus de S. Vincentio Auguſtinianus non tantùm religionis zelo & Theologiâ præſtantiſſimus ſed Mathematicus in Peruvia maximus. Totum autem monaſterium delineavit, inque areas, cubicula, templum, officinas diſtinxit P. Hieronymus de Villegas ejuſdem Ordinis an eloquentior concionator, incertum, an architectus eminentior, quo conctâ fluvii inundationes Limę utiliſſimè uſus eſt Prorex Louiſius de Velaſco, quique Religioſis erat à confeſſionibus & concionibus ſacris. P. Rochus à S. Vincentio certè gaudens iam felicibus auſpiciis cœpiſſe & incremẽtis, augeri Religioſarum in Peruvia ſtatum, idque ſui maximè Ordinis induſtriâ & irrigationibus; deſiderabat aliud etiam genus, quod in Europa non magis rigore vitę quàm ſanctitate excellit, in novo mundo videre ſuorum opitulatione introductum. Laborem ipſe ſuſcipit, ac votum ſuum inſigni Ordinis amico D. Franciſco de Cardenas primùm aperit, animadvertenſque arridere, animum ejus ſollicitat ad fundationem faciendam ſub titulo S. Monicæ, qui collegis etiam non diſplicebat. Nec celabat hoc ſuum deſiderium Leonoram de Ribera & Beatricem de Oroſco notæ ſanctitatis in *Conceptione* Religioſas, quas ipſe in rebus animæ dirigebat. Quæ cum ſine calcaribus in idem propoſitum currerent, uno hoc diſcrimine quod ipſæ Sancti Ioſephi patrocinium præeligerent, ille nullo intempeſtivo ſui Ordinis amore turbidus, & ſolùm in excellentiorem Dei cultum, majoremque animarum puritatem collimans, ivit in earum voluntatem non admodum reluctans, conſcius præſertim quàm ſincero ipſæ adfectu agerentur, quantumq; illuſtriora eſſent dictarum Religioſarum ſeu quoad ſanctitatem ſeu ſanguinem æſtimatione incunabula futuræ domus. Erant ipſæ ſcilicet germanæ Rodricii de

de Orosco Marchionis de Mortara, qui Chuquisacæ in Peruvia oriundus in ipsum usque Belgium nominis sui famam armis extendit. P. Rochus item Agnetem de Sosa Francisci de Cardenas uxorem pijssimam fœminam aggressus est, quam adeò vicit, ut suæ ultimæ voluntatis dispositione legaverit in æquivalenti decies sexies mille pesa, in fundi emptionem, structuræque, si quid emptioni superesset, principium, requirens Leonoram & Beatricem, primas arctioris, quàm omnes intendebant, vitæ doctrices. His lætus initiis spem in ulteriora protendit, traxitque suis verbis in societatem fundationis viduam Annam de la Paz, cessâ hæreditate decies quater mille pesis æstimatâ. Agnetis de Sosa liberalitas tabulis consignata est anno post Christũ natum M. D. XCIV, Annę verò M.D.XCVIII. Post hæc eâdem diligentiâ Proregis Decaniq́ue consensum obtinuit, ipsoque illo anno M D.XCVIII. ædificia cœpit, continuavitque ad annum usque M. DC. III. quo ad XIV. Kalend. April. maximâ pompâ ac deducentibus Prorege Ludio de Velasco cęterisque principalioribus ministris regiis, concurrentibus item omnis status ac Ordinis hominibus ingressæ sunt novum monasterium Leonora de Ribera, Beatrix de Orosco, junctimq́ue Beatrix Flores, Catharina de Errera, Maria de Acuña, quas, usitatâ apud Discalceatas consuetudine, mutatis nominibus visum est appellare, Leonoram de Sanctissima Trinitate, Beatricem de Spiritu Sancto, Beatricem de Iesu, Catharinam de S. Ioseph, & Mariam de Sanctissimo Sacramento. Duæ primæ fundatrices cum opinione sanctitatis ex hac vita excesserunt, plures eam in vita merenrur, quas alius aliquando scriptor absque adulationis periculo poterit celebrare.

Multorum scientiâ dignum est quod in hoc monasterio accidisse reperio. Pater quidam filiam vi ad profitendum coëgerat, sed infortunato, ut ferè fieri solet, successu. Hęc in habitu Religioso nõ religiosè vivebat, officii divini, aliarumq́; cùm potuit, constitutionum neglectrix, sed neglectũ Deus multis infirmitatibus calamitatibusque compensavit. Ex mortuæ sepulchro multo tempore statutâ horâ ab omnibus Religiosis crebri ictus auditi sunt, sed earum suffragiis factum ut & lugubres cessent ictus, & ipsa visa sit ad cælestem gloriam pervolare à quadam, cujus sancti mores fidem merentur.

CAPVT VII.

De Rege seu Inga Sayri Tupac ejusq; conjuge ad fidem Catholicam per P. Ioannem Bivero Augustinianum conversis.



MAGNVM certè P. Ioannis ac Ordinis Augustiniani encomium, verùm egregium non Ecclesię modò, sed & Regibus Catholicis pręstitum in una hac conversione obsequium; cujus tamen insipida erit cognitio, nisi simul sciamus Ingæ genus, genium, studium, statum ac labores quibus ad subjectionem Regi Catholico præstandum induceretur, exantlatos. Quare altiùs nonnulla repetenda sunt. 1.

5. Franciscum Pizarrum bis in Peruviam fuisse ingressum alibi (a) diximus, primò quidem anno M. D. XXV. Secundò verò, M.D.XXXI. Aprili mense. Primi introitus tempore toti maximæque ac opulentissimæ Peruviæ monarchiæ Rex seu Inga *Guaynacapac* non magis summâ authoritate, quàm prudentiâ imperabat, sed ante secundum Francisci ingres-

(a) lib. 1. cap 1. & 3.

ingressum extinctus est relictis liberis plurimis (solos masculos geouisse dicitur ultrà treceotos (a)) iorer quos natu majores erant Guascar & Ataguaipa. Ille regni hæres Cusci à patre relictus; hic ab eodem Quitum secum ductus, sed qui mortuo patre regnum adfectans tyrannidem exercere cœpit, ac primò, oe quis competitor superesset, in sanguinem Regium, ipsomet Rege Guascare, aliisque fratribus quadraginta tribus crudeli ambitioois arbitrio trucidatis, sæviens etiam in materna viscera quæ ex fratre Guascare gravida esse suspicari poterat. Tam monstrosa scilicet ambitio est, ut & reverentiam progenitorum exuat, & naturalem pellat amorem, ac timeat noodum natos. Aragualpam autem captum Franciscus Pizarro cremari jussit. Cujus morte in Regnum successit frater Manco ejus nomiois secundus, captivitate suâ per Franciscum Pizarrum, restitutâ per Ferdinandum Pizarrum libertate, generali totius regni contra Hispanos conspiratione, bellis prœliisque cum iis gestis notus, (b) quem Gomesius Perez Hispanus miles, quòd, orto ex globorum lusu in Vilcabamba litigio, se pugno cæcidisset, impacto in ejus tempora globo occidit.

(a) Antonius de la Calancha lib. 1. ca. 15.

(b) vide lib. 2. cap. 7.

3. Huic Manconi superstes mansit filius regniq; hęres *Sayri Tupac*, de quo agimus: qui matrimonio sibi copulavit patrui Guascaris filiam *Coyam Cuxi Varcay*, quæ unica, matris industriâ, furori tyranni Ataguaipę fuerat subtracta. Ille patris Manconis imitatiooe in Andibus Vilcabambę vixit, in quibus & se contra Hispanos tueretur, & in eosdē nactus occasiones excurreret. Dùm verò in Regem purpureâ plumâ, solemni apud gentem ritu, initiaretur, quòd Regnum avitum jam Hispaoos possideret, mutato nomine, *Mancocapac Pachacuti Tupangui* quasi, regno privatus (c) dici voluit. Quamquàm, si omne illis verbis significatum exprimi velimus, idem sit, ac, *Observa, regnum, quod Manco potens & dives stabilivit, mundo se alternante, à me nunc auferunt*. Visus hac nominum commutatione, (quæ scienda fuit ne quis apud scriptores varietate nominū error obrepat aut obscuritas) seu ad fortunæ præsentis commiserationem, seu ad vindictæ stimulum genti suæ injiciendū. Ipse adversantē fortuoam ita tulit, ut de recursu faventioris oon desperaret, recuperandique spem regni suis dicto, factoque injiceret; à suis divino propemodum honore cultus; Hispanis excursionibus formidolosus.

(c) secundum Paleutinum.

4. Hunc, quia intererat plurimùm, ut Regi Catholico amicum redderet, modis omnibus laboravit Prorex Marchio Andreas Hurtado de Mendoça. Inter plures hic opportunior videbatur, & fuit certè fortuoatior. Ingæ amita erat Beatrix *Mancocapac Tupangui* Didaco Ernandez oupta, mulier animo judicioque valens ac Regiarum partium studiosa. Ad hanc Prorex Cusćum misit Baptistam Muñoz, scripsitque literis humanissimis, Iogam nepotem suum ad Regis Catholici obedientiam ut reduceret, ejusque nomine promitteret reditus titulosque, futuros illius personæ nec tenues nec indecoros. Quæ benemerendi de Rege occasione læta Tariscam misit Ingæ avunculum, qui apud eum præcipuâ gratiâ pollebat, certa nullum alium, quod agebatur, aut futurum apud Ingam, aut ab Inga audiendum. Ille superatis itinerum difficultatibus, quæ tunc ob ruptos ab Indis pōtes, publicasq; vias fossis intersectas ac aggeribus munitas maximè erant, Proregis ac Beatricis postulata Ingæ, ac Tribunorum Caziquarumque concilio, (sine quo, quod tunc nondum in plumâ purpureâ esset coronatus, aut mandare quidpiam aut exequi non poterat) exponit. Auditum detinere placuit, donec misso Casiquâ *Cusi* à Beatrice exploràssent legationis sinceritatem aut dolum. Si sincera esset, Cusi à Prorege, ut ad Ingam mitteret Ioanoem Sierra Mancionis Sierra & Beatricis filium postularet.

postularet. Quem si Prorex dettectaret, nondum arbitrabantur fidendum, si mitteret, confirmata bonæ Hispanorum voluntatis esset opinio. Fuit autem Mancio ex primis conquisitoribus unus, à quibus dùm Cuscum spoliaretur, illi aureus Sol, quem adorare barbati solebant, in prædam obtigit, quem in aurora ludendo amisit. (a)

(a) vide lib. 1. cap. 4. num. 2.

5. Prorex non tantùm nullâ cunctatione Ioannem misit, sed & magnis honoribus Legatum suscepit, quâ facilitate humanitateque omnem doli suspicionem ab Indorum animis semovit. Legato ita expedito, subsequi mox ad Ingam voluit P. Melchiorem de los Reyes præclarum Ordinis S. Dominici virum, & Ioannem Berangos, idiomatis, quo Inga loquebatur, egregium interpretem. Instructi potestate ac rebus aliis ad meundam cum Inga concordiam, cùm frustrà iter per *Guamangam* & *Andaguaylas* magnorum fluviorum objectu tentassent, Cuscum; antequam *Cusi* Legatus indè abscessisset, pervenerunt, à quo in Vilcabambam cum Ioanne Sierra ducti sunt. Exercitus autem eos aliquot ab Ingæ domicilio miliaribus subsistere jussit; sed accepto de eorum adventu nuntio Inga misso Præfecto exercitus cum Caribibus (Caribes gens crudelis est) ducentis, Legatorum literas examinari voluit, quas roganti tradiderunt cum muneribus à Prorege ad Ingam missis. Literæ, præter cætera, continebant dari veniam omnibus qui Regi Catholico obstitissent. Quod de industria à Prorege ad continuandam possessionem à Pontificibus Alexandro VI. Adriano VI. & Paulo III. datam adjectum, summè offendit barbaros, quòd non peccasse se regni terrarumque suarum defensione, sed esse in se peccatum violentâ eorum ablatione asseverarent. Quare non visos Inga redire cum muneribus jussit, Proregique nuntiare, id faceret quod videretur posseique, sibi suisque statutum esse regnum ab invasoribus extorquere; ant, si non possent, de acceptis injuriis ulcisci. Abeuntibus omnibus Ioannem Sierra revocavit, & velut cognatum honorificè habuit, agereque de conditionibus concordiæ cœpit à Prorege sibi oblatis, rudes eas videri, neq; sine longi temporis examine, sine conscientia Concilii, sine Deorum consulto eis respondere posse. Idem Concilio visum; judicatumq; ut intereà Ioannes cum adjunctis aliquot Indici exercitus Tribunis Limam rediret, & Prorex de censu de populis terrisque sibi assignandis deliberaret, cui nomine Ingæ in hæc verba loquerentur, *Gratam sibi esse amicitiam oblatam, neque recusare obedientiam Magno Hispaniarū Regi, quandoquidem fortuna caloq; visùm esset Patrum suorum possessiones in exteram gentem transferre: se tamen natum Regem, maximaq; Perüana monarchia legitimâ successione hæredem; proindeq; Prorex maturâ deliberatione assignaret reditus, terras populoq; suo stemmati & authoritati congruentes; quo facto, ne obstinatiùs quàm constantiùs suorum sanguine, exiliis, turbisq; paternum imperium prosequi velle videretur, se Regi Hispaniarum obedientiam præstiturū.*

6. Quæ barbari hominis oratio, cum Limæ recitata esset, nulli barbara visa est; fuit tamen suis maximè ingratum propositum, qui imperium fortiter recuperare, quàm inerter cedere, moriique defendendo libertatem, quàm sordidam acceptando servitutem aut subjectionem vivere, maluissent. *Fortunam aiebant esse inconstantem; posseq; eandem, quæ se ex majestate tam altâ paucis ab hinc annis in præsentem egestatem præcipitasset, paucos post dies eundem cum extera gente lusum ludere, Perüanis in pristinam gloriam potentiamq; remissis: illi perpetuò adsistere tædium diuturnitatis. Quod si ex præteritis præsentibusq; divinare aliquid in futurum liceat, videri eam vel nunc victores nuper nostros abominari; hoc illorum in nos crudelitas, inter se inflexibilia odia intestinaq; bella non præsagire sed velut digito demonstrare.* Quibus dùm Perüani in Vilcabamba inter se exercentur, Prorex,

Legatis Limæ perlubenter auditis & honorificè susceptis, collato priùs cum Archiepiscopo & Audientia consilio decrevit Ingæ ejusque posteris in annos singulos septemdecim pesorum millia, præter Indos, qui Francisco Pizarro juniori & Francisco Giron olim dati fuerant in commendam, ac vallem *Yucay*, quæ paucis ab hinc annis à Marchionilla de Oropesa ab hoc Inga descendente possidebantur. Placuit tamen Ingæ solemni sacrificio, cui octavus Septembris dies anni M. D. LVII. decretus est, Deorum responsa exquirere, antequàm res solide concluderetur, à quibus concorditer, quod nunquàm hactenus, suasa cũ Hispano cōcordia est, hanc fore fortunatam. Sed nec tunc deerant, qui libertatis amore Diis obluctandum censerent. Quibus verbis iratus Inga, *Videtis*, inquit, *cælo, terrâ, Pachacamaco, omnibusque guacis cōspirantibus ad concordiam nos vocari. His obedire ego pium censeo, vos metum aut pusillanimitatem arbitramini? Revocate in memoriam Majorum meorum meaque fortiter gesta, & invenietis nihil ab ipsis indignum maximis viris, nihil à me parentibus indecorum gestum. Aliud nunc Diis, aliud Deorum supremo Pachacamaco visum; illis obsistemus qui ducere illuc nos tradereque possunt etiam nolentes? Hoc fatum, hanc Deorum voluntatem, si potestis, secludite: etiam ultrò adventitiam gentem quod jam viginti à me præstitum est annis, lacessam, vestris animis, vestrâ fortitudine, vestris armis, qua tot didici experimentis fretus. Nunquàm illa debilior, nunquàm nos fuimus fortiores, aut ad arma instructiores. Nondum mihi fortuna, licèt indignans, abstulit, quod in imperio est præcipuum, vestrum scilicet ergà me amorem & reverentiam, pronumque omnium Indorum licèt laboriosum obsequium, quæ, si justè de rebus judicemus, præferenda sunt omnibus divitiis, inter quas illa non-rarò deficiunt, aut languent, aut incerta sunt nullis manifestè cognita documentis. Quapropter in his bonis, multis me Regibus beatiorem reputarem, contemnerèmque quas passi sumus ac patimur calamitates, nisi me Deorum omnium oracula, vestrum commodum, tranquillitasque publica moverent. Vrgentibus autem aliò Divis, stat concordiam conceptam inire. Qui Regem amatis, ejus propositum sequimini; maneant qui sequi detrectant, quorum inobedientiam opportuno tempore castigabo.* Finienti tam asperè Ingę omnes assenserunt.

Tùm octo dies conviviis & ebrietaribus dati, post quos cum præcipuis Tribunis & Centurionibus Indisque omninò trecentis iter Limense Nonis Octobr. (a) anni M. D. LVII. ingressus est, illucque per *Andaguaylas* pervenit Nonis Ianuatiis (b) anni sequentis. Proregem, qui stipatus Auditoribus eum expectabat, salutaturus accessit: à quo perquàm humaniter acceptus, atque ad ejus latus sedere rogatus, variis hinc indè sermonibus per interpretem datis redditisque, ab omnibus judicatus fuit humanus & prudens, neque ab illis Regibus degener, quorum tanta fuit in ferendis legibus sapientia, in tuenda majestate magnificentia, & severitas in exigenda à subditis veneratione. Præstitâ Regi obedientiâ invitatus ad prandium ab Archiepiscopo Hieronymo de Loaysa non minora dedit generosi animi præsentisque ingenii indicia: esciis namque mappisque ablatis, cum Proregis literas legi audiisset, petiissetque explicari, arreptum ex panno holoserico, quo mensa insternebatur, flocco, *Totus*, inquit, *ille pannus meus erat, & ecce nunc ab aliis flocculus ille mihi meæque domui adsignatur.* Quo dicto tacuit ac surrexit eâ gravitate & latentis doloris dissimulatione, quã omnes mirabantur. Deinde Cuscum contendit, deflexitque ad ædes Beatricis, quò mox omnes regni Casiquæ à remotissimis finibus salutatum eum venerunt. Tanta inerat genti barbaræ Ingarum suorum veneratio, ut eam in adflicta fortuna maximis laboribus exhibere gauderent.

(a) 7. Octo.

(b) 5 Ianu.

8. Atque hoc quidem modo concordiam cum Hispaniarum Rege iniit, idololatriæ tamen studium

non

non dimisit, seu animi ex se subjectioni obluctantis indicio, seu fuorũ complacentiâ, seu incuriâ Christianorum potiùs Regis Catholici commodorũ, quàm divini honoris satagentium. Vt-ut est, patuit sanè brevi zelus Proregis aliorumque, quo Ingam suæ salutis incurium, vallisque Cuscanæ oblectamentis se excercentem, ad veri Dei cultum perducere laborabant. Huic operi opportunissimus visus fuit P. Ioannes de Vivero magnum Augustiniani Ordinis decus, tùm quòd Theologiâ eloquentiâque excelleret, tùm quòd ad magnarum rerum executionem animo esset invicto, tùm quòd Cuscum jam iturìebat novam illuc Ordinis sui coloniam traducturus. Hic ergò à Prorege, Archiepiscopo, & Audientia electus qui Ingam licèt Deorum suorum studiosissimum novæ fidei prædicatione aggrederetur. Qui non ignarus inanem esse omnem sermonem exteriùs sonantem, nisi principalis ad cor loquatur doceatque magister, super humana omnia subsidia, quibus tùm à natura, tùm longo studio & usu, tùm à Prorege erat instructus, diligentissimè ad opem divinam per jejunia, sacrificia, preces recurrendum censuit. Tunc Limâ Cuscum profectus, ut profectioni pondus adderet, dixit Ingæ non aliâ se causâ venisse quàm ut Veri Dei nomen, Religionemque edoceret, sine qua necesse sit in æternas miserias devolvi, sociosque fieri in tormentis dæmonum, quos pro Diis adorassent. Hoc Proregem, hoc Archiepiscopum, hoc Audientiam sollicitos habere. Egit Inga gratias de sua salute sollicitis, & cùm non displicuisset oratio, Ioannem sæpiùs audire decrevit. Paulatim eùm amare cœpit & colere egregiis ejus virtutibus victus: inter cæteras eximiam ejus modestiam extremumque rerum temporalium, propter quas ex alio illuc mundo advolare indies plurimos sciebat, contemptum mirabatur. Quare & ipse oblectamentis solitis conviviisque ac voluptatibus cæteris minùs usus est & seriò ad fidem Catholicam animum applicuit, quàm cum docente Ioanne didicisset sufficienter, ejus doctrina ad correctionem morum, quos Ecclesia non patitur, devoluta est: multitudinem scilicet uxorum dissuasit, quas cum triginta, quinquagintaq; nonnumquàm haberet, evicit ut reliquis relictis unam duceret *Cusi Huarcay* formosissimam Guascaris Regis filiam (*a*) aut neptem. (*b*) Quæ non magis thalami quàm Christianæ doctrinæ consors facta, cum Inga viro suo baptismatis Sacramento ablura est emoriente jam anno M. D. LVIII. Spicilegium Dei in agro fuit quem totum dæmones messuerant. Inga nomen Iacobi assumpsit, quod sciret, quàm mirabiliter parte suo Cuscum obsidente, Apostolus Iacobus Hispanis esset opitulatus. Integrum nomen hoc erat, *Iacobus Sayri Tupac.* Magna fuit Cusci causâ hujus baptismatis lætitiæ ostentatio, sed multimodis proculdubio major in cœlo, ubi, Christo docente, (*c*) didicimus *gaudium esse coram Angelis Dei super uno peccatore pœnitentiam agente.*

(a) Secundum Palentinum.

(b) Secundum Garcilasum.

(c) Lucæ 15.

CAPVT VIII.

Seditio à P. Ioanne Bivero detecta.



IACOBO Sayri Tupac Inga in concordiam cum Rege atque ad Catholicã fidem reducto novum Perüanum regnũ absque omni metu atque in pace videri potuisset, sed novis rursus tumultibus agitari cœpit, eoque periculosioribus quòd internis. Numquàm in Rep. querulosi defuerunt; iis abundabat Peruvia, seu quòd ingentibus laboribus in ejus subjectione factis digna præ- 1.

mia non essent consecuti, seu quòd tot inrestinis bellis injurias passi, aliasve ob causas. His pessimus quisque facilè jungebatur vel spolii ac impunitatis spe, vel consuetudine malefaciendi. Boni undique timore arctabantur neque ulla illis conversatio tuta erat: cum seditiosis agere & ratio prohibebat & justa perduellionis pœna: cum regiis, timebant injustam violentamque à perduellibus oppressionem. Prorex ipse non parùm angebatur. Invaderet ac castigaret omnes? auxisset potiùs quàm extinxisset malum. Animadverteret in capita ducesq; factionū eorumque pœnâ metum ad omnes transmitteret? illi ignorabantur, adeò lubdolè præteritis successibus & periculis edocti proditionem adornabant. Augebatur insuper seditiosorum animus numerusque imminuto castigationis timore, ob nuntia ex Hispania allata, Alvarum de Torres Martini de Roblez fidissimi Regis ministri, quem injustè Prorex curaverat trucidari, filiū impetrasse, ut Andreæ de Vrtado Peruviæ administratio, quam vix octo mēsibus obtinuerat, adimeretur, Didaco de Açevedo, à quo descendunt Comites de Fuentes, in ejus locum constituto, quem, quod in itinere defungeretur, secutus est Didacus de Cuñiga & Velasco Comes de Nieva anno M. D. LIX.

2. Ob has igitur causas magna erat totius Peruviæ consternatio, quæ non aliundè meliùs quàm à P. Ioanne Bivero solatium expectare posse videbatur. Ab illo Prorex, ab illo Nobiles tota denique Respub. factionis ducem ut detegere laboraret, sollicitè rogârunt. Istud autem securiùs quàm à Deo rerū omnium etiā abstrusissimarum conscio quomodò ille consequeretur? Hunc solitis armis, quæq; non semel expertus erat fuisse efficacia, aggressus est, orationibus scilicet, sacrificiis & jejuniis, & superavit; nam & dux conspirationis detectus & complices; quos cùm seu ob eorum qualitatem seu numerum Ioannes non judicaret manifestandos, ne desperatione animos intendentes incendium augerent, suasit honorificæ legationis aut officii obtentu aliò ut mitterentur, redderetque benignitate fideles, quos periculum erat castigare rebelles. Salubre consilium executus Prorex paucos post menses suppressâ seditione pacem quietemque Peruviæ reduxit. Rex Philippus II. cum multorum literis didicisset operam à Ioanne tam fideliter fœliciterque impensam regno, quæ sine commemoratione nobilitatis, doctrinæ, cæterarumq; virtutum in eo excellentium non scribebantur, humanissimè ei gratias egit, mandavitque Indiarum Concilio ut prima Episcopalis sedes in Peruvia vacatura, Ioanni vacaret successori. Effectus quâ ratione fuerit secutus mandatum, aliud Capitulum docebit.

CAPVT IX.

Vita R. P. Ioannis Bivero.



OCVS nativitatis ejus Vallisoletum est splendidissimum Castellæ Veteris ad ripam Pisurgæ fluminis oppidum; originaria domus Vlmedone, (a) præcipuæ apud Castellanos nobilitatis, stemma suum deducens à Comite Rodericio de Romaes Monterosi (b) in regno Galliciæ Domino, Fruelæ Regis Legionensis nepote, qui Miliam Angliæ Regis filiam duxit. Ad hanc familiam nunc etiam Comitatus de Fuensaldaña devenit. Illustre stemma ipse suis virtutibus illustrius reddidit. Habitu Augustiniano Salmanticæ donatus, rudimenta vitæ religiosæ ita egit, ut jam-tunc perfectus videretur. Mysticam Theologiam cùm in seipso exercerer, Scola-

1. (a) Olmedo. (b) Monterosso.

Scolasticam & Moralem imbibit profundissimè. Vt dicēdi in concionando valuit plurimùm, eò collimans ut bonos in virtutibus animaret, peccatoresq; revocaret ad meliorem frugem, laudis propriæ planè negligens. Pacem in se amans, eam etiam inter alios conciliabat. Pauperibus, omnibus, quibus poterat, modis aderat. Eum fuisse ex undecim, qui anno M.D.LVII. in Peruviam ex Hispania trajecerunt, suprà (r) diximus: gloriosiùs sanè æstimabat infidelibus rudibus & aversis, quàm in aula Regis eruditis aulicis faventibusq; prædicare; munus istud impigrè apud illas gentes executus est, incredibili Indorum fructu: quem ut faciliùs abundantiusque consequeretur longa jejunia, aspera cilicia, crudeoras adhibuit disciplinas; ità vigilare doctus ut dormire numquàm putaretur. Somni debitū miseræ naturæ à ventre innatum, magnis quidem in initio difficultatibus, sed tamen ingenti bono suo evicerat; quod enim alii etiam boni in naturæ solatium reparationemq; admittere consueverunt, ille excludendo majores longè delicias invenit: orationi scilicet ac meditationi, quibus nihil potest esse animæ germanitùs Christianæ dulcius, tempus, quod somnus maximus ejus fur aliis aufert, impendit, modumque dedit quò vitam quis reddat longiorem, non temporis sed operationis extensione. Cuscum coloniam primus ipse traduxit; Limensem Conventum Supprior Priorq; rexit, Provinciam Definitor, raro ubiq; prudentiæ exemplo; atque insuper humilitatis dùm Supprioris officium Definitor non est dedignatus.

(r) hoc lib. cap. 2.

2. Consilio ita valuit, ut non dubitaretur speciali à cælo dono fuisse illi cōcessum; illius exempla in Ingæ conversione, in detecta & sedata seditione præcesserunt: præter quæ & hoc sit unum, Proregem Didacum de Cuñiga & Velasco Comitem de Nieva præmaturâ morte extinguendum, ut regnum tot tempestatibus agitari solitum, contra occursuras ante novi Proregis adventum præmuniret, Joanne maximè usum fuisse: solemnissimum autem, quandò cum Prorege Francisco de Toledo, Peruviam visitavit & leges condidit, quæ hactenus perseverant, factæ Regiæ. Rès ita se habet. Philippus II. Hispaniarum Rex anno M. D. LXIX. Franciscum de Toledo in Peruviam misit, additâ, quòd hominem nosset rerum omnium capacissimum, potestate amplissimâ constituendi servandam securitatis certi regiminis in isto regno formam. Ordinaret scilicet, quid in Parochiis, Prædicationibus, Synodis, Præsentationibus, Commendis, Feudis esset servandum. Institueret Inquisitionis Tribunal, Vniversitates, domum ad cudēdam pecuniam; & in eis Inquisitores, Professores, Officiales eorumque stipendia. Pretia item rerum, jurisdictionis terminos, litium formam, collegia, Hospitalia. Daret leges Hispanis Indisque pro agris aliisque terris, domibus, sylvis, servitutibus, itineribus, operis, triburis, vectigalibus, pro cujusque Provinciæ, civitatis, oppidi, pagi, necessitatibus, aliisque sine numero rebus. Indos ad pauciores colonias magisque politicas reduceret. Prorex considerabat non rerum tantùm multitudinem, sed & earum magnitudinem ac difficultates, corpore in tantâ ac tam variâ generiorum ac ingeniorum diversitate, in qua quod uni prodest, alteri obest, statutum; aliquibus favorabile, detrimentosum est aliis, nec unâ ratione Indis Hispanisque unquàm fuerit satisfactum. Quare ad operis laborumque societatem adhibuit P. Joannem Bivero, P. Franciscum del Corral & P. Augustinum de Coruña, Augustinianos omnes. Tertium conscientiæ suæ præfecit: Secundum visitare Provincias voluit, ad quas ipse non esset accessurus; Primùm sibi adesse. Nec reluctari poterant, etiamsi vellent, Proregis electioni, mandato Superiorum, quod inter acta exstat Comitiorum anni M. D. LXI. ad obediendum

diendum eos compellente; quo alacres tulerunt, quæ sine eo morte duriora reputassent, à cella tam lõgam absentiam, vitam inter aulicos, curationem sæcularium negotiorum, in quibus, præter petentium & querulorum tędia, plurima quotidie obvia sunt, quibus conscientiæ puritas offuscetur. Cusci, antequàm opus quisque suum aggrederetur, convenerunt, indeq; initium Prorex sumpsit visitationis, quam hic prosequemur, P. Francisci & P. Augustini labores alibi dicturi. Prorex certè non parvâ exercitus sui jacturâ & incommodo Hispanos, Indósque vicit, quotquot Cuscum inter & Limam, ac hanc inter Potosiumque (a) interjacenti ipsos insuper *Chraguanaes* finitimos Chilensibus, ad quos Hispanum imperiũ extendere cogitabat. Si incommoda spectes, frigora fuerunt & æstus, fames & sitis, montium cacumina fluviique; si spatium, mille quingentarum leucarum; atque inter hæc bis mille difficultates contradictoriè examinavit. Hanc Provinciarum rerumque notitiam adeptus leges condere aggressus est P. Ioanne studii laborumque consorte, sed eas non absolvit nisi peractâ lustratione P. Francisum del Corral, quem miserat cũ amplâ potestate res civiles (criminales à Sacerdote non poterant) omninò omnes cognoscendi, audisset: cujus relatione multa in antè conceptis limanda observavit. Absolutas Philippo in Hispaniam misit, qui licèt esset Regum hominumque prudentissimus, legi eas atque examinari à Consiliariis Legumque peritis voluit, antequàm eas suo calculo, alter in novo mundo futurus Iustinianus, approbaret. Adeò autem omnibus justæ visæ sunt, ut eas idem ille Rex voluerit esse normam omnium Tribunalium ac Iudicum, & annuatim post Pascha in publicis locis recitari. Modò apud plurimos non legum tantùm authoritatem habent, sed Prophetiarum venerationem, complexæ mirabiliter non modò quod primis illis temporibus, sed quod olim venturis utilè esset necessariumque. Insigne fuit hoc Ordinis Augustiniani in Regem suum obsequium, quo non inferius fuit aliud circa hoc tempus à P. Ioanne de S. Petro præstitum.

(a) Potosi.

3. Ioannis autem Bivero tantò copiosior hæc laus est, quod tot negotiorũ æstibus agitatus eas virtutes, quæ sæpissimè in Principum palatiis periclitãtur, pudicitiam, abstinentiã, humilitatem, modestiam, patientiã non conservârit modò sed & auxerit, discipulum, quem diligebat Iesus, imitatus, qui, Petro in domo Annæ Pontificis Christum negante, inviolatus persistẽs obtinuit ut Deiparæ custos constitueretur. (b) Nec sanè fortius est divini amoris virtutumque argumentum quàm inter illecebras peccatorum incõcussum perstitisse. Ioannes his pro Rege cum Prorege laboribus defunctus, in alios mox mandato Superiorum intravit, maximos sanè, sed an Regi, incertum, an Indis, an Ordini Augustiniano utiliores. Quitum sui Ordinis coloniam transferre jussi erant anno M. D. LXXIII. P. Gabriel de Saona Apostolus dictus & Propheta, ac P. Luisius Alvarez viri multis nominibus præclari: Hos Comitiorum anni M. D. LXXV. decreto secutus est P. Ioannes Bivero primus illius loci Prior, quem plurimi semper labores exercuerunt, nullus fatigavit. Quitum Limâ abest leucis omninò trecentis, Quito ad terminos usque novi Regni aliæ rursus quadringentæ excurrunt, quæ ipsius culturæ deputabantur. Laborabat ibi cum suis seu excitando domos, seu Indis prędicando impigrè Ioannes, sed non complectebatur paucorum labor tam vasta terrarum spatia. Quare, ut numerum operariorum augeret, simul ac Philippum Regem de rebus Indicis instrueret, in Hispaniam profectus est, ubi eum jampridem prævolans obsequiorum & meritorum fama Regi percharum fecerat. Nondum Regem convenerat, cum intellexit se ab illo Episcopum Cartagenæ constitutum. Libenter

(b) Ioan. 19.

benter auditum idem Rex Episcopato *de los Charcas*, cujus præcipua civitas *Chuquisaca*, seu *Civitas de la Plata* est, honoravit opulentiori quidem (annuus namque ejus census octuagies mille pesorum erat) sed non magis grato; pauperrimus scilicet humillimusque Religiosus omnes dignitates jam pridem contempserat. Vnum id Ioannis animum distrahebat, divinæ voluntatis ignorantia. Acceptaret? prorsus erat illi adversum: Recusaret? fortè Dei ordinationi contrarium. Quibus cum pugnantibus inter se cogitationibus exercetur, Toletum, ibi jejuniis orationibusque divinum beneplacitum inquisiturus, profectus, in morbum incidit, quo & extinctus est, gaudens, quod sine Episcopatu, qui tam paucis saluti fuisset.

HISTORIÆ
PERVANÆ
LIBER VIII.

Capituli quarti triennium.

CAPVT I.
Celebratio Capituli.



1. ANNVS horum Comitiorum fuit M. D. LX. dies XI. Maii, Locus Lima, ut hactenus solet. Creati in eis Provincialis P. Andreas de S. Maria. Definitores P. Hieronymus Melendez, P Petrus Cepeda, P. Ioannes Bivero, P. Didacus Gutierrez. Inter cætera decretum in meritum salutaris obedientiæ fuit, ne quis Regi Regiòve Concilio privatus scriberet; si quid Dei honorē, Regis, Hispanorū, Indorumve commodū concerneret, ad Definitorium teferretur, ejus suffragiis approbandum, vel rejiciendum. Adeò semper particularium votis, quæ facilè cupiditate aliqua, irâ, precibusve aliorum infecta à recta ratione deficiūt, ab Augustinianis obviatum est, in solùm Dei honorem Provinciarumque utilitatem collimantibus.

2. *Laymebambam, Conchucosq́, Trugillum*, *Cascam* & *Pariam* tamquam novas colonias, quas ducere trienio præcedenti cœperant, admiserunt. Quo factum ut Provincia anteà non nisi centum leucas complexa, nunc verò extensa ultra quadringentas, in tria velut membra distingueretur, quò partitis in diversos laboribus utiliùs, faciliusque visitarentur. Primum *Limense* est, patet que secundum litorum ductum in longitudinem ultra sex gradus, quatuor scilicet inter *Nascam* meridionaliorem & *Santam* septemtrionaliorem spatium intercurrit, excurritque in terram *Guamangam* usque & *Conchucos*. Secundum *Trugillense* Santā, *Guamachuco*, *Cōchucos*, *Laymebambam*, *Chachapoyas* complectitur. Tertium *Cuscense* ad ulteriores se *Sierras* latè extendit. Visitandi cura Prioribus Limensi, Trugillensi, & Cuscensi commissa fuit. Trugillensibus Cuscensibusq; permissum Novitios ut reciperent. Laudanda insuper plurimùm fuit Definitorii non hujus modò sed & aliorum sollicitudo, vigilans studiosiùs, ut aptum Infidelibus mitteret Prædicatorem, quàm constitueret suis Priorē, adeò omnia ad illorū cōversionem, propter quā ex remotissimis terris venerāt, ordinabātur.

Gg CAPVT

CAPVT II.

De Provincia de los Conchucos, habitantium idololatria & moribus, & quinam primi fuerint fidei Catholicæ apud eos annuntiatores.



1. CONCHVCOS *Provincia* est aliquantò quàm Lima orientalior inter octavum nonumque gradum latitudinis Australis, inter *Guamachuco* & *Guanuco* interjecta: Pagos habet sex, *Pallasca*, *Tauca*, *Piscobamba*, *Corengo*, *Guandoval*, & *Cabuana*. Montes, licet exiguo ab Æquinoctiali spatio remoti, frigore sunt inhabitabiles, quorum nonnulli perpetuis sunt nivibus geluque contecti: valles agris sylvisque satis lætæ. Rupem hic videre est nigram, quam quasi artificio humano collocati intercurrunt lapides albi, vulneribus infirmitatibusque curandis ita utiles, ut apothecam diceres variis medicinarum generibus refertam: vulnera ulceraque seu hominum seu bestiarum curant omninò omnia: disenteriam item ventrisque fluxum: urinæ difficultates, aliaque ejusmodi. ut magnâ quantitate excindantur in alias regiones transferendi. Et, ut totum benignæ naturæ munus agnoscas, iterum crescunt excisi, quod augmentum nigris rupis partibus, quæ non prosunt, denegavit. Sumuntur autem in pulverem contusi vinoque aut chichæ injecti. Quodque naturæ illud miraculum auget, alia ejusdem montis rupes est coloris nigri, quâ nullum nocivius aut vehementius est venenum, quo animalia licèt cursim transeuntia extinguuntur. Tantillum aut ex ea pulveris Indorum futori non rarò fervit, ut citissimâ morte inimicum interficiant; nec aliud hactenus contra hanc pestem remedium, quam alborum istorum lapidum, natura detexit.

2. Alio item in eadem Provincia miraculo natura lusit. Fons est, *Puquio* genti dictus, in quo cùm toto anno nulli observentur pisces, à die tamen Cinerum usque ad Sabbathum sanctum plurimi sunt, optimique saporis. Atque hoc ita, dùm nostri ibi prædicarent, contigisse, res est certissima; an autem ordinariâ naturæ, adhuc apud me incertum, an speciali Dei servis suis jejunio addictissimis aptos cibos præmittentis operatione. Si Scriptores nonnullos consulamus (a) simile prodigium quotannis in Provincia *Zarzania* & *Gorgona* (quæ inter *Panamam* est *Paytamque*) ostendi docebunt.

3. Mores incolarum absque omni politica sunt sylvestres & asperi, quos insuper protervia, resistendi libidine, veneficiis & pertinaci idololatriâ fœdant. Religio ipsis varia; quamquàm Solis, Lunæ, stellarumque cōmunis sit cultus; mari munera offerunt argētea cupreaque; majores suos pro Laribus seu Diis domesticis venerantur; educunt secū, dùm ad bella procedunt, idolum, quod Deum exercituum appellant, cui non tantùm spolia ab inimicis detracta offerebant, sed ipsos insuper captivos immolabant.

4. In *Cabuaca* porrò & *Tauca Conchucorum* pagis idolum est *Catequilla*, indigenis extetisque longè celebratissimum; in illas terras *Guamachuco* delatum. Delationis hæc fuit causa. *Topa Inga Tupangui* pater *Guaynacapac*, *Guascaris* autem & *Ataguapa* avus eùm per *Guamachucum* copiosum duceret exercitium, Fratrem, qui in Quito rebellaverat, castigaturus, convocatis *Catequillæ* Sacerdotibus inquiri ab idolo

(a) Marcum Paulum Venetum in suis navigationibus; Hieronymum Cortés Valentianum Astronomum & Mathematicum tractatu 4. de secretis naturæ.

idolo jussit, victorne à prælio, quod fratri esset illaturus, rediret, an in illo occumberet? Atque, ut placatius esset, addidit oblationes ac sacrificia. Sacerdotes insuper, ut illud honoris sui, quòd ad Regium esset mandatum respondendum, præcipuam curam gerere admonerent, jejunaverunt. Respondit *Catequilla*, Regem esse moriturum; responsum sanè in nullo humanâ scientiâ altius, cùm neque de die mortis, neque de victoriæ cladive quam rogabatur, circũstantia quidquam pronuntiasset. Oraculum tamen ex eventu, gentis ignorantiâ, & Sacerdotum plausibili persuasione æstimationem obtinuit maximam; creditaque est mors Regis, qua paulò post in Quito, fratre suo Gubernatore relicto, exstinctus est, non casu sed præscientiâ accidisse Deorum. Patri *Topa* successit *Guaynacapac* filius, qui *Cusco Quitum* usque regnum lustraturus, *Guamachucum* in itinere pettigit, viditque templum Cuscensi, quod per totam Peruviam celebrabatur Soli à majoribus dedicatum, æmulum sivè lapidum elegantiam spectaret, seu solidam eorum sine ullo bitumine cohærentiam; sola magnitudine aliquantò inferius. Rex causam tantæ magnificentiæ à Sacerdotibus edoctus, indignatusque tam amplam molem lataque venerationem à prædictione mortis paternæ sumpsisse exordium, ignem in fanũ injici jussit. Tam nullus est apud Gentiles Deorum suorum timor, quandò eorum mentes ira cupiditasve tantisper deflectunt, ut non meminerint se continendi populi causâ publicis ritibus Deos venerari. Sacerdotes idoli lambentibus jam flammis incendio proximi miserti, nequidquam obsistere aut ustulationis aut regiæ iræ metu, volant per medios ignes, illudque eripiunt quod aliàs sine cultorum suorum auxilio in cineres fuisset brevi redactum. Posteà noctu ablatum in *Cahuana Conchucorũ* constituunt, mutato quidem nomine sed cultu non inferiori adorantes.

5. In *Tanca* Succubos colebant, atque à viris quidem honore maximo; sensu libidinis ex eorum commixtione cõceptæ studiũ venerationis incẽdente. *Huarella* Indis dicuntur; locus adorationis ordinarius est locus *Tanca* cõjunctus, in quo videri se audirique a miserâ gente faciunt. Lucifolia reliquiarum loco habentur, & confidentes in eo aves velut prosperæ. Sacrificia offerebantur à sacris ipsis virginibus, cùm fœdissima numina fœminarum partes explerent.

6. Verùm virginis consecratione in eadem *Conchucorum* Provincia famosissimum fuit idolum *Chanca* hominis magnitudine & figurâ. Eligebatur scilicet virgo præ cæteris formosissima, quam in ætate annorum quatuordecim parentes ejus & Caziquæ ad idolum adductam solemni ritu illi dedicabant tradebantque in matrimonium, nuptias celebrantibus per sacrificia & convivia omnibus incolis. Hujus virginis apud omnes summa erat æstimatio, habebaturque fortunatissimum sacrificium si quod per manus ejus offerri contigisset, arbitrantibus barbaris ex sponsæ pulchritudine ac virginitate multò illud fieri acceptius. Ita etiam puritas castitasque in gentilium sacrificiis reputatur, & ministris veri altaris dat imitandi exemplum.

7. Atque hi agri erant tot sentibus horridi in quos mittebantur hoc tempore Augustiniani, nihil exhorrentes; verùm ex difficultate operis animos augentes, duplicantesque jejunia, pœnitentias, orationes, & prædicandi labores. Incommodissima & longa itinera, altissimi montes, transigendi in fame & siti dies, inter gelu noctes, corpus eorum affligebant; sed magis animum obscæna vitia, & contumaces idololatriæ; nihil autem frangebat, charitate omnia sperante & sufferente, solidatos. Fugiebant illi in montes; hi sequebantur; abscondebant se cavernis, intrabant; obganniebant, libenter patieban-

 tur;

tur; quin in ipsas sæpè popinas irruebant,ut extraherent ad audienda fidei rudimenta vel nolentes. Et cùm nihil apud vilem & rudem gentem proficerent blanditiæ, obtinebant aliquid minæ. Baptizabantur non pauci, sed mox ad insolitas Idololatrias & peccata defluentes. Reducebantur indè à sedulis pastoribus semel, iterumque ac pluries; uberrimum quæstum æstimantibus, si vel aliquos conservassent. Experti sunt iterum nostri Prædicatores quantùm ad emolliendos barbarorum animos valuerit paupertas à se tam rigidè servata, mirantibus illis ac expendentibus hinc laborum improbitatem, indè rerum temporalium contemptum. Adeò semper virtus etiam in perditissimis hominibus timas aliquas invenit, per quas suæ pulchritudinis illecebras in intima eorum penetralia derivat. Aliquid ab Indis petere nisi fortè obvium apud ipsos cibum, generali lege prohibitum erat; (a) Si quid prætereà deesset, Conventus Limensis subministrabat. (b) Cui Prælatorum nostrorum curæ regia deinde liberalitas est opitulata.

(a) suprà lib. 5 ca. 2. (b) ita factũ fuisse constat ex libris computorum illius Conventus.

8. Idola nullo loco passi sunt consistere. *Chancham* demoliti sunt, ejusque sponsam abrogatũt: Succuborũ lucum exsciderunt. *Catequillam* an comminuerint incertum, Indis, quantùm poterant, idolum illud occultantibus. Vt-ut sit, alterutrum certum est, aut destructum fuisse, aut latuisse semper. *Pacarinas* seu Capita familiarum, quotquot potuerunt, exusserunt. His tantus cultus exhibebatur, ut nulli Deorum frequentior: nam si Diis singulo quoque anno se commendabant, his in horas singulas.

9. Erat iisdem temporibus in *Tauca* quidam veneficiis suis & incantationibus famosus, *Charimango* dictus. Hic populi credulitate abusus sibi divinitatem, quam Christo sacrilegè negabat, tribuere ausus est, & conatus multis imposturis omnipotentiam suam persuadere. Inter quas hæc fuit notabilis. Convixit in certum diem ac montem populares suos *Conchucenses*. Quò cùm concurrissent numero eò frequentiori, quò magis seu insitâ contumaciâ seu magi illius fallaciis baptismum fidemq; Catholicam aversabantur, in hæc verba fertur fuisse locutus. *Vt omnipotentiam meam manifesto vobis testimonio comprobem, adesse vos desideravi. (nam Christo illam adscribere nimis vanum est) Montem, in quo consistere me videtis, ictu uno pedis, vobis videntibus, separabo, alteramq́ ejus medietatem subitò casu præcipitabo.* Finiens pede terram percussit, & diviso monte alia ejus pars tanto fragore delapsa est, ut incusso subjectæ terræ tremore, Indis horrorem non minimum injecerit, reputantibus divinæ virtutis opus quod vel causis naturalibus quarum *Charimango* à Dœmone fuerat proculdubiò præmonitus, vel Dæmonum operationi fuit tribuendum. Nec distulit diu Deus ablatum sibi apud barbaros honorem vindicare, nam immisso in magum pediculorum exercitu eum prostravit, & parvis morsibus imbellis creaturæ omnipotentem discerpsit, congruâ prorsus insolenti superbiæ pœnâ.

10. Et ne quisquam eorum, qui primi in Provincia *Conchucorum* legem Euangelicam annuntiârunt, nomina ignoret, hæc fuerunt P. Ferdinandus Garcia, P. Alphonsus de Espinosa, P. Ioannes de Pineda, P. Marcus Perez, P. Ioannes Baptista Velasquez, P. Franciscus Velasquez, P. Antonius de Baeça, P. Michael de Carmona, quorum labor non uni tantùm isti Provinciæ, sed etiam finitimis insudavit per annos viginti quinque magno animarum fructu & sui gloria, solum Ioannem Pinedam (cùm aliis suus sit locus) hîc interseremus.

CAPVT III.

Vita P. Ioannis de Pineda.

1. S. PAVLI Apostoli aut S. Guilielmi Aquitaniæ Ducis historiam repetere videmur, dum vitam P. Ioannis de Pineda damus, ita ubique non finis tantùm à principio vivendi discordat, sed par ferè est conversionis ad Deum modus. Paulum namque & Guilhelmum in ipsa persecutionis, quam ille Ecclesiæ, hic Capiti Ecclesiæ inferebat, sævitie gratia divina prostravit; Ioannem autem dum posthabitâ locorum sacrorum veneratione in Ecclesia velut in castris crudeli certamine concurrere tentabat. Eum Hispalis (a) totius Hispaniæ celeberrima civitas protulit, oriundum patentibus antiquâ nobilitate præclaris Ioanne de Pineda & Ioannâ de Mendoça, quorum stemma Ordinibus S. Iacobi, Alcantaræ & Calatravæ non semel fuit illustratum. Ingenium illi vividum erat, præceps, impatiens, audax; quod optimis magistris ad virtutē excolere parentes nitibantur, parvo licèt fructu, otio luxuq; aliò ejus animum avocantibus, cui concedere omnia quàm contradicere parentes malebant, vitio nondum in parentibus extincto, sed quod flagella filiis tribuit, quibus adultiores mille quotidie tædia adferendo indulgentes progenitores castigent. Ioannes in Peruviam transmisit haud multò pòst quàm deregi cœpisset, magis naturæ inquietudine quàm auri argentique cupiditate: in bellis enim tumultibusque, velut Salamandra in igne, vivebat. Et invenit sanè Peruviam eorum satis superque feracem, non cum Indis modò vetùm sua eum gente, longis reiteratisque bellis intestinis confligante. Ingressus regnum est dùm illud Didacus de Almagro in paternæ mortis vindictam occiso seditiosè Francisco Pizarro per tyrannidem occupare conaretur. Ioannes autem regias semper partes secutus est tutatusque, non magis propriâ gloriâ, quàm sanguinis commendatione. Idem perstitit, dum Gonsalvus Pizarro fraternæ administrationis illecebris, & spe hæreditariæ illectus rebellavit; eò tamen utrobique infelix quod heroica ejus facta nullâ ministrorum Regiorum gratiâ remunerarentur, illis maximè satagentibus, quomodò beneficiis seditiosos reducerent aut dubios retinerent.

(a) Seville.

2. Deinde in Chilen profectus pugnandi speciem mutavit, sed animum auxit, insitam à natura ferocitatem stimulans hostium robore. Sunt enim Chilenses vastis firmisque corporibus ac membris benè compactis; animo ad bella nato: inter eos pugnacissimi sunt Arauficani, quos nunquàm Regii satis domare potuerunt, novis semper bellis resurgentes. Ab his Gubernator Valdivia, &c, eo mortuo, Franciscus Villagran varias Victorias, sed Ioannis de Pineda maximè fortitudine, retulerunt. Idem mereri stipendia continuàvit sub Garcia Vrtado de Mendoça Andreæ Pernviæ Protegis filio ac posteà etiam Protege. Chilen guberuaturus intravit anno M. D. LVII. sed quem difficillimis bellis Chilenses exercuetunt. *Gualvarinus* (b) inter Caziquas præcipuus sequentis causam dedit. Iusserat Garcia utrasque illi manus, ut istâ tormenti specie aliis mèrum incuteret, amputari. Verùm ipse ad suos reversus cùm truncarum manuum spectaculo tùm oratione suâ ad commiserationem primùm deinde in furorem populares suos convertit. Adsunt mox in valle *Millarau-pam* (quæ in proverbiū acris cruentæque pugnæ posteà abiît) Duce *Caupolicano* (c) Araufieani decies mille, confuso boatu vicina latè, gentis more,

(b) Gualvarino.

(c) Caupolican.

more, complentes. Quos cum *Caupolicanus* in conspectum Hispanorũ promovisset, suis silere jussis, præmissis in hostem injuriis, ita eum superbè affatur, *Oculos, Hispani, in hodiernum solem vestros levate, &, si potestis, vosipsos conspectu ejus recreate, qui vobis erit supremus, nam trucidatione omnium vestrum ejus occasum nostra humanus vigorq. praevenient.* Cum dicto impetum in Christianos, qualem furor viodictæque cupiditas impetabant, fecerunt, quem Christiani memores tot victoriarum & gloriæ à sua gente partæ fortiùs sustinuerunt, sclopetis & quatuor majoribus machinis magnam inimicis stragem inferentibus. Cruenta, si ulla unquàm in Chile, & anceps diu pugna fuit, donec Christiani & furore & multitudine barbarorum fatigati remisiùs pugnare viderentur. Tùm Ioannes periculo suorum admonitus novis animis cum sua cohorte in medios perrupit hostes, facti audaciâ verbisque alios revocans ad redintegrationem pugnæ, cui *Arausicania* animosissimè insistebaot, *Gualvarino* eos perpetuò obeunte, elatisque in altum truncis brachiis exhortaote. *Agite*, inclamabat, *fortissimi patriæ defensores, pugnate, neque, priusquàm viceritis, desistite. Meo infortunio suppliciog. discite quali cum hoste dimicetis; quæ nunc mea solius miseria & ignominia est, mox communis erit, nisi viceritis omnium vestrum, cui honestam mortem esse praeferendam scio à nemine vestrûm dubitari.* Ita incensis utrimque animis continuabatur pugna; atque intereà *Caupolicanus* Caziquã præ cæteris vastiorem ferocioremque misit, qui singulari certamine Garciam provocaret. Neque abnuit oblatum Garcia, animosiùs quàm prudentiùs. Verùm involans rursum in hostem Ioanoes resumpto prælii fervore & memoriam singularis certaminus abolevit, & victoriam, quam cantare hostis incipiebat, extorsit, Arausicanis in sylvas sese recipere coactis, quos Christiani ad aliquot miliaria sunt insecuti. Pugna hæc tàm pertinax fuisse scribitur ut nullus ex utroque fuerit exercitu, qui non aut mortem invenerit aut læsionem; quam solâ Ioannis audaciâ & exemplo non semel fuisse restitutam Alphonsus de Arcila memoriæ tradidit. Nec minori gloriâ ad munitionem *Penco*, & fluvium *Biobio* alibique à Ioanne pugnatum est, donec capto & *impalato* per Centurionem Reynoso, *Caupolicano Arausicanorum* Duce, cæteri Ducis sui supplicio territi Regi se subjicerent.

3. Garcia cæterique partis tot de bellicosissimo hoste victoriis, inìtâque pace læti, gratias Numini actori in Civitatem *la Imperial*, quò primos colonos anno M. D. LI. Valdivia duxerat, profecti sunt, ubi & præmia militibus benè meritis Gubernator elargiretur. Intereà ex Hispaniis literæ adferuntur (a) quæ Carolum V. Cæsarem Philippo filio Regna sua cessisse nuntiabant. Ex tot concurrentibus causis augebantur signa publicæ lætitię, quam privatæ Ioannis de Pineda & Alphonsi de Arcila super loci præminentia lites primo quidem die turbàruot nonnihil, sed die insequenti planè ruperunt. Gubernatore namque Garciâ omniumque nobilium cætu in Ecclesia existentibus, ad verba primùm, incipiente Ioanoe, deinde ad pugnam ventum est, quæ etiam ad astantes nobiles, prout vel Ioanni vel Alphooso favebant, se explicavit, ut jam non Ecclesia videretur sed campus martius, in quo cum infidelibus confligeretur. Nec poterat aut Sanctissimi Sacramenti præsentia, aut loci sacri veneratio, aut reverentia Gubernatoris, aut Ecclesiasticorum preces incœptum furorem mitigare. Captos ergò Ioannem & Alphonsum tantæ irreverentiæ autores, factoque processu, Gubernator capitis condemnavit; fortunatâ quidem, si animæ bona spectes, Ioanoi sententiâ, eoque maximè, quòd nullis precibus, ut eam immuraret, potuerit induci: egregio tamen exemplo instabilis & ingrati mundi, apud quem tot fortia facta, tanta

(a) annò 1558.

tanta totiesque manifestata vitæ pro Rege prodigalitas unius impatientiæ offensâ obliterantur.

4. Metuens igitur Ioannes non mortem, sed ejus per lictorem inferendæ ignominiam, vidensque omnia apud homines desperatione obsepta, serió se ad Superos, quorum, dum fortuna faveret, vivebat oblivious, convertit, speciatim ad captivorum patronum S. Augustinum, promittens, si hanc mortis ignominiam evaderet, se habitu legibusque, quas ipse sequacibus tradidisset, victurum in posterum. His precibus totam insumpsit noctem, quam etiam Garcia insomnem duxit, confessus posteà in nullo se unquàm prœlio conflixisse timidiùs, quàm inter pugnantes voluntates liberandi & nō liberandi captivos, sensisseq; tandē majorem aliquam virtutem se, ut eos vità donaret, impellentem. Posterâ luce mortis sententiā in exiliū commutavit, Providentiâ divinâ eò omnia dirigente, ut Ioannē in melioris vitæ proposito, à quo plena forte libertas pristinique honores eum avocassent, firmaret. Ex carcere ergò in navem, quâ Limam veheretur, ductus, in eadem, Didaeum de Arana invenit, veterem amicum suum, periculorum ac gloriæ in bellis Chilensibus consortem, quē posteà laudabo copiosiùs. Apud quem non semel pèr similia verbà erupit. *Pudet me, Didace, jam non vanitatis sed insipientiæ meæ. Quot labores, quæ pericula adiverim non est quod apud te, qui omnia spectasti, commemorem. Quid illis omnibus sum consecutus? Præmia? imò vidisti & simul mecum indignatus es ea potentioribus, nullâ rectè factarum æstimatione, in civitate la Imperial fuisse collata. Regis gratiam? ille suorum in longo dissito mundo facta non nisi alienis oculis, qui plerumq; sunt invidi, videt. Regiorum ministrorum commendationem? Sed nunquid hi ad cammoda sua thronumq; ambitionis per alterum vulnera mortesq; conscendunt, parùm de aliis, nisi quantùm sibi prosunt, solliciti in pari prætensione adversi? Honorem? fateor ille me unus hactenus in tot pericula ac mortes abripuit. Sed dùm illum possedi, quot difficultatibus involvit? sine somno noctes, sine cibo dies, in æstu & frigore transigendi fuerunt: cavenda æmulorum invidia, negligendæ divinæ Ecclesiasticæq; leges, sollicitandi fautores. Atque post hæc omnia vix decus lictoris effugi, exiliumq; inter beneficia numerare cogor, justâ stultitiæ meæ pœnâ. sed quæ velut collyrium vanitatem ab oculis tersit. Ego nunc me ab omni spe sæculi abrupi. & Deo recto factorum æstimatori æquissimaq; remuneratori servire statui, propositum, dum Limam appulerimus, in consortio Augustinianorum, quos Sanctos & mores & publica fama prædicant, aggressurus.* Didacus qui dicentem Ioannem avidè audierat, finienti adgratulatus, respondit se, qui sequioris vitæ socius fuerat, futurum etiam melioris.

5. Limæ magno nobilium applausu, dùm Alphonsus de Arcila in Hispaniam, ibi Araucanum suum compositurus & impressurus, in quo factus est Ioannis quamquàm inimici egregius encomiastes, proficiscitur, recipiuntur Ioannes & Didaeus, quorum humanitati respondent & ipsi veteris pompæ ostentatione, magnificei, ne projecti potius à mundo, quàm ab eo profugisse putarentur. Intereà ipsi suum desiderium Priori Limensi Andreæ de S. Maria exponunt, miranti tam insolitam mutationem. Probatos tamen sufficienter admisit. Illi distributis in pauperes divitiis, læti novæ auri-fodinæ detectione consuetâ pompâ ad diem condictum redeunt ad monasterium, descendentesq; ex equis, mancipia libertate, famulos autem Hispanos equis catenisque aureis suis donârunt, dimiseruntque bonis consiliis instructos. Ioanni VI, Didaco autem IV. Kalendas Apriles habitus datus, in quo post debiti temporis exactionem professionem emiserunt seqnenti anno M.D.LX. VIII. Idus ejusdem mensis. Didaeum alius tractabit locus, nos Ioannem hîc prosequemur.

6. Religiosus factus non bello se exemit, sed belli genus mutavit & hostem:

hostem: jam enim ipsi colluctatio esse cœperat adversus principes & potestates mundique rectores tenebrarum harum (a) &c. quæ omnium est difficillima maximeque diuturna, adversus seipsum consuetudine mali pugnacissimâ munitum. Sed auxêre vigorem animi hostium vires pervicaciaque, quas & impetu facto dejicere & perseverantiâ fatigare moliebatur. Aote omnia superbiam, quæ etiam bonis operibus, ut pereant, insidiatur, aggressus est, lavando paropsides, everrendo domum, loca fœdiora mundando, comportando lateres, tùm afferendo; quidquid in monasterio vile ministerium reputaretur edoctus scilicet supernè, nullum certius charitatis esse domicilium quam humilitatem; charitatem autem virginitatis pudicitiæque esse custodem securissimum. Quo custode tantò sibi magis opus esse sentiebat, quod experiretur jam non tantùm contra carnis illecebras vigilandum, sed insuper contra tot species, quas in memoria præcedens consuetudo fixerat. Variis igitur ingentibusque carnis tentationibus seu Novitius seu Professus & Sacerdos fuit agitatus, inter quas ita se increpare solitum accepimus. *Dignum ne, frater Ioannes censes te qui tanto furore in confertissimos hostes seu Hispanos seu Araucanos solo vanissimæ famæ appetitu irruere soleb as, remittere hunc fervorem, desidemq́, sedere, quando pro immortalis animæ salute est confligendum? Nullus tibi carne tuâ major inimicus est, quique tot de te triumphos superbit, hunc ergò viribus omnibus pete, vindictaq́, spiritum, quo quondam flagrabas, in eum effunde totum. Memento quantâ præmiorum dissimilitudine dimicetur. ibi incerta erant perituraq́, hîc indubitata ac æterna.* Verùm non satis habebat seipsum ita acriter increpuisse, jejuniis insuper quotidianis, ciliciis, disciplinisque corpus severissimè castigans in servitutem redigere satagebat. Præter quę perpetuum, quo exerceretur, urinæ malum accesserat dies noctesque eum excrucians, nonnunquàm ita acri et ut doloris magnitudo sensuum usum intercluderet; facies tamen illi semper læta erat, placidaque conversatio ac suis non rarò leporibus condita.

(a) 6 Ephes. 12.

7. Cum illo animi vigore naturæque benignitate concurrebat insignis idiomatis Peruani generalis peritia, magnum ad prædicationem Evangelicam momentum. Ad hanc anno M.D.LXVI. in *Yagan*, anno verò M.D.LXXI. in *Conchucos*, quorum barbarum geniū descripsimus (b) missus est, insudavitque eo zelo, ut jam se non sibi vivere sed animabus infidelium palàm monstraret; ita sui negligens, pro illis nullo labore fatigabilis erat; valens certè facundiâ, sed fortior multimodis egregiæ vitæ exemplo, quo nihil esse apud barbaras illas gentes potentius ab omnibus semper observatum fuit, & notatum a me alibi. Hinc eam non apud Hispanos modò sed etiam apud Indos obtinuit venerationem, ut securiùs idola destrueret, succideretque nefandum succuborum lucum, opitulantibus illi quà laborum quà finibus vitæ societate P. Marco Perez, & P. Martino Sierra. Et P. Marcus quidem mansuetudinis erat portentum, atque omnibus charus, qui Limæ lapide, quo adolescens quidam alterum in platea impetebat, fortuitò in capite ictus, paucos post dies exstinctus est ætate gravis anno M. DC. XX. Ioannes autem anno M. D. LXXIX. ad Provinciā de *Cotabambas*, inde rursùm M. D. LXXII. in *Conchucos*: tandemque iterum M. D LXXXXI. in *Cotabambas* variis mutationibus missus, pari ubiq; sedulitate & fructu in conversione infidelium laboravit: donec tandem urinæ malo, laboribus, pœnitentiisque fractus, ac annis plenus ad monasterium *Nascanense* (c) quietutus, indulto Superiorum, se recepit; ubi charitatis operibus orationibusque vacans vivere desiit in terris anno M. DC. VI. perpetuò victurus in cælis.

(b) cap. præcēnti 5.

(c) de la Nasca.

8. *Conchucorum* certè Provincia vicini-

viciniq̀ue populi P. Ioannis ac Sodalium institutione tam felix sumpserant incrementum, ut annorum non omninò multorum (a) spatio in pagos redacti viverent, legesq́ue admitterent, fide ita instructi ut Ecclesias ędificârint ornârintq́ue, in quibus Indorum proles hymnos canerent, ipsi verò officium B. Mariæ Virginis-matris recitare possent. Sed observa, quæso te, Augustinianæ charitatis excessum. Illa erant, quę dixi, politici regiminis præsidia & fidei Catholicæ ornamenta: poterant jam populi labore non admodum difficili in inceptis vivendi credendiq́ue legibus confirmari, aut ad eas aggregari: sustentatio ministrorum Euangelicorum & terræ genio & conversorum liberalitate commoda facta erat; tot scilicet proritamenta ad retinendam vel etiam procurandam illorum locorum administrationem, nisi Augustiniani fuissent, qui quantum temporalia bona aversabantur, tantò magis labores, rudesq́ue, quos de novo converterent, barbaros consectabantur: & quia non deerant alii Clerici, qui cùm insuetos labores tædiaq́ue refugerent, ad mediocria tamen exercitia non inidonei videbantur, ut non infidelibus tantùm, verùm istis etiam Ecclesiasticis prospicerēt Augustiniani, viginti quinque parochias (b) ne quidquam obluctante Prorege, unâ vice easque opulentiores ab se abdicaverunt, (c) pauperioribus retentis, quibus in hodiernum usque diem serviunt, continuo non tantum charitatis suę sed etiam paupertatis monumento.

(a) 25.

(b) doctrinas.

(c) anno 1584.

CAPVT IV.

De monasterio nostro Trugillensi.



1. LLVSTRI viro Ioanni de Sandoval, cujus erga Regem fidelitatem nulli nunquàm Peruviæ tumultus aut illecebræ potuerant labefactare, Carolus V. Cæsar & Hispaniarum Rex totam *Guamachucensem* (d) Provinciam attribuit. Ibi observavit quâ vitæ sanctimoniâ Hispanis Indisq́ue prælucerent, quantâ charitate quantisq́ue laboribus omnium saluti procurandæ insudarent Augustiniani, quos proinde eo adfectu complexus est, ut censeret amplissimas suas divitias non utiliùs quàm in ipsos posse collocari, aut eorum curæ committi. Duos supra viginti pagos illis dedit, commisitq́ue præcipuorum redituum curam. Trugillense monasterium fundavit ædificavitq́ue munificentissimè & magnificentissimè; Florentiâ de Escobar nō magis thalami, quam misericordiæ cæterarumq́ue virtutum consorte. Dicerem, nisi excundum extra propositum esset, quantâ liberalitate xenodochia erexerit & dotaverit annuis censibus; quos item statuit pro ornandis Ecclesiis & pro solvendis ab Indis tributis; quos posteà in particulares usus *Corregidores* convertebant, fœdâ sanè injustitiâ & Indorum indignatione, dignâ quę ad alias gentes ac posteros transeat, in justum istarum harpyiarum opprobrium. Res, uti se habet, constabit ex narratione quam subjungo. Venerat in vallem Trugillensem P. M. Antonius de la Calācha historię Peruanę nostri Ordinis curiosus scriptor. Vbi cùm fortè transeūdo aviculā suavissimè canentē audivisset, captus sua-

(d) Guamachuco.

vitate cantus, rogavit ab Indis, quo cam nomine appellarent. Respondetūt à se vocari *Corregidores*. (a) Rogati istiusmodi appellationis causam, dixerunt, Genus hoc aviculæ inquietum est parumque eodem in loco consistens, sed admodùm vorax & sementi inimicum, quod suâ deinde velocitate, ne morte damnum reparare cogatur, aucupum technas evadit: quæ cum in hominibus, quos hispanicâ linguâ *Corregidores* vocatis, observaverimus, hoc nomen per nos ad aviculæ illud genus ob similium conditionum concursum translatum est.

(a) Prætores.

2. Quod nunc Trugillum in honorem Francisci Piçarro, qui ex loco cognomine in Estremadura erat oriundus, dicitur, olim vallis dè *Chimo* erat; appellatione à nomine, quo omnes illius vallis Reguli vocabantur, desumptâ. Dominationis illorum termini secundùm longitudinem erant *Chicama* & *Guañape*; secundùm latitudinem verò mare pacificum & *Zimbat* locus Augustinianorũ doctrinę attributus ad declive montium: longitudo duodecim leucarum est, latitudo sex. Portus omnes incommodi sunt ac infuti, quâ de causâ rara ibi commercia fiunt. Terra tamen Maizii sacearique est feracissima: triticum, legumina, herbas quamvis non eâdem luxurie, fert tamen abundanter. Arbores frugiferæ seu patriæ seu Hispanæ feliciter proveniunt. Duo fluvii, qui per eam defluunt suisq; temporibus irrigant, pisces sapidissimos subministrant; mare magnos. Ex vicinis montibus seu *Sierris* numerosum accipiunt pecus; quare, defectu præsertim externorum mercatorum, panis, caro, aves, pisces, fructus, legumina, saccarum vilissimò vęneunt. Vineas in initio habuit, sed quas succedentibus temporibus cum arundinibus saccari commutârunt: vinum ergò aliunde dato tritico accipiunt. Temperies aëris toto ferè anni tempore æqualis est, venti sani & refrigerantes, ut & in media æstate calores sint tolerabiles, habeaturque placidissima regio, in zonâ licèt torridâ ac non nisi octo gradibus decemque minutis (tanta enim est ejus latitudo australis) ab Æquinoctiali remota.

3. Civitatem Trugillensem eodem quidem, quo Limensem, anno, sed tamen posteriùs, condidit Franciscus Pizarrus, videlicet trigesimo quinto supra sesqui-millesimum, quamquam Antonius de Herrera (b) utramque duobus annis faciat vetustiorem. Fuit ergo Trugillum secunda Hispanorum in Peruvia civitas, sed tertia Augustinianorum colonia, eò traducta VIII. Kalendas Novembreis (c) anni M. D. LVIII. Civitas ipsa egregiis ædificiis, templo Cathedrali, (quod jam Metropolitanum est) nosocomio insignis facta est: maximus tamen nitor sumptusque in ecclesiis & monasteriis Religiosorum observatur. Augustinianorum ecclesia & monasterium liberalitate Ioannis de Sandoval surrexit, opere perquàm magnifico, cui pauca erant in Peruvia comparanda; qui & ornamenta altarium ac ministrorum adjunxit; unum inter cætera septies mille ducatis emptum fuit. Angelorum sacellum ad latus Ecclesiæ sinistrum erexit, & in eo Sanctissimæ Virginis iconem sub titulo *Regina Angelorum*, ipso quidem suo artificio admirandam, sed miraculis celebriorem. Idem sacellum monumentum habuit non nisi trium cadaverum condendorum capax: hæc fuerunt fundatorum nostrorum Ioannis de Sandoval & Florentię de Escobar, ante quos in id illatus fuerat vir apostolicarum virtutum P. Ludovicus Alvarez, de quo nobis aliàs erit sermo.

(b) Decade 5 lib. 7. cap. 6.

(c) 25 Oct.

4. Verùm illud civitatis decus & monasteriorum splendorem unus terræmotus confudit, ut tunc toto illo spatio non nisi lignorum lapidumque acervi, miserabili spectaculo, viderentur ab his, qui subitæ ruinæ superstites remanserant, nam ultra trecentos quinquaginta tristis ædificiorum casus invol-

involverat; plurimi inter fortuitum murorum tignorumque collapsum conclusi potiùs quàm oppressi miseris ejulatibus opem à liberis exquirebant. Dies erat Februarii quartus decimus anni M. DC. XIX. quandò paulò ante meridiem à Septemtrione in Austrum per leucas ampliùs quingentas & ampliùs sexaginta ab Occasu in Ortum uno horæ quadrante motùs ille ingens terram concussit, alibi fluvios sub terram absorbens, alibi novos protrudens, rupes item montesque disrumpens. Non omnibus tamen locis æquè funestus exstitit, Limæ parùm aut non nocivus. Erat ille dies initiò quidem tranquillus serenusque, sed cujus stragem ingens Cometes, qui in Decembri præcedentis anni videri cœptus, in illum usque diem perduraverat, prænuntiasse putabatur. Vivi, inter tanti terroris causas, eo se felices æstimare poterant, quòd non superesset cur casuris domibus, aut sibi de earum ruinis timerent; nam quindecim continuos dies in horas singulas bis terve non minori, quàm primus fuerat, motu terra concutiebatur. Singularis Augustinianorum pietas, charitasque, quà mortuos sepeliendo, quà concionando, quà audiendo confessiones, eluxit; atque ad vehementius pœnitentiæ exemplum, ternam hebdomadatim corporum publicam flagellationem instituendo. Præ cæteris tamen P. Didacus de Medinà in illis officiis laudatus fuit, vir religionis suæ observantissimus.

5. Minuebatur quidem his ad placandum Deum institutis operibus populi stupor, sed qui aliis posteà portentis facilè augeretur. Paucis scilicet diebus interjectis, horâ noctis undecimâ visum est fulgere cælum splendore diei æmulo, sed in modum columnæ in longum projecto; qui arcuatim declinans in mare, ingenti mugitu tonitrui instar, se dissipavit, omnesque incredibili consternatione, quà Petrum Flores Iurisconsultum, & Ioannem Poncium de Leon Episcopi Secretarium obmutuisse constat, pervasit. Et, ut nullum malum est solitarium, accesserunt aliæ duæ nunquàm ibi visæ plagæ. Vna (a) tinearum; glirium rubeorum altera; illis domus scaturiebant vestimenta exedentibus; hi catervatim agros pervagando segetem omnem absumebant eâ velocitate, ut spatio horarum non ampliùs trium triticum, maizium, aliaque legumina ab aristis ad ipsas usque radices abligurirent, miserandâ campis nuditate introductâ. (a) grillos.

6. Hæc territorii illius, pulcherrimæque ac fertilissimæ vallis calamitas erat; hæc civitatis ac monasterii Augustiniani desolatio; hæc civium afflictio, quam, aliò transferendo civitatem, potentiores augere nitebantur. Nunquàm Trugillenses fortius contrà potentium impetum senserunt iu Augustinianis munimentum. Iam enim & Prorex & Audientia victi erant, jam rigidum ab ipsis datum de transferenda civitate mandatum. Sed validius nihil veritate fuit, quam Augustiniani, temporis, cujus filia est, usi beneficio, detexerunt, facti civibus non rerum tantùm spiritualium administri, sed & temporalium commodorum patroni.

7. Fuit certè iste terræmotus notabilis egregiis seu misericordiæ seu justitiæ divinæ exemplis, quorum sicut illa docent nunquàm desperare, ita hæc dedocent contemnere aut negligere vocantem ad pœnitendum Deum: utraque ergò, cùm moribus humanis utilia sint futura, subtexam. Tabellio quidam tabulas conscriberet conventionis inter duos inæqualis conditionis, in qua pauperior fallebatur; &, ut nihil magis venale est quàm similium hominum fides, favebat ipse contra æquitatem opulentiori; cooperabantur etiam nequitiæ testes, utpote hujus domestici. Expeditæ jam præter signationem tabulæ erant, cùm sentiri terræmotus cœpit, fugere mox innocens tentat,

& ad fugam hortatur ceteros, quem fraudatot complexus, *Absolvamus*, ait, *id quod perexiguum restat, ecce jam motus cessat*. Verùm cùm econtrà lapides calxque decideret, rursus prosiiire in plateam innocens nititur, rursus à fraudatore detentus est & increpitus tanquàm animi imbellis. Tabellio porrò concussionis ac periculi incrementum animadvertens ad eruptionem parans, etiam in illum impostor insiluit, vitæ non tantùm suæ sed & aliorum, modò ditescere posset, prodigus. Intereà innocente foras evadente, cadentes ędes reliquos suâ ruinâ oppresserunt; ac ne abfuisse divinam nemesim putes, tabellionis caput manusq; quibus tabulas dictaverat consotipseratque; velut novaculâ præcisa, seorsim inventa sunt, tabulis nunquàm repertis.

8. Vir quidam uxorem habebat formosissimam, alterius tamen amoribus tenebatur; quâ ut liberiùs frueretur, occidere legitimam cogitat: ita nihil constantiæ rationisve in amore creaturarum est. In quem finem supellectilem paulatim distrahit vel aliò transfert, uxorem autem in superioribus ædium partibus armario inclusam, victimam suo furori illicitisque, quibus ipse ardebat, ignibus destinat. Hæc dùm absens à domo disponit, tremuit terra, totamque funditùs domum evertit, illâ muri parte exceptâ in qua armarium erat, quo captiva tenebatur; ex quo redeuntem maritum (qui istud commodi inter tot damna sperabat, mortem conjugis, manibus ejus apud homines à parricidio Innoxiis) per rimam conspicata, miraculum, inclamavit, miraculum. Tum ad maritum, *Crudelis*, inquit, *infidelisq; conjux, quantò; quàm tu, benignius innocenti cælum fuit, intuere: vides tecti domusq; totius ruinam, sola hæc muri pars duas ulnas lata, nec à cadentibus trabibus concussa, nec à cadente reliquo muro attracta, integra constitit, ut ego viverem, quam tu mortis damnaveras*. Maritus non magis uxoris increpatione, quàm miraculo attonitus, nihil moratus, scalas quæsivit, erexit, uxoremque lacrymis obortis ex armario, quod ipse illi funestum fore destinaverat, eduxit, amavitque posteà solam ac coluit. Vix extractâ muliere, ista muri pars, ut insolitâ potentiâ hactenus substitisse in favorem innocentiæ constaret, concidit.

9. Reverendissimo Francisco de Cabrera ex Dominicano ordine Episcopo Trugillensi famulus erat, isque Indæ cuidam speciosissimæ inverecundè molestus. Illicitos ignes Episcopo detegunt hi, apud quos Inda fuerat educata, vivebatque, ut illos, antequàm cum dedecore arderent, extingueret. Religiosissimus Episcopus famulum acriter perstringit, non alio tamen effectu, quàm quòd posteà secretiùs Indam visitaverit. Contigit interim Indam nusquàm reperiri, proindeque fortiùs apud Episcopum repetitæ ab heris querelæ, qui sub comminatione Excommunicationis omne illi cum Inda contubernium interdixit. Famulus spondet domo se non exiturum, donec illa à quærentibus fuerit inventa. Ipso tertæ motus die cum nascente Sole nuntium adfertur Indam in quadam villa esse non procul ab oppido: re ad Episcopum delatâ, severissimè famulo mandat ne illuc accedat: qui, de sua voluptate securus, *me*, inquit, *totum hunc diem cubiculo, ablatâ etiam clave includitote, ut, si fortè illa non fuerit inventa, ego, sicut extra culpam sum, ejus etiam suspicionem à me amoliar*. Factum ita, clausum cubiculum est, ablatæ insuper claves, quo nihil famulo accidere potuisset desiderabilius, qui suo cum Inda, quam cubiculo suo absconderat, complexui venerique totum diem destinabat, nullis Episcopi mandatis servitiisque interturbandus; ac manifestè posteà innocentiam suam probaturus. Verùm inanis contrà divinam nemesim omnis humana astutia est. Tremit horâ circiter undecima terra, titubant domus, dissolvuntur nexus, in fugâ quilibet salutem credit, fugit

Episco-

Episcopus & omnes ejus domestici ad unum omnes, solum hunc clausæ cubiculi fores detinuerunt, everti- tur episcopale palatium; ipse verò Episcopus in equestri stabulo com- munem populi sui stragem deplo- rabat, famulique cotidiani memo- riam, quam præceps eripuerat fuga, reducens, *Currite*, inquit, *&c. quidilli acciderit, sedulò scrutamini, latet fortè sub ipsis ruderibus adhuc vivus vestramq́ opem inclamans.* Festinant omnes non magis præcepto Antistitis, quàm sodalis commiseratione; hi trabes impigrè devolvunt, illi lapides se- parant, omnisque pro socii salute labor, lusus est, cùm tandem eum conspiciunt Indæ carnali comple- xu incumbentem & extinctum. Nulla res optimo Antistiti in tanta populi afflictione tristior accidit, atque, divinum licèt judicium ve- neratus, profusis ubertim lacrymis, illas etiam adstantibus excussit.

10. Quod si justitiæ divinæ ex- emplum fuit, hoc, quod sequitur, bonitatis erit. Lapsantes Leonardi Xaramillo egregii pictoris ædes nullum ei effugium permittebant, solis patebat votis precibusque in cælum via, sed in tam premente an- gustia vix erat tempus eas conci- piendi; inter labentia tamen tecta, muros ac tabulata dixit, *Regina An- gelorum succurre*, (sub hoc enim titulo Deiparam in sacello Conventus nostri Trugillensis coli solitam fuisse suprà à me narratum est. Ad- fuit invocata cum angelis, quorum manibus ligna lapidesque eo ordine fuerunt collocata, ut manifestè in- tellectualis agentis ministerium cognosceres. Qui ergò domum pu- gnantibus elementis amiserat, spe- cum velut subterraneam ad vitæ conservationem cælesti beneficio invenit, Cælitum maximeque Dei- paræ, cujus beneficio vitam se de- bere agnoscebat, ac hominum au- xilium implorans. Hominum, quos terror ad deserta loca abegerat, va- na invocatio fuisset, nisi citiùs Dei- para audivisset, quæ latentem sub lapidibus terraque servum totoillo die defendit, donec cœtu populi coacto murmur potiùs mugitusque quàm vox audiri cœpit: hominis ta- men esse recentes ruinæ suadebant. Ad suppetias ergò, sed prudenter ne uno latere submoto cætera cor- ruant, manus admovent, extrahunt- que, nullo vulnere, sed solo in capi- te tubere apparente integrum: qui cælesti favori non ingratus nō aliud priùs fecit quàm miraculum prædi- care, festinatoque ad Conventus nostri locum gradu Reginæ Ange- lorum gratias agere, prostraturus se ad basim cui Reginæ Angelorum statua erat innixa. Sed nec hîc pul- chriorem, quàm in reliquo oppido, faciem vidit, sparsa erant & confusa, prout impetu cadentium ædificio- rum impulerat, statuarum varia- rum confracta membra. Tristi sa- nè spectaculo ingemuit, tùm inti- miùs accensus P. Antonium de la Calancha Ascetarcham allocutus, *Si permittis*, inquit, *à Vobis non absce- dam nisi priùs Beatissimæ Virginis alio- rumq́ Sanctorum disjecta vagè membra collegerò, statuasq́ redintegrâtas suis rur- sus coloribus ornavero.* Fiduciæ plena promissio visa fuit, utpote ipse & statuariæ imperitus, & colorum, quos recens ruina cum calce & sor- dibus confudisse putabatur, indi- gus. Exstimulat animi fervorem promissionis difficultas. Meminerat Præsulem non ita pridem colores aliundè accepisse novis picturis, quas moliebatur, destinatos: Leo- nardi studium Præsuli intimatur, illi perquàm gratum, quòd di- ceret se non minùs eidem Ange- lorum Reginæ obstrictum, lubens- que, si inveniri possint inconfusi & incorrupti, colores offert. Quærun- tur & inveniuntur impermixti. Tunc frusta etiam statuarum colli- git, atque unumquodque suo loco tam affabrè reponit & conglutinat, ut casus non damnum, sed miracu- lum adjecisse publicè putaretur, tam minutis tamque multis partibus ita scitè collocatis per inscitiam cæ- laturæ manum.

11. Miles in vallibus Trugillen-

sibus habitabat gloriosus, ferox, litigiosus, pugnax, quique duos in duello trucidaverat; quare sævitiâ suâ ipsis Judicibus cœperat esse formidabilis, crescebatque impunitate hominis insolentia, quam domitam castigatamvè oportuisse omnes clamabant, nemo exequebatur, donec mutatis Iudicibus, admotus officio est Luisius de Esquivel: hic seu populi querelis ac inquietudine motus, seu insito animi vigore ac justitiæ zelo comprehensum pedicis inclusit muro fortiter alligatis, urgebatque ut lite persolutâ morte tot scelera ejus ad publicum exemplum vindicaret. Espinosa militi cognomen fuisse invenio. Qui seriò de vita sua agi conspicatus, superbientem prosperis successibus animum dimittens, magisterio afflictionis usitato fortunatoque, vitæ emendationem concepit, statuitque dignâ præteritæ vitæ delicta pœnitentiâ expiare. Illo tam sanctis cogitationibus occupato, Christumq; ac Beatissimam ejus Matrem ad sui patrocinium invocante, terræmotus domũ cócutit dejicitque, & cum ea carcerem totum, perstante dũtaxat illo muro, cui pedes ejus connexi, & cæteris omnibus captivis casu ruentis domus aut extinctis aut læsis, solus hic sanus integerque permansit. Miraculum vulgatum atque ad judicem delatum, eum ad sui inspectionem excivit; intellectisque ex milite precibus, quas ad Beatissimam Virginem-Matrem imminente periculo fuderat, meliorisque vitæ proposito, *Liber*, inquit, *esto*, *neque enim æquum arbitror ut vitam, quam prodigiosè tibi cælum conservavit, homines eripiant; tu tantùm sanctum & necessarium propositum exequere*: Verùm valuit magis detetius insolitum quàm meliùs insolitum, pristinaque peccata brevi sceleratioribus accessibus cumulavit. Ortâ siquidem illi cum altero milite Gaspare Ernandes cõtentione in oppido *Saña* projectisque, quæ animus ebulliens suggerebat, convitiis, tam beneficum nuper sibi cælum blasphemiis impetere non exhorruit. *Miselle*, Gaspari dicit, *vermicule*, *tu audeas insurgere in eum*, *quem terribili nuper terræ motu Deus veritus est opprimere lædereve*? Cum dicto, stricto gladio Gasparem invasit, primisq; ictibus adversarium dejecit magis violentiâ impressionis quàm læsione. Accurrunt ad infelicis pugnæ diremptionem Augustiniani, quam è monasterii portâ, à qua non longè aberat, conspexerant. Ipse adcurrentes intuitus, quamquàm partâ victoriâ tumidus, tamen Patres, ut properarent, rogauit ac jacientis, jamque, ut ipse arbitrabatur, exspirantis confessionem supremam audirent, illâ saltem sollicitudine Christianus. Felicior si animæ primùm suæ consuluisset; dùm enim prætertito Espinosa ad Gasparem festinant, hunc quidem, quem impetus ferientis dejecerat, illæsum, quod pectus egregiis armis defensum habuisset, inveniunt; blasphemus autem ex accepto vulnere, quod calente sanguine non senserat, corruens, antequàm adesse rursum illi possent Augustiniani, miserrimam animam evomuit, beneficio confessionis indignus judicatus, utpote qui alterum ore blasphemo proscidisset.

12. Bonitas infinita! quibus non modis allicis & terres stultum ac durum mortalium genus, ut abdicatis sceleribus ac evitatâ perditionis æternæ scyllâ, salutis porrum recto cursu consequantur? Vnum hoc exemplum illecebrarum ejus terriculamentorumque varietate est abundans. Vnus aliquis ex regno Mexicano in Perüanum terrestri itinere pergebat, merces secum aliquas atque gemmas ferens, quarum venditione & lucro, filiarum, quas tres omninò easque oppidò honestas habebat, dotem prætendebat, ne ejus defectu, ad media pervolarent, quæ infirmitas quidem carnis nonnumquàm suggerit arripitque, leges tamen Christianæ & naturalis honestas aversatur. Vtque eam ampliorem redderet, ipse & vulgariter vestiebatur, & vivebat admodùm sobriè,

briè; studio prorsus patentibus imitando, si honestati filiorum non luxui laboret. Erat præterea misericordiâ in pauperes adflictosq; commendabilis. *Piuram* pervenerat, habebatque jam in aureâ monetâ valorem pesorum sex millium & aliquot gemmas; atque hinc Limam quidem cogitabat, sed & brevi reditum in Mexicum, filiarum collocationi verus pater semper intentus. *Piuræ* in hospitio militem invenit, eumque, ne benefaciendi pio homini deesset occasio, non modicè ægrum. Hunc toto, quo ibi ad vendendas quasdem mercium suarum reliquias demoratus est, tempore fovit adfectu verè Christiano, ut ad pristinam valetudinem viresque redierit. Verùm nulla satis beneficia animum malè educatum assuetumque, à nocendo, dùm dabitur occasio, cohibent. Mexicanus negotiorum ergò in publicum progressus est, & cum eo miles jam ingratitudinis suæ infame exemplum daturus. Rediit, mercatore occupato, domum, omneque aurum furtò abstulit atque extrà oppidum non procul ab arbore Spina (quæ notando loco signum esset futura) terrâ abscondit. Intereà mercator domum reversus atque auri furtum animadvertens hospitium viciniamque non magis ejulatu suo quàm filiarum commiseratione quarum pudicitiæ conservandæ collectum audierant, complet. Ipsemet ingratus miles occultato, ut dictum est, furto redux egregiâ tristitiæ simulatione apud omnes à culpæ suspicione se absolveret; solus mercator animo volvebat nemini alteri innotescere potuisse locum, neminem alterum tam apti ad furtum temporis observare potuisse occasionem; & hæc quidē animi sui sensa etiamsi alios occultabat, curiosiùs tamen ab eis mentiente furis vultu observato non absimilia judicare cœperunt: à quibus interrogatus mercator, nùm nulla haberet suspicandi de quoquam indicia, imitando Christianis omnibus exemplo, *Deus, ait, videat & judicet, causam meam, illi vindictam meam paupertatemq;, illi filiarum mearum; dum omnia paternus pro iis labor elapsus est, pudicitiam committo. ille me easq; protegat.* Fur verò seu sceleris conscientiâ, seu aliorum de se animadvertens suspicionem, ut eam à se amoliretur, iratus hospitium mutavit alibique sequentis noctis quietem quæsivit, incassum tamen; qui scilicet sævissimum præter alios tortorem continua intùs flagella ingeminantem secum ferret. Terruit etiam Deus nocturnis visionibus scelestum, injecitque animum restituendi, dùm postbaber tot anxietatibus aurum. Contendit ad locum & effodit; sed effossi fulgor rursus oculos nutantes perstringit, capi tecùm mundanarum formâ faciles, nisi constanti ad bonum voluntate obstineneur. Vtrumque tamen consequi tentat, & suæ videlicet satisfacere cupiditati, & pacare conscientiam; idque quâdam pietatis ac eleëmosynæ larva; aliam etiam ipse personam induens. Hoc consilio tria pesorum millia Commendatori Mercenariorum ignotus consignat, danda afflicto ex recentis damni infelicitate Mexicano, ejus procul dubio mœstitiam lenitura: quatuor ferè, quæ restabant, millia priore loco recondit ne apud fugientem per satellites insequentes deprehensa criminis facerent patenter reum; securiùs eadem, inquisitione peractâ, repetiturus. Res, ut conjecerat, evenit: misit judex qui fugientem sequerentur, & sunt assecuti bonâ furis fortunâ, apud quem cùm neque auri esset repertum aut ulla ejus indicia, planè se furti suspicione apud plerosque purgavit, translatâ etiam ad infortunatum mercatorem fraudis opinione; ita ferè nemo unâ infelicitate miser esse solet. Fur securus Trugillense iter ingreditur post pauculos dies ad depositum thesaurum, cum quo cor suum sepeliverat, rediturus. Iam quatuor dierum itinere processerat, quando eum noctu duo acerrimi tortores elumbato multis gravibusque

que ictibus aggressi sunt, dicentes *Redde, mortalium ingratissime, aurum, quod pauperi, qui te curavit, eripuisti.* Tam egregiè castigatus suo malo didicit nullâ larvâ cælo potuisse illudi, nihilque sibi satiùs esse quam reflexo itinere domino integram summam restituere quæ tàm terribilibus exactoribus repetebatur. Sed quàm forte est vinculum cupiditatis, quod tot iisque Cœlitum jussu inflicti recenter ictus frangere non potuerunt! Pergit ergò ille, quod cœperat, itinere Tengillensi, eoque paucis ante horridum terræmotum diebus pervenit. Tremente jam terrâ rursùm timor, tot priùs portentis edoctum, totum occupavit, sensibusque tantùm non destitutum obstinati criminis conscientiâ parieti adfixit, ubi cælo terrâque contra se bellante certam mortem expectabat. Et quis non hominum flagitii ejus tantæque contumaciæ conscius eû condemnasset? Sed mitius ultrà quam homines ignoscere aut cognoscere possint, cælum fuit. Cadit utrumq; parietis, cui obnitebatur, latus; sola illa pars, quæ obruere potuisset nocentem, quæq; nullâ etiam terræ agitatione, vix perstare potuisset, firma mansit, nullâ divinæ operationis dubitatione relictâ. Quàm longa sæpè Dei miserentis patientia est! Obstinate quid adhuc resistis? tot circumquaque vides funera te innocentiorum; jam non semel Deum monentem seu castigatione seu conservatione tui expertus es? memento, quàm soleat spretam longanimitatem pœnarum acerbitate compensare. Ita quidem secum infelix loquebatur, sed non abrumpebat, quibus illigabatur, nexus cupiditatis. Rursum igitur, dum extra dirutum oppidum sub arbore somnum capit, veteres adsunt sed teterrimi horribilissimique exactores, tantò crudeliùs quantò obstinatiorem fustigantes, repetentesque, *Redde mortalium ingratissime, aurum, quod pauperi, qui te curavit, eripuisti.* Promisit miser *Piuram* se iturum, aurumq; restituturum, cui debebatur. *Non istud,* inquiunt illi, *facies, ne, quod sæpè accidit, auri te cupiditas captivet aliorsumq; trahat: Verùm Religioso alicui delictum aperies signabisq; locum, unde defossum aurum Domino restituat.* Nihil ipse reluctatus est tam acerbè extorquentibus, sed, illis digressis, reliquam noctem consumpsit plorando delicti enormitatem plagarumque dolorem. Vix illucescente die ad Augustinianos perrexit, quem primus P. Antonius de la Calancha illorum tunc Prior & hujus historiæ scriptor observavit, motusque hominis nõ magis lacrymis singultibusque, quàm livido colore ac tremulâ corporis agitatione, sciscitatus est undè aut qua de causa veniret; aut quid sibi vellet deformis illa totius corporis species. Quâ interrogatione confirmatus, propiùs accessit, nudatisque, quas naturalis honestas permittit, partibus, plagarum primùm edicit authores, tùm totam ex ordine historiam, seipsum appellans peccatorem pessimũ, infamen creaturam, furem ingratũ, ac Dei contemptorem. Concurrunt ad voces exclamantis alii Religiosi, attoniti seu loquentem audirent, seu intuerentur lacrymãtem trementemque. Quibus secedere per Priorem jussis, illoque, ut modestiùs loqueretur, monito, reliquum executus est; tractum terræ, in qua aurum defoderat, in charta cum signis omnibus distantiisque, ne diu Religiosus, qui mitteretur, inquisitione laboraret, delineavit. Datus illi à Priore confessarius est apud quem longâ confessione peccata pronuntiavit: tûm P. Ioannes de la Serna, concionandi facultate peritiâque rerum agendarum famosus, missus qui absconditum aurum effoderet restitueretque. Verùm ille tunc tantùm recordatus est se ignorare defossæ pecuniæ latus, cum *Piuram* pervenit, quod citis literis sibi voluit indicari. Intereà raptor sumptibus Conventus alebatur, industriâ charitatis, ne necessitatis violentiâ à proposito melioris vitæ, quod serium concepisse cre-

credebatur & prę-se-ferebat, rursùm retraheretur. Rogatur ab Aschetarcha ad quod arboris latus nummos abscondisset. Ipse verò sibi indignãs, quòd rem, scitu prorsus necessariam P. Ioanni profecturo nō aperuisset, nunc explicat rotam quæriturque nuntius, qui responsum Ioanni deferat. Intereà Dæmon novo rursùm cupiditatis impulsu cor furis quatit & vincit. Sed quo prętextu ipse se è monasterio extricabit? majoris humilitatis atque à sæculo alienationis. Quare vestem sericam Priori defert, petitque mutuò sibi dari pesa sexaginta, quibus pannum laneum comparet atque ex eo vestes sibi confici curet, quibus in posterum induitur, se determinasse labore manuum victum quærere. Datur in bonum finem petita summa, ex venditione quidem sericarum vestium recuperanda, sed nequitiæ ejus servitura: nam eâ acceptâ eodem die ipse *Piuram* volat; aurum effodit, redit Trugillum, vestit se splendidè, lusoribus sociatur: elapsique sunt dies omninò triginta quinque, quibus Priori nunquàm fuit visus. Post quos Priori à vesperis, quas apud Dominicanos in profesto institutoris eorū solemnes audiverat, redeunti, fortè in consortio quorundam abligurionum occurrit sumptuosè sanè vestitus. Cui Prior irrisoriè, *Egregia*, ait, *scilicet ista mutatio est*. Nec pluribus apud eum, quem culpa interiùs stimulabat, opus erat. Sensit, erubuit, dictoque seorsùm Priori novam de se inimici victoriam ingenuè confessus est, petitos subdolè sexaginta pesa, iisse se *Piuram*, aurum effodisse, prodegisse pesa ampliùs M. D: superesse apud se reliquà M. DCCC. quos jam ibat ad Priorem allaturus, spondens etiam reliqua ex lucro, quod consequeretur, restituturum. Prior seduló illi terrorum nocturnorum, conservatæ mirabiliter in terræ motu vitæ, teterrimorum sævissimorumque carnificum memoriam refricavit; neque eum deindè nisi post aliquot dies vidit, quando exeunti extra oppidum Priori duobus nobilibus sociato fortuitò apparuit, à quo conspici se sentiens seipsum occultavit. Prior verò, nobilibus ad quoddam mapale manere contentis, eò, ubi illum conspexerat, gressū dirigit, mulierem invenit negantem eum ibi esse. Priore aliquoties, se illum vidisse, replicante, exilit ille furenti similis, vociferansque ne se ultrà persequeretur. *Ego saluti animæ tuæ studeo*, inquit Prior. Reddit ille seipso factus obstinatior, *Et ego eam perditam volo, tuâ quid interest? abi.* Tum Prior ferventiùs solito ad meliorem frugem exhortando reducere eum tentat, divini judicii severitatem æternasque flammas oculis, sed quos ille clauserat, objiciens, donec & hæc excitamenta & sæpè repetitas preces contemni videns, insuper furere eum tantò magis, quantò studiosiùs de ejus salute agebatur, eo deserto, ad nobiles redit, quibuscùm, quæ gesta erant, narrasset, intelligit ex eis mulierem illam esse uxorem, quam furcifer absenti marito abstraxerat: abesse mariti domum duorum quidem dierum itinere, sed tamen parare se ut acceptam injuriam ulciscatur. Paucorum dierum interjecto spatio iidem retulerunt tragicum prorsùs, ingrati hujus furis & infamis adulteri ex hoc mundo exitum. Ille scilicet intellecto mariti adventu, assumptâ in equum suum complice *Carabambam* (a) versùs fugam arripit, quo pertingere nisi pervadato fluvio non poterat: hîc autem diversis torrentibus à seipso separatus capiebatur, exiguis in medio insulis interjectis. Atque in primo quidem torrente parùm abfuit quin impetu aquarum abriperentur: quibus cùm ex aliqua insularum non-nemo, ut reverterentur, acclamaret, majus siquidem esse in sequentibus periculum, adulter seu periculi magnitudine, seu adulteræ, quâ jam ad satietatem usus esset, tædio, seu furiis eum perurgentibus rugiens clamabat *Dæmones auferant hanc mulierem propter quam tot*

(a) *Carabamba doctrina de los frayles Augustinos.*

me video periculis undiq; circumseptum. Nec leniùs adultera reddidit, *Quin te potiùs auferant qui me auro tuo furtivo gemmisq; illectam meo me marito eripuisti & miseram reddidisti ac fugitivam.* Tùm ille subjectis equo calcaribus, dicensque *Eamus igitur ad infernum*, eò equum adegit, ubi impetus aquarum erat vehementior, qui mox utrumque hausit suffocavitque, præsentibus ac spectantibus supremæ confessionis & desperationis testibus. Funesta tragœdia, ex qua mortales discant justitiam moniti & non temnere Divos.

13. Atque hæc quidem in ipso terræ motu Trugilli exempla notata sunt, quem multis annis antecessit, quod subjungitur, non minori fortè impietate cœptum, at fine feliciori terminatum. Vivebat Trugilli Petrus de Barbaran opulentus æquè ac nobilis, & quem benigna potentia liberalitasq; omnibus reddiderant amabilem: eff cerant tamen opes, quod solent, ut lascivia & luxuria in animo ejus sceptrum tenerent, ut etiam sacram matrimonii fidelitatem perrumpere non erubesceret. Vnam conjugatam deperibat præ cæteris, neque illa mitiori ardebat flammâ, sed contemptrix fœderis conjugalis, Petri amoribus fruebatur, quorum tamen nondum alia indicia pandebantur, quàm frequentior, quam conjugalis castitatis teneritudo pateretur, conversatio apud eum, qui passim incontinens audiebat. Monita ergò à marito est suspecta consortia evitare, omniaque prorsus negligere nisi ad quæ necessitas compulisset: ipsam pudicitiam raro inter illa esse inculpatam. Lenis admonitio quâ simul & conjugis amori & utriusque honori satisfacturum se arbitrabatur. Verùm pudicitia apud uxorem jam profligata erat, ac pauló post marito innotuerunt & illius stupra & suum dedecus: isti scilicet ignes raro sine fumo quo prodantur, ardent quamquàm nullis seriùs, quàm quorum infamiâ gignuntur, innotescant. Magna illi mœstitia ecat tam turpiter sibi fuisse illusum, sed cujus magnitudinem mitigare statuerat vindictæ proportione. At solertior magisque ad nocendum præceps mulier est; illa collato cum Petro consilio, venenum poculo, quod maritus esset bibiturus, miscet. Ægrotum atque jam morti vicinum Petrus ex more hominum invisit, incertum, audacior-ne fuerit facinoris dissimulatione an fictione doloris impudentior; latere tamen parricida non potuit eum, qui tot intus testibus contra illũ muniebatur: morbi accessus ac species, injuriæ factę certitudo eũ nihil dubitare sinebant. Quare conversus ad Petrum singultiente licèt voce ita aggressus est ut terreret. *Quas*, ait, *à te mihi illatas atroces fœdasq; injurias, à vestro scelere præoccupatus, vivus ulcisci non potui, vindicabo mortuus, te quoad vives ac quocumq; ieris, secuturus.* Nec plura ferè locutus expiravit, has tamen minas & acerbitate suâ & mortis vicinitate insolitas mox fama per oppidum vulgavit, diversisque judiciis populum confudit. Potuit tamen erga Petrum omniũ amor, ut plerique, excusato eo, moriturі vehementiam condemnarent; judices certè dissimulârunt. At verò sequentis diei spectaculum monstravit quantò aliter Deus quàm homines sentiant, fortioraque apud eum esse vota innocentium quàm nocentium potentiam. Visa est Petro terribilis umbra defuncti ardentem manu tædam gestans, horribiliori voce terrens post mortem, quam fecerat in vita. *Eodẽ,* inquit, *momẽto consumetur & tæda quã teneo, & vita tua.* Ad hanc erectis in vertice comis & labantibus genibus ac intercluso in faucibus spiritu attonitus aliquamdiu Petrus hæsit, at recedente umbrâ resumpto animo totus ad expianda peccata & vitæ emendationem intendit. Ad Augustinianos perrexit, ubi & tremorem suum tremorisque causam explicavit, ac voluptatibus vanitatibusq; valere jussis, assiduus esse in Ecclesiis cœpit, in sacramentorũ susceptione

ceptione frequens, & liberalis in eleemosynarũ distributione. Singulis diei horis, & multis noctis, fatalis illa species oculis Petri obversabatur, ut tamen minùs consternaret, faciebat cùm cernendi consuetudo tùm conscientiæ, expurgatis peccatis, serenitas. Si ultra necessitatem somno, cibo, potui-ve indulsisset, si mundanis alibi sermonibus interesset, aderat infatigabilis ille exactor, tædæque imminutione vitæ decrementum intentabat; ut Petro tandem nihil libuerit quàm pœnitentiis corpus castigare, erogare stipem, Ecclesias Religiosorumque cœtus obambulare; atque ita decimo, à quo videri tæda cœpta est, anno, & tæda consumpta est, & Petrus extinctus, morte ideò non infelici, quòd ad eam tot bonis operibus decem se annis præparasset: exaltanda tamen Dei misericordia, qui modo tàm admirabili maximum peccatorem ad pœnitentiam vocavit.

14. His exemplis ratione terræmotus interpositis, ut ad Conventum Trugillensem redeamus, multùm pro ejus instauratione à succedentibus Prioribus laboratum est, nihil tamen facit ad pristinum splẽdorem opibus Ioannis de Sandoval inductum. Verumtamen illustris semper permanebit quatuor præclarissimorum virorum sepulchris P. Luysii Alvarez, P. M. Ioannis de Almaraz, P. Andreæ de Villareal & Andreæ de Sancta Maria, qui omnes Provincialatus munere functi fuerunt: secundus etiam electus Episcopus *fluvii argentei*. (a)

(a) Rio de la Plata.

CAPVT V.

De monasterio nostro Cuzcensi.



1\. CIVITATI Cuzcensi alii tribuũt latitudinis Australis grad' tredecim & mediũ (b) alii quatuordecim & minuta quinquaginta. (c) Aëris sanè temperies moderata est, nec calore nimiùm nec frigore infestata. Ager fertilissimus nõ maizii modò aliarumque segetum granorumve patriorum, sed & tritici sementisque cujuslibet Castellanæ. Eadem ùtrorumque fructuum, patriorum scilicet & Castellanorum abundantia. Aquæ limpidæ salutaresque ac sapidissimis piscibus scatentes. In vicinia duo nascuntur amnes aquarum suarum colore notabiles; alterius albæ sunt, alterius rubræ, qui indigenis *Ancaypagua* (quod idem est atque apud nos aquila regalis) propter defluentis aquæ velocitatem dicitur: uterque in validum fluvium Apurima se exonerat. Greges ovium numerosissimi sunt; porci præ copia vix æstimantur. Est inter cætera animal genti *Vncaquilla* nominatum, fele minus. Fœmellæ circa inguina velut vidulus adnascitur, in quo concipit. Fœtuum nondum natorum ora exiguis nervis complectitur, natos eisdem nervis natura papillis copulat, quibus illos alat, & si fugiendum est, secum trahat. Gallinis infestum est non ut carnes earum voret, sed ut exsugat sanguinem. Id autẽ quod in campis Limę vicinis frequens est animal gliris magnitudine, laxatis sub ventre pellibus fœtus jam natos resumit absconditq; & lactat innocuè, gravido similius quã lactãti. (d) *Mucamuca* Indi dicunt; aliqui etiã *chachupa*.

(b) Antonius de Herrera.

(c) P. Antonius de la Calancha lib. 2 cap. 37. num. 1.

(d) idem lib. 1. cap. 9. num 6.

rachupa. Aves variæ sunt non plumis tantùm sed & cantu insignes. Valles arborum ordinibus ita formosæ ut Thessalica tempe aut excedant aut æquent. Incolæ omnibus totius regni ingeniosiores sunt & civiliores, naturâ an culturâ, quis dicet? credo utrâque. Fuit siquidem Cuzco sedes veterum Ingarum, qui, si sacras leges excludas, nulli genti in iis condendis fuerunt secundi (a) seu pœnarum inflictionem consideres seu distributionem præmiorum, quibus Regna, Resp. & Civitates contineri solent.

(a) lib. 1. cap 3.

2. In hanc tot nominibus commendandam civitatem Ordinis nostri institutum primus introduxit ille virorum maximus Ioannes de Vivero, suprà (b) à me laudatus, anno M. D. LIX, undecimâ Iunii, quæ S. Barnabæ Apostolo sacra est, Provinciæ Præfecto P. Ioanne de Sancto Petro, fundatoribus Nobili viro Francisco de Loaysa & Catharina de Chaves conjugibus, quorum liberalitate templum, monasteriumque excitata sunt plurimùm sumptuosa ac magnifica, adjectis insuper annuis perpetuoq; duraturis censibus. Altare summum ipso suo splendore venerationem conciliat: alia picturis pulcerrimis nitent. Habitant in monasterio quinquaginta plùs minùs Religiosi: florentque Philosophiæ ac Theologiæ studia. Ad eam tamen monasterii magnitudinem ac Religiosorum copiam non nisi tardè pervenerunt. Primus eorum labor studiumque fuit quaquaversus Religiosos, quantùm tunc exiguus eorum numerus permittebat, ad messem Euangelicam destinare magnis quidem sudoribus difficultatibusq;, sed quas Deus cumulatissimè coronavit. Hoc siquidem monasterium est in quo corpus P. Didaci de Ortiz Protomartyris Peruani, post gloriosissimos de variis tormentis triumphos, quos alibi exequemur, (c) requiescit magnâ populi reverentiâ cultum.

(b) lib 7. cap. 7. 8. 9.

(c) toto libro 13.

3. In eodem monasterio S. Nicolaus de Tolentino & B. Ioannes Saguntinus miraculis plurimis coruscant, ex quibus pauca eaque certissima ponam.

4. Anno M. DC. XIV. Augusto mense in valle *Xaxaguana* atque pago, *Guarocondo* Indis dicto, sub medium noctis Parochi domus ardere cœpit, flammam, utpote in paleis accensam, nulla satis diligentia extinguere, aut ne ulteriùs serperet, impedire poterat. Advenerat fortè in eundem pagum P. Petrus Ambite Augustinianus à candore morum & vitæ puritate commendabilis eleëmosynas collecturus, hospitabaturque in domo alicujus Indi. Is clamore tumultuque populi excitatus accurrit, & desperanti jam de remedio Parocho duos, quos secum attulerat, S. Nicolai paniculos, tradidit, ac de ejus ope benè sperare jussit. Parochus contra spem in spem, invocato priùs devotè S. Nicolai patrocinio, utrumque paniculum in votantes, celeresque impulsu ventorum flammas conjecit, exstinctæque tam subitò sunt atque si candelam valido halitu exsuffles: solæ ex aliquibus lignis prunæ candentes permanserunt. Aderant, qui ad suffocandum incendium convenerant, homines plùs minùs ducenti, miraculi admiratores & testes; quo facto latè S. Nicolai Tolentinatis cultus propagatus est, populumque remotè ad sui venerationem excivit.

5. Paucos post dies idem Pater Petrus eleëmosynam in pago *Anta* remoto ab urbe Cuzco leucas non ampliùs tres conquirebat, secum ferens B. Ioannis Saguntini imaginem: Hospitale, quòd Ioannes de Lizarazo Parochus Cuzcum iisset, ipsi hospitium fuit. Collocatâ in altari, quâ poterat veneratione, imagine, sacris se vestibus induebat, ut incruento sacrificio Numini libaret, præsente non exiguo, qui illuc convenerant, Indorum numero. Alii quatuor Indam apportant duodecim jam annos paraliticam atque juxta infimum altaris gradum locant, Petrum rogantes ut pro illa Sacri-

Sacrificium offerret: fecit, Indâ magno devotionis sensu illi intentâ. Quæ, cum ultimum jam Euangelium legeretur, exsurrexit læta, scandítque, nullo nunc impedimento, ad gradum altaris supremum gratias Deo & S. Ioanni actura ac P. Petri osculatura pedes, stupentibus ad tam subitam mutationem cunctis, ac miraculum conclamantibus. Quin & sonitu campanarum mox illud publicum fecerunt, undique ad novitatem rei concurrentibus vicinis. Parochus ipse Cuzco redux obstupuit, atque ab obvio sciscitatus sonitûs insoliti causam, rem, ut gesta erat, audivit; visâque, quam paraliticam noverat, Indâ sanâ & robustâ, ipse præ cæteris devotione erga S. Ioannem incensus populum commovit, ut junctis precibus Petro supplicarent, permitteret S. Ioannis iconem ex Xenodochio ad Ecclesiam deferri. Illo non omninò reluctante, tumultuariâ solemnitate celebríque, non tā pompæ quàm devotionis magnitudine ad Ecclesiam delata est, facta post trium dierum spatium pugnæ sed sanctæ occasio: repetit P. Petrus imaginem: negat eam Parochus, abscondunt Indi, offerentes pro ea, quantum vellet, auri; quod ille religioni duxit. Recuperandæ tamen imaginis desperatio, constantésque Indorum preces vicerunt, ut ducentorum pesorum eleëmosynam acciperet: imaginem verò in summo altari statuentes, magno eam cultu venerantur. Missis, qui se de miraculo informarent, retulit Sancius de Orozco Eques Cuzcensis, sed quem illius tunc vallis *Xaxaguana* deliciæ hæreditasque illuc evocaverant, & detinebant, plurima, quæ id temporis in dicta valle S. Ioannis patrocinio acciderant, miracula. Affirmârunt item duo ex Ordine Seraphici Francisci Religiosi omnes illius vallis pagos, antequàm illuc à P. Petro B. Ioannis imago adferretur, ita infesto morbo laborasse, ut nullum à confessionibus audiendis, ferendo ad morituros viatico superesset tempus: plurimorum sepulturâ plurimos dies fuisse occupatos. Verùm allatâ illuc à P. Petro S. Ioannis icone, quasi ipse omnibus ægris medicus salusque advenisset, omnem adeò morbum depulsum, ut Parocho esse liceret quietum. Parochus ipse Ioannes de Lizarazo plurima maximaq; miracula ejusdem Sancti patrocinio patrata non referebat modò sed & testimonio suo confirmabat, gaudens tantum indè fidei devotionísque incrementum gregi suo obvenisse.

6. Eodem anno duabus gravissimis infirmitatibus, *anginâ* & faucium inflāmatione laborabat Cuzcensis civitas, à quibus nulla erat domus immunis: in multis decem aut etiā viginti extra spem salutis adfligebantur. In monasterio item Augustinianorum lues ista invaserat plurimos, sed vehementissimè P. Ioannem de Ribera Arequipâ oriundum: cui medici vitam abdixerant. Iam decimus dies erat ex quo nec juseulū sumere potens erat; tantaque erat vis contagii ut nullibi quietum sineret; magnum solatium putabat si alio loco pateretur: nunc foras exilire insani instar, nunc ad labium fontis bibiturus, nunc per pavimentum serpere videbatur, eratque adsistentium impotens ad hæc prohibenda labor; sola mors quietem allatura, atque hæc vicina, credebatur; quam suffossio oculorum lætalesque paroxismi præcurrerant. Verùm P. Dominicus de Sotorros Ascetarcha B. Ioannis imaginem in sacrario pendulam, jussam afferri tradidit, ut P. Ioanni desperato imponerent: imposuerunt: vix spatium effluxerat quo *Credo* dici potuisset, cùm ille exurgere è strato tentat: præsentes conantem detinuerunt veteris intemperiei reliquias arbitrati; quibus ille sensibus prorsùs quietis, *Sanus, inquit, sum, & cibi me appetitus tenet*. Datus est, comedit, ampliùs quidem quàm convalescenti conveniret; exiguum tamen ad appetitum suum. Quare advocatus Medicus est, qui præsens P. Ioannem conspi-

carus, examine eorum, quæ acciderant, facto, *Malum, ait, quod nullâ Machaonis arte superari potuit, divina, ut video, operatio curavit: miraculum est.* Hora erat vespertina octava; quando hæc evenerunt; & quamquàm Ioannes exurgere vellet, prohibuerunt tamen Religiosi ob instantem noctem, majoremque sanitatis certitudinem explorandam. Noctem Ioannes ita exegit, ut Confratres ad Primam horâ sextâ euntes precibus suis gratiisque Deo & B. Ioanni factis ipse prævenerit, occurreritque per claustra transeuntibus sanus, lætus, ac miraculi præco. Tot indiciis proditum miraculum, sonitu campanarum publicum fieri voluerunt; quæ tantò lætiùs à civibus auditæ sunt, quod eâ occasione intelligerent incurabilis morbi vires patrocinio B. Ioannis superatas, quandò cæterorum Conventuum Parochiarumque campanæ triste mortuorum signum multos dies insonuerant. Quare hâc spei portâ apertâ in tanta moriendi necessitate Hispani, Indi, Nigrique mixtim ad nostram Ecclesiam convolarunt, quilibet suæ valitudinis suorumque sollicitus. Nec infructuosa fuit illa habitantium erga B. Ioannem devotio; nam à primo campanarum sonitu, tam continua fuêre miracula, ut multos dies idem sonitus debuerit ferè esse continuus duobus, tribus, sexque simul accurrentibus, qui pro obtentâ miraculosè sanitate Deo & B. Ioanni gratias agerent. Cæteri, qui infirmabantur, Augustiniani hâc miraculorum in cives velut extraneos prodigalitate magis incensi, ac se tamquàm domesticos præferendos rati sanitatem & ipsi à B. Ioanne petiverunt, & consecuti sunt omnes.

7. Tunc iisdẽ malis anginâ & fauciũ inflammatione Isabella de Oralora in mortẽ ibat: quam ut maritus ejus Franciscus Rubio vidit clauso gutture impeditâ loquelâ, vultu inflatam, festinus ad cœnobium Augustinianorum perrexit, & iconem B. Ioannis & confessariũ extremæ necessitati petiturus: utrumque facilè consecutus est apud eos qui se procurandæ proximorum saluti devoverunt. Iconem ipse prætulit deditque uxori, quæ eam faciei & gutturi applicavit: Confessarius P. Dominicus Ros properè, prout irreparabilis necessitas exigebat, secutus est, invenitque Isabellam in hæc sibi verba loquentem, *Ecce nunc sana sum & surgo*: surrexitque, ne esse verba tantùm crederentur.

8. Magistratus Cuzcensis videns plurima & maxima, quæ primis diebus facta fuerant, miracula, rogatu suo effecit, ut in summo altari imago B. Ioannis collocaretur, arderentque ante eam die noctuque duodecim ex cera alba (alterius enim non est usus in Peruvia) candelæ, & erat tantus populi seu petentis sanitatem, seu eâ adeptâ gratias agentis concursus, ut quadraginta dierum spatio portæ templi claudi non potuerint nisi in meditullio noctis. Dixisses Deum intercessione B. Ioannis apertâ penu miracula profundere, rosis aliisque floribus in altare projectis resumptisque atque ad ægros licèt desperatissimos delatis, quasi vim indè medicandi suxissent, conferentibus sanitatem. Quo factum est ut & brevi morbi illi Cuzco fuerint eliminati, & in beneficii memoriam nulla non domus B. Ioannis imaginem haberet ac veneraretur. Ipse etiam Magistratus, ne privatus tantùm B. Ioannis cultus esset, petitis priùs suffragiis, B. Ioannem perpetuum sibi patronum adscivit, vovitque primis se Vesperis & Missæ illius, quæ illi sacra est, diei annuatim interfuturum, factis datisque Augustinianis hujus rei tabulis nomine Magistratus signatis, & servatis in archivio dicti Conventus.

9. Nec multis annis interjectis Anna Duran novi generis miraculo eundem patronum celebriorem reddidit: illam transversa in gutture ingens acicula ad mortis angustias redegerat, & tres jam dies continuos ita tenebat: sed quam invocato B. Ioannis patrocinio mox ejecit,

cit, libera ab omni dolore.

10. Sed nullus ad referenda prodigia facundior esse potest aut debet quàm Andreas Mutiusiquia neminem credo pluribus adfuisse, cum eum, quocumque iret, comitari viderentur. Primum tamen domesticum fuit. Vxori ejus nullam spem vitæ reliquerant humana remedia, tam vehementer eam ad mortem urgebant angina & faucium inflammatio: inflata illi facies erat & guttur deformi rubere extendebatur. Hic igitur ad illum Sanctum precibus recurrit, cujus noscebat tam crebra contra dictas infirmitates in urbe Cuzcensi beneficia: flores ad Ecclesiam tulit, imagini Sancti Ioannis applicuit, deinde domum relatos uxori, quæ subitò depulso vultus gutturisque tubere sanitati integræ reddita, præconio prodigii totam viciniam pervasit; quod tantò habebatur solemnius, quod pellicula, quam tuber suâ magnitudine plurimùm extenderat, bursæ in modum corrugata gutturi plusculos dies adhæreret, altero miraculo recessura, nullo deformitatis vestigio relicto, uti factum fuit. Andreas in gratitudinis testimonium non contentus publico B. Ioannis tam egregii benefactoris cultu, privatam in ædibus suis venerationem in imagine ejus, quam depingi curaverat, decrevit; crevitque cum veneratione devotio, ut nec iter, nisi secum imaginem ferret, faceret. Potosium, quod Cuzco abest leucis centum septuaginta, proficisci necesse habebat: imago sarcinæ imposita fuit, ipse autem B. Ioannes suâ protectione & beneficiis comes. In primo pago imaginem explicuit ostenditque Parocho, quo rogante ad summum Ecclesiæ altare delata, omnes ad sui venerationem famâ miraculorum, quæ in vicina Cuzco patrârat, excivit; maximè autem qui maximè indigebant, infirmos, quorum pleri- que omnibus videntibus sanitatem miraculosè sunt consecuti. Hujus rei fama prævolat etiam ad alia, per quæ Andreæ erat transeundum, loca. Vbique eum positis exploratoribus observabant, expectabantque, desiderio colendæ imaginis tam beneficæ excitati. Advenientem maximis lætitiæ signis & sonitu campanarum exceperunt, atque collocatam mox in Ecclesia imaginem venerati sunt; alii diutiùs, alii minùs, prout ab Andrea portatore suis precibus poterant extorquere: nullibi minùs viginti quatuor horis hæsit, ubique prodigiorum prodigo B. Ioanne, quorum jam præ multitudine numerus non inibatur.

11. Cuzci adhuc moremur, nam quæ alibi per B. Ioannem aliosve Ordinis nostri Sanctos facta sunt miracula suis separatim locis exequemur. In hac igitur civitate etiam pane, fasciis, aliisque similibus rebus, ex contactu imaginis ad homines translatis passim sanitatem consequebantur, ut non immeritò istud de illa dicamus, quod de Christo scripsit Euangelista (a) *Omnis turba quærebat eam tangere, quia virtus de illa exibat & sanabat omnes.* (a) Luc. 6. 19.

12. Bernardino de Valdelomar Civitate Regali in (b) Hispania orto, sed civi Cuzcensi transversus ad vesicæ orificiū lapis decem jam dies urinam intercluserat, maximis doloribus & præsenti mortis, ad quam se præparabat, periculo. Remedia malum auxerant doloresque, natâ in vesica carnositate ac humoribus putrefactis conglomeratis. Verùm in his dolorum mortisque angustiis, cum juxta B. Ioannis iconculam aspexisset, converso ad eum cum gemitu & lacrymis animo, illam parti dolenti applicavit, atque ipso illo momento (mirabile dictu) instar magni pisi (c) lapillum ejecit & post eum carnositatem omnem ac sanguinem corruptum: vixitque dehinc plurimos annos ut nullum reliquiarum præcedentis mali indicium senserit. (b) Ciudad Real. (c) Garbãço.

13. Ac ne patriam neglexisse videatur, P. Iosephum Sagunti natum, in Seraphico Ordine S. Francisci professum, Cuzci morbo prorsus medicos

medicorum arte incurabili laborantem curavit. Curationis hæc erat occasio. Visitabat jam moriturum Ioannes de Sillerico & ipse Saguntinus, videnſque concivis ſui extremas anguſtias, *Audiſtin'*, inquit, *quanta in hac civitate Sanctus Ioannes mirabilia operetur? Saguntinum nominant quia eandem nativitatis terram nobiſcum ſortitus eſt. Et licet in divinorum beneficiorum diſtributione patria ſanguiniſve conjunctio primas partes non obtineat, non officere tamen ipſo Salvatoris Ioannem & Iacobum conſanguineos præ cæteris inter primos eligentis diligentiſque exemplo edocemur. Naturalis ſcilicet hic amor eſt, quem perficere gratia non deſtruere ſolet. Tu tantum illi fidem ac patrocinium ejus ſeriò implora.* Hac dicentis oratione excitatus Ioſephus, ejus etiam conſilium exequi cœpit & tenerrimis verbis Sanctum concivem invocare, eo quidem ſucceſſu, ut mox præſentibus Religioſis, qui adeſſe extremè laboranti juſſi erant, per nares ejecerit non exiguam fœtidorum humorū quantitatem, ſurrexeritque ſanus, numquàm antehac ab ullo ſuo populari majorem expertus favorem.

14. Atque qui ab anno hujus ſæculi quartodecimo narrationem miraculorum à B. Ioanne Cuzci inque vicinis locis factorum cœpimus, in eodem concludamus. Multa tranſilivimus quia minori teſtium robore confirmata. Hoc autem multò maximum eſt tam fide ſupplicantis quàm ſuccurrentis liberalitate, quæ illuc ſe protendit, quò nulla unquàm creata potentia penetravit. Indæ filiolus erat matris ſuæ corculum & delitium. Hunc mors immatura abſtulit, tanto quidem matris dolore, qui nullum ſolatium admitteret. Cum efferre puerulum, ut terræ mandaretur, parati eſſent, illa B. Ioannis Saguntini miraculorumque, quæ plurте id temporis in civitate Cuzcenſi videbatur, recordata, velo involutum ſecretò defert in templum Auguſtinianorum, ibique in altari ante B. Ioannis imaginem collocato, cas- preces fudit, quem intimus dolor ſuggerebat. Præ cæteris ſolitudinem ſuam pauperratemque identidem ingerebat. Silentii ab aſtantibus admonita, multò magis clamabat: aures ſcilicet non habet niſi ad exacerbationem doloris materous adfectus tam ſævè vulneratus. Diſtulit ſuccurrere B. Ioannes ſeu fide invocantis & adflictæ delectatus, ſeu ut morâ planctuque matris plures advenirent, futuri omnipotentiæ teſtes. Puerulus tandem apertis oculis matrem inclamat, ſurgenſque ac ridens in maternos ruit amplexus. Quaſi ad tranſiliendos omnis naturæ terminos ſatis eſſet paupertatis titulo precationem factam fuiſſe, quo nullus fortior adhiberi potuit apud eum qui factus *eſt refugium pauperi; adjutor in opportunitatibus in tribulatione.* (a) (a) Pſal. 9.

15. Celebris in eodem monaſterio noſtro Cuzcenſi eſt cultus Beatiſſimæ Mariæ, ſub titulo *Matris gratiæ*, quem primum fuiſſe ſub quo in Peruvia Deiparam Auguſtiniani venerari cœperunt, ſuprà (b) diximus. Hanc venerationem Cuzci multa miracula illuſtrârunt, nota magis publicâ famâ quàm Antiſtitum approbatione; quæ deinde lapſus temporum obliterat, docetque ut incuriam de poſteris, quam in majoribus noſtris damnamus, fugiamus ipſi, qui non rarò illos, quos culpavimus, negligentiâ noſtrâ ſuperamus. Anno tamen M. DC. XII. iſtud invenio. Habebat ſtatua *Matris gratiæ* coronas varias, verùm unam præ cæteris divitem gemmis quam ſceleſtus aliquis clepſit, magnâ non Religioſorum modò ſed & ſæcularium mœſtitiâ: facta diligens ſed fruſtranea inquiſitio eſt; tùm Aſcetarcha P. Petrò de Anbire vito candore ſuo ac virtutibus apud omnes noto, quemque frequens ad hoc altare devotio notabilem fecerat, imperat Sacrum de vulneribus ad dictum altare dicere, ac *Matris gratiæ*, quæ in ſtatua ſua injuriam paſſa erat, patrocinium implorare. Obedit; dumque ex cornu Epiſtolæ (b) lib. 4. cap. 3. n. 5.

ad

nonne hac, ait, *corona est quam perditam quærimus*? Dubitandi hæc causa fuit, quod à sacrilego compressa esset. Arreptam minister festino cursu Prælato detulit, à quo inventa est non auro non gemmâ nullâ imminuta; solam orbicularem figuram vis vitiaverat.

16. Idem P. Petrus de Ambite hanc ad idem altare contigisse visionem suis verbis describit, hunc prorsus „in modum. Deum restor, quod me „ad altare S. Nicolai, ut sacrificium „incruentum offerrem, accedente, „alius item Sacerdos ad altare *Matris* „*gratiæ* Ecclesiasticis paramentis indutus processerit, ut simili sacrificio „litaret: corporalia eodem tempore „ab illo atque me explicata fuêre: at „verò me confessionem finiente, vi„sus à me Sacerdos ille relicto priori „altari ad summum progredi, alio „mox Sacerdote ad altare *Matris gra*„*tiæ* in prioris locum succedente. „Hic ignotus mihi erat, verùm facie „decorus atque ipsâ corporis com„positione venerabilis, cui hinc indè „duo acolythi nitidissimis superpel„licus indui ac cereos accensos ge„stantes assistebant, & ipsi nunquàm „mihi anteà visi. Confiteor, ipsa rei „novitas & multiplex mirandi seu „Sacerdotem seu ministros seu om„nium splendorem & subitam in lo„cum discedentis adventum causâ „non rarò oculos in vicinum *Matris* „*gratiæ* altare declinavit; nec diu„tiùs à me visus est quàm quoàd ad „summum altare alius Ecclesiasticus „absolveret. Finito per me Sacro „ministrum (tunc laicus erat pœni„tentiis & orationis studio commen„dabilis), interrogavi nihil ne ipse „ad vicinum altare observasset. Imò „verò, inquit, rem prorsus stupen„dam. Tum eam nihil à me discre„pans narravit; cui silentium impe„ravi & vicissim stipulatus sum, ser„vavique ad hodiernum usque diem „religiosè, cùm, aliud dictante „conscientiâ, illud scripto declaro, „ac juramento meo omnem falsi sus„picionem removeo. Mutati altaris non aliam à Sacerdote causam allegaram intelleximus, quàm ut magnificentior appareret, detestabili in Ecclesiastico superbiâ, quam Beatissima Deipara hac cælesti visione irrisit, dùm illuc, undè dedignabundus ille abscesserit, angelos misit, altare atque *Matris gratiæ* statuam veneraturos.

CAPVT VI.

Duo successus notabiles, qui Cuzci acciderunt.



NIHIL extra orbitam instrui me arbitror, si, dùm Cuzcense Augugustiniani Ordinis Cœnobium tracto, hæc divinæ castigationis exempla, in quibus Augustiniani seu consilio seu contemptu intervenerunt, subnectam. 1.

2. Anno M.DC.XIII. Cuzci duo Curiones erant officio quidem Ecclesiastico pares, verùm moribus extremè discrepantes. Alteri Ioannes Rodriguez nomen erat. Hic non tantùm Philosophiæ ac Theologiæ, quas multos annos publicè in Collegio S. Antonii Abbatis, quod Ecclesiæ illius Seminarium est, fuerat professus, scientissimus, sed plurimis insuper virtutibus, quæ maximè Ecclesiasticum decent & ornant, excellens: hæ præcipuè erant, divini honoris zelus, orationum fervor, erga pauperes liberalitas & insignis mansuetudo, quibus eam passim venerationem consecutus est, ut Reverendissimus Ferdinandus de Mendoça ex Societate Iesu Episcopus Cuzcensis illas pro concione laudare non dubitaverit, asserueritque mitram suam pedumque digniùs à Ioanne, quàm à se, fuisse gestanda. Alterius nomen charitas Christiana, ne labem in familiam

 infer-

inferret, suppressit. Mores ejus chartarum lusu, consuetudine jurandi & fœminarum familiaritate erant infames: nec aliorum quàm sui similiū ædes ejus receptaculum erant. Rodericio cum P. M. Antonio de la Calancha Augustiniano atque hujus successus scriptore magna necessitudo intercedebat, quæ causa erat ut hujus cellula illi non esset ignota, ad quam quodam mane accessit narravitque, se nocte istâ, dum dormiret, visum sibi ab alio ex ædibus suis ad principalem deduci Ecclesiam tristibus tenebris obscuram, inter quas exiguæ lampadis lumen interlucens detexit Beatissimam Mariam flexis ante Crucifixi imaginem, quæ in præcipuo altari erat, genibus provolutam, ac mœstissimos eùm Matris rùm filii vultus. Tum Christum dixisse, *Collega tuus aliquoties Matris meæ detersit ornavitq́ altaria: vides quàm grata illa sit, cujus precibus misericordiam illi impendere à me decretum est: vade ad ejus ædes, atque edic, tertio illum ab hinc die moriturum, meque strictissimam ab illo factorum rationem exacturum: quare culpas confessione expiet.* Quo dicto idem, qui me in Ecclesiam induxerat (cujus faciem videre nunquam mihi datum est) ad collegam adduxit, cui cùm Christi decretum nuntiassem, *Ne crede*, respondit, *somniis, sanus sum, aliud confessionis tempus erit.* Hinc ad Ecclesiam rursus reditū est; visaque Christus & Mater ejus eàdem, quâ priùs, corporum compositione; atque secundò Christus in hæc verba prolocutus est, *Redi, nuntiaq́ iterum, tres vitæ illius dumtaxat dies superesse, adeò enim mali ejus mores atque exempla me provocârunt, ut, nisi Mater advocata intercessisset, ante plures eum annos eundem damnassem: quem Matris precibus ad pœnitentiam hactenus expecto, modoq́ hoc speciali admoneo.* Quæ cum alteri nuntiaret, facessere delirum, hypocritam ac impostorem jussit, neque cum his næniis in posterum reverti, priùs de testamento quàm confessione, si necessitas exposceret, se cogitaturum. His contumeliis impetitus cùm ad Ecclesiam regrederetur, in ipso statim ingressu, stantem virginem vidit ejusque capillis Crucifixi faciem cooperram: Ecclesiam totam lugubri panno tensam, cui intersonabat gemebunda vox, *Væ Væ misero infelicissimoq́ Sacerdoti.* Neculteriori tempore Ioanni concesso extractus est extrà Ecclesiam per eum, qui hactenus eum duxerat, in cujus limine versus cœmeterium vidit Curionem collegam suum a quatuor nigris ferocibusque animalibus discerpi; quo sævo spectaculo non dissipari modò somnum sensit, sed tremere membra ac frigido sudore perfundi. Ad orationem tamen confugit lucem periturus, quâ, somnus-ne esset an visio, discerneret: utrimque enim periculum animadvertebat. Diceceret somnium collegæ? certa sibi convitia ex somniorum inanitate parata sciebat, præsertim ab homine, qui ipsam veritatem contemneret. Sileret? Sed si fortè Dei mandatum sit, quo animo obluctaretur? Tùm cùm tres tantùm vitæ dies superesse collegæ decretum sit, moneaturque ad peccatorum expiationem, cur animæ ejus salutem negligat? His ergò contrariis æstibus animus Rodericii concutiebatur, quibus ne obrueretur, sciretq; quo cursum dirigeret, dicebat se venisse ad P. M. Antonium de la Calancha, ut ejus consilio in re adeò perplexâ uteretur. Constabat non inusitatum Sacris literis milleque Sanctorum revelationibus, quæ pro Indubitatis habentur, Deum voluntatis suæ arcana in som nis, quando omnia interiora hominis quietiora sunt, nullumque est voluntatis in species imperium, manifestare: patebat item somnia non vana reputari, quæ cum fundamento veritatis absque illis, quæ somniis ordinariæ sunt, deceptionibus, quippiam spectans ad proximi sive salutem aut Dei honorem repræsentant. Quare P. Antonius Rodericio auctor est, visitaret collegam, eumque ad meliorem vitam

horta-

hortaretur, somnii etiam insinuatione interpositâ: ad quam si ille conformiter iis, quæ somniata erant respondisset, tantò ferventiùs pro animæ illius salute laboraret. Eadem Societatis Iesu quidam Religiosus faciendâ cēlebat. Dicto igitur Sacro Rodericius collegam invisit, eoque orationem flectit, ut narraret triste de eo divinæ voluntatis decretum per somnium sibi significatum. Cui ille non aliter, quàm in somno visus fuerat, respondit. Quod cùm P. Antonio ac Religioso Societatis Iesu retulisset, ab utroque, ne cui labori parceret aut ullis alterius convitiis deterreretur, animatus est: futuram ejus constantiam aut animæ alterius salutarem, aut divinæ misericordiæ testem locupletiorem. Regressus posterâ luce ad collegam Rodericius, eum febribus lecto adfixum reperit, observavitque exhortationem à se illi factam per risum in congertones evulgatam, fabulam factam. Verùm Rodericius nullis nunc dicteriis superandus, quando jam non somnium tractare, sed ipsam contemplari veritatem sibi visus est, ac charitate incensus ex occasione febrium magis eùm, ut confiteretur, urgere cœpit, sed multò, quàm anteà, infeliciùs; *Molestus mihi*, ait, *es somniis tuis, quæ, nihilq; aliud, has mihi febres adduxerunt, quare apage, & causam morbi mei tecum aufer. Si febres invalescant, testamentum condam, secunda mihi cura exomologesis erit.* Subsistente ad tam indigna Sacerdote verba Rodericio, *Apage, inquam*, exclamat, *& me cum dæmonibus relinque.* Rodericius magis tantâ cordis duritie ac tam radicatâ malitiâ stupefactus, altè dolorem imbibit; domumque reversus diu orationi insistit & funiculis semet flagellavit; post quæ ad eundem redivit tertiâ jam vice, atque alteri febribus exæstuanti lamentabilem, quam in Ecclesia audierat, vocem vehemens ingessit. *Væ væ misero infœlicissimoq; Sacerdoti.* Ad quam alter indignatus confessurum se dixit, rogavitque ut solum esse sineret. Tum converso ad parietem vultu expiravit. Mors deploranda, finis infortunatus. Et quilibet quidem, cum exequiæ fierent, ejus cum visione quam cùm ipse risu suo, tùm ejus socii publicam fecerant, conformitatem conferebat, ac proindè plurimi damnatum pronuntiabant. Quis autem in altam illam abyssum se injiciat? Sola illa sibi constat. Docet tamen præcedens visio fideles quàm prona sint pro parvis licèt obsequiis & quàm fortia Deiparæ patrocinia: & quantus debeat terror occupare Sacerdotum animos, quando vident, Christo unum Sacerdotem condemnaturo, in tristitiæ signum & faciem sibi velle velari, & tendi panno lugubri totam Ecclesiam. Quis mihi det ut hîc vos alloquar Sacerdotes divinorumque judiciorum, nisi sanctè officio vestro functi fueritis, acerbitatem?

3. Anno M. DC. XXXI. accidit Alphonsum de Astudillo nobili sanguine ortum, autoritate opibusque potentem neque carentem prudentiæ laude, sed Religiosorum, maximè verò Augustinianorum, contemptorem, extingui morte sanè funestâ. Marchionatûs de Oropesa, qui quinque Cuzco abest leucis, Gubernator fuerat: sed hic illi titulus, ut nihil solet esse in regnis illo inconstantius, ablatus est emolumentumque. Quare se suspendendi mens illi injecta est atque fovit, non nisi in occasionem intentus. Vigilabat ad impediendum uxor ejus ac familia tota; quin ad expianda confessione peccata atque ad implorandas Sanctorum preces prudens mulier exhortata est. Confessus est, sed nihilò quàm Iudas religiosiùs. Quodam manè cum audiendi sacri ergò uxor ad Ecclesiam egressa esset, ille cubiculum aliquod intravit, clausitque à tergo, seriùs tamen quàm post eum intrassent duæ personæ, famulis, qui id vidisse se, posteà asseverârunt, incognitæ. Reversa domum uxor cubiculumque

 festi-


festinanter ingressa invenit maritũ è trabe suspensum & extinctum, & prætereà neminem. Flagitium familia, ut cæremoniis apud mundum honoratis sepeliri posset, occultare satagebat. Devenit tamen ad aures Episcopi Cuzcensis Ferdinandi de Vera, ex Ordine Augustiniano assumpti, ut plenè cognoscas verum esse, Per quæ peccat quis per hæc & punietur, nam defuncti cadaver cremari jussit.

4. Hactenus in hoc libro *Conchucos, Trugillum*, & *Cuscum* executi sumus; tria scilicet ex quinque locis, quæ hoc Capitulo acceptata sunt. *Laymebambam* verò, cum primi ejus Apostoli P. Ioannis Ramirez vitam enarraremus, descripsimus. (a) De *Paria* dicemus, dũ infrà dabitur opportunus agendi locus de reditibus in Indorum solatium à Laurentio de Aldana, an fidelitate in Regem, nescio, an in pauperes liberalitate magis commendato, relictis, & Augustinianorũ administrationi commissis. (a) lib. 3. cap. 8. nu. 6.

HISTORIÆ PERVANÆ
LIBER IX.

Capituli quinti triennium, id est ab anno 1563. *usque ad* 1566.

CAPVT I.
Acta Capituli.



1. PATRIS Andreæ de S. Maria, qui jam Provinciæ Præfecturâ, elapso per leges statuto tempore, defungitur, virtutes dicemus, cum ad eam suorum suffragiis rursus assumetur. Illa in his Comitiis Limæ XIII. Kalendas Iulias (b) celebratis (b) 19. Iunii. P. Petro de Cepeda demandara fuit; adlectiq; Definitores RR. PP: Antonius Loçano, Ioannes de S. Petro, Luisius Lopez, Hieronymus Gabarret. Limensis territorii visitandi cura P. Ioanni de Bivero (qui & Prior Limensis fuit) data: Trugillensis P. Antonio Loçano: Cuzcensis P. Andreæ de S. Maria.

2. Aucto Priorum ac per hoc suffragantium in Comitiis numero, abrogata Patribus Limensibus in iis suffragandi facultas, nisi fortè casu aliquo eveniret non advenisse quindecim, quibus ferendi suffragii jus competeret. Contractus insuper numerus missarum est, quas quilibet Sacerdos novem dicere pro singulis Religiosis nostris, quos obire contigisset, speciali illius Provinciæ ordinatione solitus erat: Sanctâ quidem & salubri cogitatione, ne ob paucitatem Sacerdotum pauca pro defunctis suffragia offerrentur. Verùm cùm illorum jam factus esset non contemnendus numerus non nisi sex cuilibet imperata sunt, proportione ad Clericos & Laicos in obligatione pro defunctis precum deductâ.

3. Loca

3. Loca novis monasteriis ædificandis admissa sunt *Chuquisaca* seu *Civitas* Argentii;(*a*) *Chuquiago* seu *Civitas Pacis*; (*b*) & *Tapacari*. Ad procurandam sine Conventũ conversionem infidelium (doctrinas vocant) acceptus locus *Tanacache* dictus: ad hunc P. Didacus Ortiz destinatus est, quem suo loco Peruviæ Proto-martyrem videbimus. Atque alius item *Anco-anco* nominatus, quò missus est P. Augustinus de S. Monica. *Chuquisacæ* præpositus fuit P. Didacus Gutierrez; *Chuquiago* P. Andreas de S. Maria; *Tapacari* P. Ioannes del Canto.

(a) Ciudad de la Plata.
(b) Ciudad de la Paz.

CAPVT II.

P. Petri de Cépeda breve elogium.

1. PATRIA Petro Toletũ fuit Castellæ novæ civitas opulenta ac in totius pęnè Hispaniæ umbilico sita: parentes longâ nobilitate illustres: inter consanguineos B. Alphonsum de Orozco sanctitate celebrem, quæ maxima familiæ laus est, numerabat. Staturâ pusillus & tantùm-non pygmæus erat; cætera maximus.

2. Scientiâ certè Theologicâ præ aliis excelluit, ac professus est maximo Reip. Christianæ emolumento, aptans per eam ac poliens plurimos Euangelicæ sementis satores ac messores, nec non qui publica VniversitatisLimensis subsellia cum doctrinæ splendore conservarent: inter quos P. M. Ioannem de Almaraz emicuisse accepimus. Nulla tamen P. Petro familiarior Theologia quàm mystica fuit, ita divinorum attributorum suavissimâ contemplatione illustrans intellectum, ut magis voluntatem inflammaret eorum amore. Quid mirum si cætera omnia, si seipsum contẽpserit? Deum intelligentibus, atque amantibus hæc omnia tamquàm stercora semper visa sunt. Paupertatem itaque atque humilitatem studiosissimè coluit: à neutra vel tantillum, in suprema licèt Præfectura, recedens, nullâ authoritatis diminutione sed egregio ejusdem augmento. Errare scilicet ejus judicio semper visi sunt qui singularitate seu victus seu vestitus aut supercilio altiori imperium munire moliuntur. In ipsis hoc bellorum Ducibus humanum ingenium reprobavit; nam mundi domitorem Alexandrum, quem, quoad communibus cum milite laboribus se exercuit, exercitus fuerat veneratus amaveratque, Babylonicis deliciis diffluentem contempsit. Magis id faciet in Ecclesiasticis & Religiosis, qui fortissimè semper Magistratum virtutibus, maximeq; communi legum observantiâ roborârunt. Addit deinde splendorẽ Deus quem judicaverit opportunum. Evicit certè vulgaris Petri vita atque humilitas, ut seu Conventuum seu Provinciæ Præfectum subditi amaverint omnes, & obedierint promptissimè. Non nego tamen ad conciliandum illum amorem plurimùm opitulatam fuisse singularem ejus pro afflictis ægrotisque sollicitudinem. Præfecturâ Provinciæ defungens, amplexus est titulum Concionatoris Trugillensis, in utroque sibi æqualis, cum alius aliquis illâ extolleretur, hoc deprimi se existimaret.

3. Zelus ejus seu in observantia religiosa seu infidelium conversione ardens fuit ac infatigabilis. Tunc scilicet ille Definitor fuit (*c*) quando ordinatum ut nostri vili habitu, sine calceamentis ordinariè incederent in itinere sine equo & pera. Ipsemet profectiones Hispanicas pauperrimus perfecit. Bis ex Hispania in Peruviam ivit; bis hinc illuc redivit. Primâ itione seipsum Peruviæ obtulit. (*d*) Secundâ undecim præclarissimos viros advexit. (*e*) Post secundum in Hispaniam redi-

(c) in primis Comitiis.
(d) lib. 4. ca. 2. num. 7.
(e) lib. 7. cap. 2.

tum Regii Concilii decreto, piæ clarissimo religiosissimóq; viro P. Roderico de Solis cum nonnullis aliis adjunctus fuit, qui Catalauniæ, Valenciæ & Arragoniæ cœnobia ad rigidiorem vitæ formam adducerent. Opus sanè quod omnes, quotquot tentârunt, experti sunt arduum, quodque ab obnitentibus non difficulter aut eluditur aut retardatur, idque rationibus non improbis. Vita, inquient, quam vivimus neque indecora est, neque saluti adversa, quin omnia econtrà ad animæ salutem diriguntur, eam plures in illa consecutos esse certum esse; neque deerunt hic sanctorum & proborum virorum, quæ referant, exempla: varias esse ad cælum vias, neque adhuc prorsus apud Theologos cõstitutum esse quæ reliquis melior sit; neque omnium calculos pro austeriori stare: & ut starent, quis propterea quemquam ad illam cogat? quis propterea culpet mitiores? Nónne hoc est Reginæ adstanti à dextris Dei circumdatæ varietatibus, Ecclesiæ dicunt, suum velle auferre ornatum, & discordem ejus concordiam interturbare? Ac proindè concludent, austeriorem, qui volent, arripiant vivendi modum; ipsa tamen communitas inter tot, si non innocentiæ, saltem defensionis subsidia ad illum non est impellenda. Hæc ferè sunt Religionum laxiorum monimenta quibus contra imperus rigidiorum vallare se solent. Quæ quàm non facilè quis evincat, quis non videat. Evicerunt tamen suo potiùs exemplo quàm aliis artibus Rodericius atque Petrus. Et meo quidem voto, utinam, quotquot reformandis Religionibus manum admovere contendunt, hanc ingrediantur viam, eamque longâ constantiâ & benignâ mansuetudine stabiliant; securus pronuntio, non tot difficiis difficultatibusque Religiones, non tot scandalis populi Christiani involverentur. Verùm paucorum hæc industria est, ideoque & rara conantium felicitas; nostrorum quidem, quos nominavimus, sempiterna erunt encomia apud suos, & præmia in cælis beatiora. Petrus certè tàm puram à labe vitam, imò tàm egregio zelo ac virtutibus aliis ornatam, haud ita multò pòst optandâ morte conclusit. Hispani corpus habent, Peruani conservant memoriæ ejus venerationem.

CAPUT III.

De monasterio Chuquiagensi.



1. HABET *Chuquiago* latitudinis Australis gradus decem & septem ac minuta quatuor; lõgitudinis duos supra trecentos. Genuinè *Chuquiapu* dicendum esset (a) quod est, auri metallorumque dives, tempore enim Ingarum copiosum indè aurum effodiebatur. Oppidum hoc fundavit Alphonsus de Mendoça anno M. D. XLIX. Petro de la Gasca Peruviæ Gubernatore, (qui posteà factus est Episcopus Serguntinus) nomine *Maria de Pace* illi fodio, illo scilicet pacis intervallo, quod exiguum inter continua asperaque bella intercurrebat, fundabatur. Nonnulli etiam Oppidum novum dixerunt: verùm hàc appellatione vetustate obliteratâ duæ priores remanserunt. Cingitur undique altissimis montibus: aëre fruitur temperato & qui non nimio calore æstuet aut rigeat frigore: frigori tamen propter montium altitudinem (ab uno siquidem latere integræ leucæ descensus est) vicinior. Totum territorium, quod sex comprehendit Præturas, leguminibus, fructibus, pecudibus, piscibus optimis, vineis, limpidissimis aquis abundat, uno verbo, deliciosum est, quod propterea egregia incolit nobilitas.

(a) ita vocat Episcopus Ore in Sy. bolo Indico. Atlas novus Ansterodami anno 1640. impressus apud Ioh. & Cornelium Blaeu Chuquiabo vocat.

2. Hic

2. Hîc initia Cœnobio quod fuit in Peruvia sextum dedit P. Andreas de S. Maria Provinciæ Præfecto P. Petro de Cépeda anno M.D.LXIII. (a) 24. Sep. VIII. Kalendas Octobreis. (a) Fundum nobilis Eques & fidelitate erga Regem illustris Ioannes de Ribas, & uxor ejus Lucretia de Sansoles attribuerunt: reditus Maria de Salaçar. Hæc eleëmosynarum liberalitate famosa erat, Lucretia verò marito orbata pagis sibi subjectis Ordinis prædicationi commissis, asceterium Virginum Limæ sub instituto S. Bernardi ac SS.mæ Trinitatis titulo erexit.

3. Est hîc depicta ad murum supra portam, quà in claustrum intratur, Beatissimæ Virginis imago, uti arte insignis ita duratione atq; operationibus mirabilis. Quadraginta & amplius annorum pluviæ & venti nec eam dejicere nec offuscare pulchritudinem ejus potuerũt, quas aëris injurias omnes vicinæ passæ sunt. Quin & decorem suum augere incursu temporis & tempestatum observata est. Provectiores ætate cives ac Religiosi nõ pauca per eam edita miracula adseverant, nos binatium eorum numerum nostro calamo non excedemus.

4. Mos est in omnibus Peruviæ nostri Ordinis monasteriis usitatus eleëmosynam quibuscumque petentibus, maximè Indis, ad portam elargiri. Indus aliquis multos jam annos indè accipiebat undè sustentabatur, qui maluisset illa manuum labore sibi comparare: hoc agere, dissolutis corporis nervis prohibebatur; quin suppositis fulcris debile corpus sustinere & movere cogebatur. Contigit dùm ille stipem cùm cæteris expectaret, non communia cæteris actitasse: at defixis in imaginem oculis ejus admirando speciem sensit sibi intùs corignescere, ac magnâ deindè fiduciâ effatus est. *Domina, Dei te matrem esse confiteor, à filio proinde tuo impetra ut sanus sim, cui tàm impotens corpus trahẽti grave admodum est victum quærere.* Tùm repentinus eum ardor per totum corpus invasit. Stetit firmus membra, salravit, clamavitque sanum se esse. Exorto inter pauperum gregem ex rei novitate tumultu, portarius cibi omnibus daturus accedebat; rogat tumultuãdi causam, & nondum accepto responso increpat tumultuantiũ ante monasterii portas petulantiã. Cumque omnes primi narrare miraculum gestirent, confusis omnium vocibus non rem intellexit, sed murmur audivit: quo dissipato tandem, quod narratum est, intellexit, ductoque ad interiora domus Indo, reque iterùm examinatâ, gratias actæ ab omnibus in Ecclesia Deo, deindè ad imaginem portæ, ejus sanctissimæ Matri.

5. Alterum tantò mirabilius est, quantò difficilius est animam hominis quam corpus sanare. Ad monasterium Chuquiagense confugerat Sacerdos quidam illicitis fœminarum amoribus irretitus. Locum tamen magis quàm mentem mutavit, & vixit in monasterio non melior sed fraudulentior, sacri loci muros portasque clausas mortalium oculis in prætextum objiciens emendationis, sed qui falsis furtivisque clavibus omnes, ipsos etiam Religiosos falleret, voluptatum suarum eò securior, quò secretior procurator. At quàm illa Mater misericordiæ mentiri se non potest. Cùm quâdam nocte ad portam, ut ad sacrilegas voluptates egrederetur, processisset, lucem animadvertit, quæ in meridie insolita dicta fuisset, & in nocte prorsus portentosa fuit: illâ attonitus oculos impius reflexit, viditque faciem Dei-paræ multò quidem majore lumine irradiatam sed indignabundam, quæque tantum ei tremorem incussit, ut planè in terram prostraverit voce in faucibus aliquanto tempore hærente, quam ut promere potens fuit, seriò tam piæ Dominæ emendationem improbæ vitæ promisit, resumptisque paulatim viribus ad cubiculum repedavit, quò advocato illius Conventus Religioso inopinatam indebitamque sibi peccatorum miserrimo felicitatem

licitatem recensuit; pœnituit fœdè actorum, confessus est, pergensque in aliam civitatem, ibi Ordini Augustiniano initiatus vitam deinde vixit planè exemplarem.

CAPUT IV.

De monasterio Tapacarensi.

1. TAPACARI municipium est non longè *Oropesa* in altitudine graduum decem & octo, ac octo minutorum. Illud cum tribus annexis pagis *Itapoya, Coa, Yrmini* Commenda fuit nobilium conjugum Gomezii de Solis & Luisiæ Bivar. Hi municipium annexosque pagos Augustinianis attribuerunt; illud ædificando monasterio, hos erigendis per conversionem infidelium parochiis: & utrumque licèt non sine improbis laboribus præstiterunt cum solo aërisque infelicitate & simul indigenarum barbarie luctantes. Terra aspera est & montosa, aëris temperies non admodùm grata. Quod tamen vitæ sustentandæ necessarium est aut ipsi colligunt aut vehiculis aliundè invehunt.

2. Barbaries planè silvestris erat, quam ne tunc satis posuerunt, quando indefatigabili studio & instructione PP. Ioannis del Canto & Michaëlis de Acosta è cavernis, in quibus seorsim habitare sueti, ad sociabilem civilemque vitam educti fuerunt; vivebat scilicet semper in eorum animis desiderium ad antra sua recurrendi, seu violentiâ consuetudinis seu dæmonum instigatione, arbitrantium se faciliùs ad idolorum (quæ invitissimè dimiserunt) cultum, si separati essent, redire posse, Patrumque diligentiam fore inutiliorem, numerositate Indorum dispersâ singulorum curam impediente. Illorum tamen inclinationibus providè ab Augustinianis obviatum, factumque est ut Christianam fidem plurimi susciperent, frequentarent Sacramenta, officia divina cùm musico cantu, cùm aliis modis non illaudabiliter celebrarent, non tam propensæ voluntatis impulsu, quàm continuis Augustinianorum incitamentis.

3. Monasterium non admodùm magnum est sed capax Ecclesia. Illius omnes à porta usque ad ipsa penetralia muri non aliam, quàm mortis ubique imaginem depictam exhibebant, procurante id P. Ioanne de Soria loci Prælato, cujus aspectu torpere in exercitiis virtutum animi Religiosorum non sinerentur, & excitarentur eorum qui adveniunt. Potens scilicet apud omnes exhortatio est, *moriendum est*, quæ sæculi omnes voluptates vanitatesque reddit amariores. Hanc ille altè cordi impresserat, ac ideò solitudinis & pœnitentiarũ amans; quos effectus etiam in aliorum cordibus tam frequens mortis ex omni angulo objectio ut gigneret, ipse utiliter certè satagebat. In pagis annexis non minor ad convertendos infideles labor, quàm in municipio fuit: perfregit nostrorum zelus omnia, erexitque parochias duas, quas colere regereque nostri non destiterunt.

CA-

CAPVT V.

Quantâ diligentiâ noſtri prædicaverint habitatoribus municipii Anco-anco; eorum obſtinatio & punitio.

1. 

IOANNE de Ribas & Lucretia de Sanſoles pagos aliquot doctrinæ noſtræ cómiſſos fuiſſe antè diximus. (a) Inter hos unus memorabilis fuit magis incolarum duritie caſtigationeque, quàm Auguſtinianorum prædicatione. Hanc tamen ſedulò fecerunt præclariſſimi viri P. Auguſtinus de Sancta Monica & P. Balthaſar de Contreras, qui in hanc vineam ingreſſi ſunt anno M. D. LXVI. non uvas ſed labruſcas collecturi. *Pagus* in declivi erat montis duabus *Chuquiago* leucis: nomen illi *Anco-anco.*

(a) hoc lib. cap.3.n.2.

2. Nihil hîc à Patribus prædictis omiſſum fuit quod ad eorum converſionem faceret. Fuſæ ad Deum pro infidelibus preces, prædicatum Euangelium magnis charitatis oſtenſionibus, moniti ſunt benignè à peccatis reſipiſcere, ſucceſſerunt divinorum judiciorum comminationes. Verùm tantùm abfuit ut his moverentur terrerentur-ve, ut contra inſitum naturaliter Indis timorem, quo ſæpè fingunt ſe Catholicos cùm puri putiq; ſint idololatræ, apertè, excuſſâ omni reverentiâ, obſtiterint, inſuper articulis fidei, qui proponebantur, blaſphemo ore obgannientes. Ita peccatum nefandum, ob quod Sodoma & Gomorrha finitimæq; civitates cæleſti igne conflagrarunt, animum eorum adverſus omne ſanum conſilium obduraverat.

3. Hâc iſtorum contumaciâ ad Comitia, quæ anno M. D. LXVII. Limæ celebrabantur, delatâ ab Euangelii prædicatoribus PP. Auguſtino & Balthaſare, juſſi ſunt excuſſo contra eos pedum ſuorum pulvere indè exire, Apoſtolorum exemplo, (b) & Chriſti doctrinâ, (c) (b) Act.13.51.
qui etiam addit, *tolerabilius fore terræ Sodomorum & Gomorrhæorum in die judicii quàm civitati illi.* (c) Matth.10.15.
Illi dicto obedientes deſertis impuris impiiſque hominibus Limam venerunt vixeruntq; ad decrepitã utérq; ætatem, ab humilitate, charitate, ambitionis contemptu, Regulæ Conſtitutionumque obſervantiâ, innocentiâ vitæ laudari: Balthaſarem inſuper cruentis ſe pœnitentiis exercuiſſe invenio.

4. Nihilo feliciùs, quàm Noſtri, apud obſcœnam gentem laboravit alius ab Epiſcopo miſſus Sacerdos: verùm illo etiam infortunatior quod ſpectator fuerit ſignorum imminentis ruinæ, & teſtis completæ. Nàm cùm ille aliquanto tempore ſtudiosè nefandi vitii horrorem conatus fuiſſet incutere, nullo profectu, cælũ Prædicantem ſuum velle juvare viſum eſt, miſsâ per noctem flammâ quæ undique municipium ambiret. Indè captans novam exhortandi ex inſtantis vindictæ prænuntia occaſionem, omnes nervos in eam intendit, nihil niſi contumelias ab obcœcato populo referens. Crevit ſequentibus noctibus flamma, auctus etiam eſt fervor concionantis; ſed perſtitit peccantium duritia. Accidit poſt aliquarum noctium lapſum Sacerdotem noctu evocari ut confeſſionem Indi in villa non procul diſtante morituri audiret. Perrexit illuc impiger, confitentem audivit, aliaque Chriſtianæ charitatis officia extremæ illi neceſſitati opportuna impertiit; indè poſt horas aliquot domum rediens, appropinquãſq; loco, ubi eſſe pagus ſolet, nihil illi ſimile Sacerdos aut Æditus conſpexerunt,

runt, quamquàm huc illuc discurrendo omnia vigilātissimis oculis & auribus, si gallus cantaret aut latraret canis, explorassent. Rei novitas de rebus licèt certis illos securos esse non finit, rogat proindè Æditium suum Parochus an non fortè deviaverint. Non, inquit ille, sed hîc locus, quem quærimus, esse debuit. Et quando, reddit Parochus, hîc lacum vidisti? en duo sunt juncti ad invicem. Vbi est crepido illa montis quæ domus continebat? quid hîc præter præruptū vides præcipitium? Non diffiteor, replicat ille, ista apud me insolita esse, cætera omnia sunt quæ pagi apud me signa esse solent. Atque ita reliquū noctis exegerunt sperantes lucis beneficio aliquid se manifestius cognoscituros: sed manserunt quidem illa veteris situs circumjacentia indicia, verùm duo illi ad publicam viam lacus ingensque præcipitium nunquàm hactenus visa, tum quod nulla appareret aut domus, aut homo aut animal, planè illos attonitos tenet. Quare incantationis suspicio Sacerdoti nasci incipiebat, cùm tandem in fastigio montis conspiciunt puellulam Indam: ad illam accurrunt, rogantque quâ esset ætate, cujas, ac quando quomodoque illuc venisset. *Ætas mihi*, ait ista, *duodecim annorum est, patria Anco-anco fuit, patria, eheu! nimiùm infelix! Hanc ignis cælestis hac nocte invasit redegitq́, in cineres: atque, ut propius divina vindicta magnitudinem ponderetis, nec ossa nec parietes voluit obscœnis nefandisq́, habitatoribus superesse: avulsam ergo crepidinem à reliquo monte cu● reliquiis domorum hominumq́ ac animalium terra absorbuit: hinc natum præcipitium est. geminiq́, lacus, aeternum, ita reor, castigati populi monumentum. Ego porrò huc perveni modo prorsus admirabili: nam cùm viderem flammam magnâ celeritate domos omnes depascere, Dei param invocavi, vidiq́, mox juxta me Dominam candidissimo formosissimoq́, vultu, quæ prehensâ manu me in hunc montem eduxit, ubi spectatrix sedi tam lamentabilis incendii, patrocinio Beatissimæ Matris plusquàm fortunatâ.*

Hac puellæ oratione omnis quidem de loco dubitatio à Sacerdote & Æditno absterfa est, ingens tamen horror divinorum judiciorum pectora eorum occupavit, Pentapolis conflagrationem ad animum reducentes, cui posteà tot annorum millibus nulla accidit, quàm hæc, similior. Nam & se servatos ab hac generali condemnatione velut alteram Lothi familiam nimis quàm sibi gratulabantur, & observatum postea est in lacubus divinæ maledictionis testimonia perseverare, pisciculorum productione nigrorum, turpium, fœtidissimorumq́; humanæ figuræ non assimilium. Sacristam legi usque ad decrepitam vixisse ætatem, quò cælestis vindictæ testis sui esset diuturnior. Nec est itinerantibus *Cuzco Potosiam* sermo, quàm de funesto hoc excidio, frequentior, lacubus utpotè juxtà regiam viam sitis omnium memoriam renovantibus.

4. Gigantes etiam, quos sive ante sive post diluvium certum est in Peruvia fuisse, quorumque ossa usque modò propè *Mantam & Portum-Veterem enormis* magnitudinis reperiuntur, cælesti igne quem formosus in eos juvenis (Angelos enim Peruviani ignorabant) injecerat, conflagrasse, & Auctores scribunt (a) & constans est indigenarum traditio, ob nefandum Sodomiæ peccatum. Ob quod alios item Indos post ustulationem in saxa fuisse conversos non ita pridem, antequàm Hispani novum illum mundum occuparent, vulgata est opinio. Et certè novi Evangelii prædicatores asseverârunt in vallibus, quæ inter *Pattam* & *Guarmey* per quinque graduum longitudinem interjacent, abominabile illud peccatum tantâ luxurie & tam nullo pudore fuisse usitatum, ut vir uxorem, cùm primâ vice illi operam dedisse cognosceret, novo splendidoq́; vestimento, quod patrati facinoris esset indicium, aliasque ad consortium invitaret criminis, donaret. Quàm latè à rectâ ratione delirat humana

(a) P. Provincialis Torquemada in sua Monarchia Indiana. l. p. lib. 1. ca. 13. Antonius de Herrera decade 4. lib. 2. cap. 7.

humana mens, quam offuscat peccandi assuetudo, ut etiam abominanda crimina virtutis nomen honoresque consequantur. Imminet tamen sceleſtis justa Superûm vindicta, quæ illos in perniciem si non præcipitem provolvit, certissimam tamen multiplicibus funeribus, à quibus vicini Montani sicut & à scelere sunt immunes, trahit. Famâ item indubitatâ narratur pagum in illis vallibus magnum huic fœditati obnoxium flammis integrum fuisse absumptum, ab ædibus, in quibus obscœno operi incumbebatur, incendio incipiente, servatis utriusque sexus paucissimis, qui se custodierant à turpitudine immaculatos.

(a) vide similis castigationis divinæ exemplum lib 2. cap. 1. (a) Impiger certè cùm Nostrorum, tùm aliorum prędicantium in averruncando hoc vitio labor est, Deo misericordiæ suæ largitate ita opitulante, ut fructus videant non pœnitendos.

CAPVT VI.

De monasterio Chuquisacensi.

1. 
HVQVISACA patrium ac vulgare nomen est; Genuinum autem nō uno modo. Indi exprimunt, nam quatuor diversa apud diversos invenies, nimirum, *Choqueçaca*, *Choquechaca*, *Choquechaka*, *Coqueçachca*; omnia quidem auri, quod in istis partibus eruitur, abundantiam significantia, nam illorum *choque* nobis *aurum* est; discrepantia tamen terminatione. *Choqueçaca* dumeta aurea significat propter flavum, qui in illis nascitur, florem. *Choquechaca*, aureum pontem: *Choquechaka*, aurea ossa; *Coqueçachca*, montem aureum. Secundum tamen, quod aureum pontem significat, veriùs apud Indos æstimatur, propter fluvium subterraneum ut credunt, prętęrlabentem, cui ipsa civitas tamquàm pons aliquis superstetnatur: Hispani propter eādem pretiosorum metallorū copiam, dictam civitatem *de la Plata* sive argenti appellaverunt. Nec immeritò, cùm omnes, qui in ejus circuitu sunt plurimi, montes ditissimis venis scateant, partim derecti, partim secutoris temporibus fetvlucti. Inter cæteros unus *Apoquiquixana* quasi, *magnus Dominus Quiquixana* indigenis dicitur, quem à se ablatum Ingæ aliique Principes Perüani usque modò dolent dicto hoc usitato, *A quo tempore Quiquixanà nobis defecit, defecit simul aurum argentumq́.* Quod indicio est ibi tempore veteris monarchiæ ista metalla magnâ copiâ fuisse eruta. Nunc autem tantâ silentii religione seniores involvunt, ut mortem potiùs oppetant quàm montem illum indicent seu odio Hispanorum, seu Dæmonum ludibrio. Sed quid hominum invium cupiditati? Detegi cœptus est, & inventum in eo paucis abhinc retrò annis altare cum exiguo admodum idolo argenteo figuram referente vervecis, & iuxta illud cineres & ossa holocaustorum, non tamen thesaurus oblatus. Nomina vicinorum Chuquisacæ montiū præter *Quiquixana*, sunt, *Huanitoya* etiam optimis fontibus celebris, *Piquiça*, *Malmisa*, *Maragua*, *Aquillane*, *Chabaoro*, *Tiñi seu Tiñic*, quem ditissimum vocant, *Sorame*. *Choquechanbi*, *Vliuli*, *Qutchane*, *Coyacamane*, absque pluribus aliis auri argentique copiâ abundantissimis. Ad quod observatum fuit non tàm lepidum quàm setium dictum Præfecti civitatis Chuquisanæ; cùm enim præcedentis sæculi anno plùs-minùs LXX. plurimi nobiles præcipuique in foro dictæ civitatis quasi mox cessaturas Peruviæ gazas deplorarent, *Potosia* (quæ decem & octo *Chuquisacâ* abest miliaribus) venis ut ipsorum cupiditati persuasum erat, jam pænè exhaustis, Præfectus *Yanpara* dictis fortè non longè indè absens in medium

eorum prosilivit, factoque gito extendens manum *Quid?* inquit, *Potosiacus-ne vos mons contristat? ille nobis semper neglectus fuit, neque operæpretium duximus venas ejus expurgare. Montes istos, qui civitatem hanc circumdant,* (indicem in illos manus extendebat) *videtis? auro argentoque facti sunt quod vestra numquam manus contrectabunt.* Ita liberè prolocutus & patriæ opulentiam laudavit, & Hispanos non modicè tenuit suspensos.

2. Patet indè, quàm justâ ratione hanc civitatem Indi *Choqueçacà* appellàrint, Hispani *de la Plata*; Latinè *Argenteam*, *Argyropolin* Græcè dicere possumus. Primus illuc coloniam jussu Marchionis Francisci Pizarri traduxit, fundavitque Petrus Anzures Centurio anno M.D.XXXVIII. Distat Cuzco versus Austrum leucis quinque suprà septuaginta, latitudinem habens graduum decem & novem, ut nondùm è zona torrida excedat. Tantùm tamen abest ut æstuet, ut prorsus frigida sit; temperiei tamen lætæ gratæque, & quæ causa sit altorum, ac vivacium ingeniorum, non his avarior quàm metallis. Solum omnis generis fructuum patriorum Castellanorumque est feracissimũ, maximè verò tritici optimi, generosissimi ac fragrantis vini. Hortis circumdatur amœnissimis seu florum, seu herbarum varietate & pulchritudine. Carnes abundant, & pisces. Vt non tantùm necessitati humanæ providisse, sed indulsisse deliciis, divitiisque hìc natura videatur.

3. Plurimis proindè nationibus est habitata: inter indigenas præcipua & quæ olim Provinciam totam rexit, est *Tanparaes*; Quos tamen pluribus Rex Catholicus privilegiis dotavit fuêr Indi *Cañares*, qui uti audaciâ industriâque præliandi ceteros omnes Indos præcellebant, ita etiam amicitiâ cum Rege eos præcesserunt, ob id aliis invisi inimicique, at perpetuâ Regi fidelitate constantes.

4. Duo juxta civitatem fluvii enascuntur, non magis origine suâ quàm illapsu in alia flumina totius Orbis maxima memorandi. Qui ad Ortum salit *Cachimayo* dicitur, qui ad Septentrionem *Mojotoro*. Ille ad ipsam scaturiginem mundissimum candidissimumque sal producit, undè & nomen ei tributum, quod non aliud quàm fluvium salis indicat. Cujus tamen aqua, cùm aliquantum per alveum à scaturigine profluxit, totius territorii dulcissima est, ne minimo quidem salis gustu permanente. Aliquot miliaribus proprio alveo fluit, deindè *Pilcomayo* miscetur, qui post mille leucarum longitudinẽ ostio ampliùs nonaginta leucas lato (Luisius de Ore Episcopus tribuit dũtaxat triginta quinque (*a*) in mare se per portum *Buenos ayres* exonerat: alioque nomine *Rio de la Plata* seu *Argenti fluvius* appellatur. *Mojotoro* verò, qui pedes auriferorum montium *Sotàne*, *Quiquijana* & *Tuñi* irrigat, & suâ amœnitate delitium Civitatis *Chuquisaca* maximeque Domicellarum reputatur, nomen amittit magno & superbo fluvio *Marañon* infusus, *Marañon* deinde longis per vastissimas terras anfractibus maximo impetu in mare Septentrionale illabitur: ostii latitudinem alii octuaginta leucarum faciunt, alii quinquaginta septem, alii (*b*) quinquaginta; vel his solùm inter maximos totius mundi fluvios computandus. *Oruro Chuquisacam* venientibus istud naturæ miraculum occurrit. Rupes aquam ubertim effundit; hæc in duos mox torrentes divisa, ibi fervet generatque sulphur; hìc frigida est & tempore hyemis congelatur. Et hæc quidem varietas torrentium parvo licèt aggere interjecto separatorum calidâ gelidâque aquâ fluentium Aquisgrani in Germania cunctis videtur, illo tamen discrimine, quod utriusque torrentis aquæ fontem, ex quo profluunt, non habeant communem.

(*a*) in Symbolo Indiano cap. 8.

(*b*) Idem Luisius de Ore.

5. Plura de Chuquisaca vicinisque locis curiosus lector inveniet apud P. M. Antonium de la Calancha,

Calancha, qui hîc, utpote patriç suç dulcedine illectus, calamo suo indulsit. Nos paucula addemus. Audiētia seu Cancellarià ibi Regia est, quæ latissimè per quatuor membra, *Santa Cruz de la Sierra, Tucumam, Paraguay* & *Rio de la Plata* seu *Buenos ayres* jurisdictionem suam diffundit. Episcopum habuit ad annum usque M. DC. VII. posteà Archiepiscopatus factus complectitur Episcopatus suffraganeos *Chuiquiagensem, S. Crucis de la Sierra, Tucumanensem, Paraguayensem* & *fluvii argentei*. Vniversitas authoritate Pōtificiâ ac Regiâ instituta, non magis varietate scientiarum, quàm ingeniorum acumine floret. Variæ quoque Religiones ibi monasteria sua habent Dominicani, Franciscani, Mercenarii, Societas IESV. Augustiniani Ordinis duplex est, alterum virorum, fœminarum alterum.

6. Virorum jam Indè ab anno M. D. LXIV. sub titulo *Matris gratiæ* (a) incœpit, ita mandante Provinciæ Præfecto P. Petro de Cépeda. An fuerit hoc omnium primum nondùm satis mihi constat; cùm sciam Religiones S. Dominici, S. Francisci, & Mercenariorum simul cum nostra in Peruvia atque adeò ante hæc tempora floruisse. Nulli palmam præripere animus mihi est: annum initiorum nostrorum, quem inveni, notavi, cum quo alii suos, si lubet, conferant & dirempta controversia erit; quo quidem labore illos non invitus levassem, si eorum monumēta habere potuissem. Cum Societate IESV de primatu nulla nobis lis est, cum annus post sesquimillesimum sexagesimus - octavus fuerit primus, quo illa in Peruviam penetravit, ut alibi (b) à me notatum fuisse memini.

(a) Nuestra Señora de Gratia.

(b) ad ca. 7. lib. 4.

7. Nullius quidem in particulari patrocinio monasterium cœptum fuit, perfectum tamen, patriæ opulentiâ illius defectum supplente, sumptuosè. Excellit opere suo ornatuque Ecclesia: in qua Sacellum majus sepulturæ suæ elegerunt Regii Auditores. Monasterium elegans est, attamen non tàm à muris quam moribus scientiâque Religiosorum laudabile. Eorum numerus est ut plurimùm quadraginta. Philosophia & Theologia diligentissimè docentur, quo fit ut semper suppetant, qui ad conversionem infidelium longè lateque (cùm Rex nostris commiserit valles *Mojotoro, Quilaquila, Moromoro, & Potobanbâ*) mittuntur. Hinc simul fructum, licèt, cognoscas, quem apud barbaros isthic Augustiniani retulerunt. In eodem Cœnobio habitu Religioso se donatum gloriatur P. Antonius de la Calancha, noster, ut sæpè dixi, in hujus scriptione historiæ dux, sine quo in rebus Ordinis Peruanis nō modò titubaremus sed planè cæcutiremus Belgæ, ut plurimùm hoc nomine illi debere fateamur, optemusq́, ejus studio videre secundum tomum, quo, sicut priori res in Peruvia à nostris ab eorum ingressu ad occasum usque præcedentis sæculi gestas produxit, exequatur, quæ hoc sæculo successerunt, fiatque manifestum, si non præcelluerimus, certè nihil nos minùs maximis Apostolis laborasse.

8. Res accidit in Cœnobio Chuquisacensi planè admiranda. (c) Dormiebat in Sacrario, ne quis fur irreperet irrumperet-ve, Ioannes Baptista Indus linguæ latinæ non omninò rudis cum duobus suis filiolis alioq; Indo adolescēte. Hic quâdam nocte ab aliorum trium latere abreptus in claustrum clamore suo alios à somno quidem excitavit, sed replevit timore, dum ille, quid sibi accidisset, tremens pallidusq́ue narraret, se videlicet à quodam tam longè ab illis fuisse projectum. Somnii tamen, illo licèt indignante, illusionem putaverunt. Quod cùm rursùs sequenti nocte factum fuisset, tertiâ vigilare & rem propiùs, si possent, cognoscere statuerunt. Adolescentem ergò inter se medium locant, stringuntque, sed mox experti sunt quàm debilis sit contrà invisibiles illas virtutes obluctatio. Abripi è suis manibus ado-

(c) Anno circiter 1612.

lescentem senserunt, non videntes, qui abriperet. Crevit hoc eorum frustrato obnisu, omnium timor, ut jam in Sacrario dormire aut vigilare in posterum detrectarent. Prior Religiosique, eventu cùm illis communicato, incerti adhuc, quam causam tàm validam atque invisibilem opinarentur, plurimi tamen Lemures esse arbitrati sunt. Animatos & vigilare doctos jubet quartam in Sacrario noctē exigere. Extrahitur iterū ex eorum manibus quartâ illâ vice, Ioanne filiisque æquè ac adolescente Conventum clamore implentibus. Quare dubitari cœptum à Religiosis, num adolescens ille baptizatus esset: dubitationis hâc causâ assumptâ. Oriundus erat *Chiriguanâ*: Provincia quæ nunquàm fidei præcepta admisit, sed semper Hispanis magno eorum damno multisque mortibus obstitit. Captivi ex his in servitutem redacti in terris Regi subjectis distrahuntur, & legis Euangelicæ rudimētis, parvo licèt eorum gustu, instruuntur, baptizanturque. Hic baptizatus credebatur; verùm rogatus, an esset, negavit, sed baptismum se petere ait, seu nostrorum Religiosorum consuetudine edoctus & pellectus, seu recentium noctium terrore perculsus. Atque, cùm esset sufficiēter instructus, undâ ablutus est verè ipsi salutari, utpote qui nunquàm abhinc ullam talem violentiam passus sit; eoque factus in fide robustior. Verosimile est Custodem Angelum vel illius proprium, vel loci sacrati hos illi terrores incussisse, vel, sollicitum ut per illos ad sacram lympham festinaret, vel indignatum sacra altaria & vasa à nondùm abluto pertrectari.

9. Evenit item anno M.DC.XVI. ut candidissimus & flavus capillos infans *Chuquisaca* ex æthiopibus parentibus nasceretur: in pago verò *Guata*, qui *Chuquisacâ* versus Orientem unâ leucâ recedit, Inda filiam peperit ursinâ pelle planè cōtectam, manibus dūtaxat pedibusq; exceptis; ut opinio esset urso coitu bellnino fuisse commixtam. Vetat filiam baptizari Magistratus quæstionem habiturus an non hoc scelere esset concepta. Mater tam infandæ de se suspicionis certior facta causam tam monstruosi fœtus declarat fuisse, quod transeuntem fortè per agros invasisset ursus salacibus motibus eam connisus opprimere, cui quidem fortiter restitisset, domum tamen reversæ atque à viro suo cognitæ vivacissimè occurrisse imagines luctantis secum ursi, quas putaret in fœtum violētiâ imaginationis fuisse impressas. Quare & mater à suspicione criminis absoluta fuit & baptizata filia, quæ, exceptâ pelle, omnia humanæ naturæ indicia præ-seferebat.

CAPUT VII.

De monasterio Religiosarum Ordinis Erem. S. Augustini Chuquisacæ.



HOc secundum totius omninò Peruviæ Sanctimonialium monasterium fuit, Virginum gynæcæum, Augustinianorum encomium, qui non tantùm studia sua laboresque direxerint, ut sponsam Christi Ecclesiam extenderent longè lateque; sed essent, prout in alio orbe Christiano, receptacula, ubi devotior sexus virginitatem suam Deo consecrarent conservarentque, nobilior gregis Dominici portio futura, & spōsæ Christi selectiores. Limensis initia, progressum, & decora alibi (a) descripsimus laudavimusque. Hoc incœpit anno M. D. LXVII. qui ad sequens quidem pertinet triennium, huc tamen, ubi de *Chuquisaca* agimus, extrahendus, quod ex annorum vicinitate nullius censendū est esse incōmodi. 1.

(a) lib. 7. cap. 5.

2. Pro-

2. Provinciæ Præfecturâ gerebat P. M. Ioannes de Sancto Petro vitæ inculpatissimæ multæque scientiæ vir; Conventus *Chuquisacensis* P. Luisius Lopez, factus posteà ejusdem civitatis Episcopus. Hi & propriâ inclinatione, & Limensis Ascete rii exemplo incitati, simile *Chuquisacæ* moliebantur, & favit piis desideriis Deus, nam eorum exhortationibus inductæ quatuor nobilissimæ atque æternâ memoriâ dignæ virgines, mundo renunciantes Christum amplexæ sunt sponsum, censusque suos ad Cœnobii ædificationem conferentes. Nomina earum hæc fuerunt, Agnes de Sancto Michaële Rodericii de Ayala & Agnetis de Osorio Hispalensium filia: Maria de Spiritu Sancto, quæ parentes habuit Ioannem de Hianca & Petroniliam de Castro Madritenses. Hieronyma de Conceptione Didaco de Carate Vallisoletensi orta: Ioanna de Trinitate cui parentes fuerunt Christophorus de la Torre & Maria de Avalos Iaënses. (a) Felix quadriga Virginum, gloriosiùs in sexu fragiliori de carnis spurcitie, quàm Elias, triumphans, impetuque divini amoris velut igneo Eliæ curru super aëra in ipsum cælum Empyreum ad castissimi agni nuptias elevata. Crevit brevi eâ fœcunditate virtutum sub institutione P. Luisii Lopez primùm, (b) deinde P. Ioannis del Canto, ut aspectate sanctitateque vitæ laudem apud omnes consequeretur, conservaveritque in posterùm; eo Religiosarum numero ut absque Novitiis, Donatis, ancillis septuaginta computarentur, in procurandis altarium ornatibus divinique cultûs majestate summo semper studio sollicitæ. Titulus, sub quo Sanctissima mater ibi colitur, est, *De remediis.*

(a) naturales de Iaën.

(b) usque ad annum 1591.

3. P. Antonius de la Calancha duarum nominatim sed admodum breve ponit elogium: Hieronymam de Conceptione sive de Carate à zelo, rigidâ observantiâ, & orationum instantiâ laudat. Magdalenam de los Rios ditibus nobilibusque ortam natalibus ab amore solitudinis, contemplatione, pœnitentiis, maximè autem charitate: infirmis omnibus solatio erat & adjumento. Vni apostema pectoris magrâ puris copiâ fluebat, undè nauseâ horroreque concepto recedebat, sed quam animi imbecillitatem ipsa actu mox heroico castigavit, provoluta scilicet pus suxit, magnâ quidem charitatis testificatione & studio mortificationis, sed quod ipsam, iotro sumptis humoribus damnosis, post pauculos dies deduxit ad mortem, quam dolens de excessu & de sui victoriâ læta, alacris quasi ad cælestes epulas invitata suscepit.

4. Quàm verò Christus in sponsarum suarum puritate, ac, quam voverant, fidelitate sibi complacuerit, memorabili reddidit exemplo manifestum, admirabili castigationis secreto variisque in nefanda scelera lapsibus puniens calumniam, quam nobilis contra cujusdam hujus ascetetii Religiosæ castimoniam vulgato rumore spargi fecerat. Rem, prout is, qui præsens morituri confessioni fuit, P. Antonius de la Calancha refert, ne quod de fide dubium esse possit, enarrabo. Nobili nomen erat Antonius Pantoja, non minùs disciplinâ quàm naturâ & fortunâ instructus. A parentibus illustres titulos amplasque in Domibus, villis, agris, armentis, omnis divitias acceperat: à natura animam sanam in corpore sano pulcroque, ex quo scientia & virtus commendabilior reddebatur. Scientiæ, artesque variæ illi fuerunt, sed eâ perfectione ut alius ex singulis laudem sibi opinionemque conciliasset: ab amœnitate Musarum captus atque in Parnassum ab eis evectus poëta excellens prodiviti fidibus item ac Musico cantu mulcere hominum animos edoctus. Musæ illum faciè in Philosophiæ amorem insinuârunt; quæ deindè in penetralia deduxit Theologiæ. Militem intereà eum in armis equoque conspiciens jurasses:

ita omnia ex gratia fiebant, quę eum omnibus reddebant amabilem. Et, quod apud homines bonæ fortunæ culmen, nec immeritò, reputari solet, uxor ei obtigerat venustissima, tranquilla, affabilis, discreta. Tanta luxuries bonorum mirum si non insolentiam peperisset. Exorbitavit certè Antonius seu author seu promulgator famæ contra pudicitiam Religiosæ innocentis. Lusus in Ecclesiasticorum æstimatione communis est mundanis quasi securiùs licentiusque peccaturis si peccatorum nævos in statum possint puriorem traducere; astu planè diabolico, quo & bonorum exemplorum ad virtutem stimulos obtundit, & peccatorum cumulum multitudine & enormitate auget. Deus sceleris hujus indignitatem castigationis qualitate manifestavit. Mensibus aliquot evolutis nefandi criminis accusatur Antonius, habitisque informationibus Regalis Audientia mandat carceri ut mancipetur. Verùm Auditorum aliquis diuturnæ cum Antonio necessitudini assuetus, uxori Antonii decretum Audientiæ curat intimari. Hæc citâ mulâ fidum famulum cum literis ad maritum, qui sex *Chaquisacâ* leucis in villa aberat, expedit, rogatque ut se imminenti supplicio subducat, nam & ipsa jam pridem fœminarum in eo fastidium animadverterat, videratq; horrendi sceleris commixtionem. Famulus sub vesperam iter festinanti mulâ aggreditur, & prosequitur indefessè per totam illam noctem, sed quem illucescente die hera præ sollicitudine insomnis in area domus conspexit; rata in initio perfecto itinere famulum rediisse. Et quis aliud credidisset? Auditâ tamen inutilis laboris narratione, repetit literas non sine exaggeratione eventus nocturni, & imminentis ex captivitate dedecoris, quod facilè esset fugâ prævenire, aut eludere negatione; accusatores Indos esse, gentemque vilem. Antonius lectâ epistolâ, auditoque patienter famulo, compedibus, quos ad mancipiorum castigationem in villa habebat, adferri jussis, respondit, *Qui adventum tuum nocturnum tam admirabiliter impedivit, pænas à me procul-dubio præteritorum expetit criminum: his me compedibus ut ministri justitiæ stringant, volo. Fateor, supplicii ignominia ipso mihi gravior erit supplicio, Deum tamen precor, ut & hac restantes peccatorum pæna mitigentur.* Nihil, ut ab hoc proposito dimoveretur, aut conjugis lacrymæ, aut obtestationes potentium amicorum quasi ad eos flagitii supplicijq; macula esset transitura, potuerunt. Ipsi insuper judices, quia omnibus erat acceptus, ut se jure tueretur, optabant. Solus ipse desidetió satisfaciendi in hac vitâ turgidus, quidquid accidere poterat, contemnebat. Palàm edicebat peccatum nefandum à se commissum esse, &, quod fœdius esset, cum turpi spurcissimoque servo æthiope, cùm uxorem haberet formosissimam, & quæ Paridi Helena esse potuisset. Usque-adeò verum est humanam cupiditatem nullam turpitudinem aversari, nisi cælestis influxu gratiæ retrahatur. Solum mensem placando Numini concedi expetivit, quem tam cruentis transegit pœnitentiis, ut adveniens supplicii dies vix inveniret quod occideret, extenuato priùs jejuniis nodosisque funiculis corpore. Morituro omnis Ordinis Religiosi adfuerunt: spectatum accurrerant undique innumeri; ipse autem ad locum supplicii mulo vehebatur lugubri panno instrato, manibus gestans atque oculis objiciens Christi è cruce pendentis imaginem, eâ doloris de peccatis ostensione, ut adstantibus lacrymas excuteret: magis etiam dùm juxtà ædes suas transiens ab uxore petiit illatæ veniam injuriæ. Verùm cùm ad monasterium Augustinianatum (propter quas tragicus hic eventus nostrę historiæ est insertus) pervenisset,

jussis

jussis subsistere qui comitabantur, indictoque silentio, elatâ voce in hæc verba est proloeutus. *Sciant quotquot dedecora mea sunt audituri, eorum initium causamq; fuisse tam sancti ac casti monasterii denigrationem, quam in me justus & supremus Iudex ita vindicavit, ut divinis mihi auxiliis substractis sequenti luce in fœdum illud crimen fuerim prolapsus, & in eo miserabiliter, quoadusq; jubente Audientiâ captus sum, volutatus. Meo exemplo discant Sanctimonialium sponsarum Christi pudicitiam falsis criminationibus non obruere: considerentq; quantâ mihi infamiâ culpa illa expianda sit.* Hoc dicto tacuit aliquantisper, deindè exclamavit *Iesus mihi propitius sit.* Tum tremens in deliquium prolapsus mortuus ab omnibus eredebatur, donec vocibus P. Villafranea Dominicani Confessarii ad se reductus, diceret, horribile à se Dæmonium visum, monstratoque Virginum Sacrarum Ascetetio minaciter ingessisse, se ob solam detractionis illius culpam fuisse æternaliter condemnandum. Quod cùm ab his, qui adstabant, Augustinianis fuisset auditum, rogatus ab eis Antonius est, idem elatâ ut voce repeteret. Fecit, & simul iteratis vicibus ignosci sibi à Sanctimonialibus injuriam postulavit. Indè progressus ad paratam sibi pyram flammis est ultricibus pœnitens exstinctus, qui toties nefandis arserat vivus; magno certè Dei misericorditer castigantis testimonio, æternasque pœnas cum transeuntibus commutantis.

4. Voluit prorsus Deus magnarum misericordiarum suarum Chuquisacæ documenta constare. Subjicio scilicet quàm imperscrutabilibus & disparibus mediis nobilem fœminam adegerit ut Religiosa in dicto monasterio moreretur. Res fuit in tribunalibus notissima ac proinde nec à nobis silenda nomina. Veniens ex Hispania Potosiam, ut Prætoris (a) munere fungeretur, Illustris Hetos filium adduxit Alphonsum de Leyva multis naturæ dotibus insignem, sed quem impetus bullientis adolescentiæ in illiciti amoris scopulos abrupit. Erat N. Tusiño nobili, opulento, potentique viro uxor Gregoria. Hanc Alphonsus deperibat; sed mutuo amore non respondentem. Ambitiosa benevolentiæ ostentatio, blanda verba, &c, quæ fortissimè corda mulierum arietare solent, munera vim omnem amiserant. Hæ privatæ repulsæ, & publica de pudicitia Gregoriæ æstimatio tam non extinguebant Alphonsi ardorem ut magis etiam incenderent, perpetuâ amantium conditione, qui per ferrum & ignes negatam voluptatem sectabuntur, fastidient facilè oblatam. Quare Ioannæ cujusdam; quâ familiarissimè Gregoria utebatur, operam impugnat magis quàm implorat, beneficiis non tantùm illam sed maritum obruendo: quod facile per parentem poterat, cum auget honoribus censibusque, plura sperare jubet. Quæ sanè Ioannæ non videbantur contemnenda; Sed etiam grave erat veterem Gregoriæ radicatamque, neque etiam sterilem, amicitiam offendere: hanc offensam certam rebatur ex nota sibi Gregoriæ castitate: eademque indubitatam reddebat petitæ voluptatis recusationem, quæ suam operam diligentiamque Alphonso in illam æstuanti suspectam faceret: timebatque, dùm secundi amicitiam indebitè sectaretur, & hanc non obtinere, & Gregoriæ amittere. Ita anxia hærebat Ioanna, ac in dilationem veluti tutiorem, animum intendebat: sed hanc excludebat Alphonsi ardor omnis impatiens moræ. Quid ergò ageret? cessit vetus amicitia novis utilitatibus, exemplo non novo; ratò enim harum impetum illa sustinuit. Ioanna apud Gregoriam laudare Alphonsum cœpit, sed mox ab ea jussa est tacere sub interminatione perdendæ in perpetuum amicitiæ. Verùm

(a) Corregidor.

Verùm cùm Alphonsi quotidie in se maritumque collata beneficia crescerent, victaque Ioanna semel manus dedisset, ejus libidini satisfacere per fœmineum sed audacem dolum intendit. Fingit se ægram; Gregoriam, ut se visitet, pro antiqua necessitudine rogari curat, dicique, accepisse se vestem acu-pictam, hanc se illi ostensuram. Intereà autem famulas abesse variis prætextibus jubet & Alphonsum cubiculo secretum includit. Advenientem Gregoriam doli ignaram ad fraudulentum conclave deduxit, fugiensque seu precibus ac eloquentię seu viribus insanientis adolescentis permisit innocentem, proditione detestandâ. Invasit prædam diu desideratam Alphonsus, sed non illâ fruiturus: Gregoria enim à doli indignatione simul & à pudicitia periclitante arma arripiens nunc domum clamoribus implet, nunc unguibus involat in ferocientis juvenis vultum, tam constanter fortiterque, ut ille & faciei timens deformitatem, & de quæsita tot modis voluptate desperans, aperto ostio profugeret. Gregoria domum regressa, ne professo odio vindictæ amitteret locum, simulat non gravius se amicæ factum, quàm jocum, accepisse; eum artificiosè conceptum, lepidè finitum; mittitque Ioannæ in solitæ amicitię testimonio, delicatum, ut ajebat, edulium. Hæc de amicitiæ tam fortiter concussæ constantia gaudens, accipit oblatum munus, sed recludi in cœnam jubet: tùm verò repertum est vermibus scatere, cognitusque Gregoriæ animus in vindictam intentus. Quæ & Alphonsum tollere è medio tentat, conductis in facinus duobus militibus & promissâ singulis mille pesorum summâ, aureaque catenâ. Illi ante ędes, in quibus Alphonsus lusu cum æqualibus tempus fallebat, egressurum expectantes, à nonnullis fortè egredientibus observati sunt; rogatique, qoid vellent, ut simulatione conceptum scelus altiùs tegerent, cum aliis in cubiculum, in quo ludebatur, intraverunt. Alphonsus, ut erat naturâ comis liberalisque, humanissimè ingressos salutavit & allocutus est atque evicit suâ benignitate apud truculentos animos, ut non tantùm de illo occidendo consilium mutarent, sed statuerent insuper in platea expectare, ut egresso studia Gregoriæ revelarent, sese ab illa in ejus necem fuisse mercede conductos, sese conditionem, ne alios illa requireret qui scelus exequerentur sibique esset detegendi occasio, acceptasse. Alphonsus actis gratiis datisque muneribus denuntiatores dimisit, cavitque, ne, si quid simile in posterum à Gregoria (est enim ira mulierum, nisi obtentâ vindictâ, implacabilis) tentaretur, imparatum aggrederentur. Verùm, dùm illa de inferenda Alphonso morte satagit, obversantur ejus animo juvenis pulcerrimi, blandi, benigni, omnibusque grati species, ac liberior posteà ab ira illas penitiùs in se admittit, aitque sibi, *Ecquod Alphonsi, quem persequor crudelis peccatum fuit? Quòd formam, qualemcumque mihi natura dedit, æstimaverit? Quòd me amaverit? non propterea occidendus est potiùs redamandus. Certè frons, oculi, cilia, gena, nasus, labia, crines tanta proportione decoreque in illo correspondent, ut venustatis simulachrum naturâ esse voluerit.* Ita Gregoria, dùm incautè ad naturæ magis in Alphonso dona, quàm ad finem marito obligatam, quàm decus thalami, quàm Dei præcepta, secutura incommoda pœnasque mentem deflexit, tota patuit Dæmonum fraudibus, & concepit amorem tam altè, ut iræ successisse, sed illâ fortior, videretur; Vsqueadeò nociva esse solet omnis de altero sexu diuturna cogitatio. Eligitur Ioanna, quæ ignem suum Alphonso denuntiet: sed nec illa nec hic post tantas iræ tempestates, amori Gregoriæ fidit, at no-

at novas, quibus incautos credulosque, inopinatâ vindictâ obruere possit, esse illecebras uterque arbitratur, donec certissimis indiciis amoris veritatem comprobasset. Non potuit diu impuri ardoris fumus maritum Gregoriæ latere, qui fidei conjugalis uxorem admonet, utrique jubet, quæ frequentissima esse subitò cœperant, Ioannæ consortia. Detecti amoris, periculique à marito imminentis certiorem Gregoria Alphonsum reddit, qui conductis celeriter iisdem duobus, à quibus ipse occidendus fuerat, militibus, cum illis egredientem noctu è certis ædibus innocentem & injuriam passum invadit, tribusque confodit vulneribus: effugere tamẽ non potuit, quin apertis subitò ad tumultum vicinorum ostiis radiis lucis detegeretur, agnosceretur que à Tufiño. Hoc in domum suam delato, adfuit mox Iudex rogans, nûm, à quo læsus esset, sciret? *Scio*, inquit, *me à tuo filio Alphonso, & Gregoria uxore mea læsum.* Iudex facti indignitate & zelo justitiæ commotus, *Ipsum*, ait, *filium meum Alphonsum crastina die securi percutiam*. Gregoria, patefacto parricidio, illâ ipsâ nocte acceptis secum gemmis magnique pretii margaritis fugiens, ab Alphonso *Chuquisacam* deducta est: ubi hic in ædibus Isabellæ de la Cuba, ipsa verò apud matrem egregiam, sorrem, sanctamque matronam, quæ è regione habitabat monasterii Religiosarum, latuit. Tufiño proximâ luce è vivis excessit: Iudex alterum è militibus apprehensum scelusque confitentem eâdem die suspendit & missis quaquaversùm satellitibus ad capiendum filium, Gregoriæ supplicium ad Audientiam remisit; à qua cura prehendendæ Auditori Lupidana commissa est, qui cùm eam in pulvinaribus (hispano more) juxtà matrem in ejus ædibus sedentem compeˈrisset, capturæ dedecus humaniter apud matrem excusavit. Mater autem virili animo surgere filiam jubet, capere velum, ac Auditorem sequi; fore Deo curam ejus, si innocua esset, proregendæ: Si nocua, justum esse ut castigetur. Gregoria in proximum cubiculum progressa sororem suam suis vestibus indutam veloque quasi in signum verecundiæ tectam cum Auditore mittit, ipsa autem, vix judicibus egressis, in vicinum nostrarum Religiosarum ascecerium profugit in ipsa statim penetrans clausuræ loca. Soror verò tanto temporis spatio, quod ad Gregoriæ fugam satis esse rebatur, Auditorem comitata, levato velo, *quæ me*, ait, *culpaream fecit?* Tùm Auditor dolum conspiciens propetare rursus ad ædes maternas satellites jussit, seriùs tamen, quàm ut Gregoriam invenirent, pervenerunt. Alphonsus autem cum margaritis in Hispaniam evasit, obtinuitque pro se Gregoriaque delicti à Rege veniam. Indè Romam pergens obtinuit, ut, si fortè Gregoria professionem ante suum in Peruviam reditum emisisset, illam tanquàm ex gravi metu factam nullius esse roboris pronuntiaretur. Hæc dùm Alphonsus agit tres in solidum effluxêre anni: illa interea de amore Alphonsi desperans, & habitum religiosum sumpsit & emisit professionem: cui, cùm Panamam pervenisset Alphonsus, copiam Brevis Apostolici misit, sed allatam ad manus suas rupit Gregoriæ mater filiique supra genium muliebrem animosa. Eadem Gregoriæ *Chuquisago* nuntiari Alphonsus jubet certioribus & non falsis tabellis, quæ non-modicum in ejus animam cùm veteris consuetudinis recordatione tùm Instigatione dæmonis impetum fecerunt, quem repressêrunt generosè Augustiniani, maximeque P. Luisius Lopez electus *Paraguaye* (a) Episcopus, revocando in memoriam præteritarum culparum enormitatem, Dei tamen benè illas ordinantis pietatem: timeret proindè Numinis rursùs deferri Iratique castigationem. Quæ adeò

(a) *Paraguay.*

adeò Gregoriam cęlestibus impulsibus incitârunt ut nòn modò nuptias spesque omnes caducas contemneret, sed hortatrix insuper fieret Alphonso, ut spretis mundanis fallacibusque cupiditatibus curam assumeret salvandæ animæ nunquàm interituræ. Nec surdo scripsit, dicunt enim in Hispaniam rediisse, Carthusizque claustris abditum totum se divinis dedisse contemplationibus. Gregoria pœnitentiis orationibusque multos annos excitata religiosam vitam pari fine complevit: inconstantiæ primùm in mundano amore, deindè divinæ benignitatis feliciùs, quàm concipere mens humana possit, eum commutantis exemplum.

FINIS.

